Digitized by Google

36 f

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

WD

Chem. 22

Beguini

~~Med.~~

Chemia gen.

Beguinus.

1643. R

Digitized by Google

TYROCINIVM CHYMICVM

IOANNIS BEGVINI

Regis Galliæ Eleemosynarij,

Antehac à Viris Clariss. D. CHRISTOPHORO GLVCTRADT, & D. IEREMIA BARTHIO, Philos. & Medic. DD. &c. notis elegantibus illustratum, formulisque medicamentorum optimis & secretis locupletatum.

Nunc verò à IO. GEORGIO PELSHOFERO, Medic. D. & in Acad. VVittenb. Professore, vtriusq; Notis & medicamentorum formulis in vnum systema redactis.

Hac nouissima Editione triplici Indice ornatum.

Perillustri & eximio Aromatario

ANTONIO DE SGOBBIS.

VENETIIS, Apud Baleonium. M DC XLIII.

Superiorum permissu, & priuilegio.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Per Illuſtri

ET EXIMIO AROMATARIO

ANTONIO DE SGOBBIS,

Paulus Balionius Bibliopola Venetus.

TYrocinium valdè politi, diligentiſſimique & ſummoperè Induſtris Beguini ab omnibus mundi Regionibus expetitum, non niſi ſub auſpicijs viri per totam Italiam, immo per vniuerſam Europam æſtimatiſſimi, & in liberali aromatariorum arte celebrati è meis exire debebat Typis: veluti es tù ANTONI DE SGOBBIS: qui in hoc paruo Venetiarum mundo inter ſedulos, ſtudioſoſq; Aromatarios nulli ſecundus tantam liberalem artem induſtria foues, inuentionibus auges, ſubtilitate illuſtras, atque Spagyrico modo ſuauiter, & vnicè adeo exerces; vt Inclyti Inclytarum Venetiarum Iatrophyſici Dogmaticæ medicinæ adamuſſim methodum obſeruantes ſingulari, tutioriq; modo, & ſuauiſſimis te auxiliante pharmacis medeantur. Propterea Romæ ſapien-

Digitized by Google

tes difficillimas ad re cognitu res tranſmiſerunt, vt Venerande PRIOR Collegij Venetiarum ſimul cum peritiſſimis conſiliarijs dijudicares, decernereſq;, an opobalſamum, aut potius pſeudobalſamum ſuccus eſſet intromiſſus Romę, ad conficiendam Theriacam à Seplaſiatijs Pannutio, & Manfredo. Quod ſicuti cum veritatis decore, & gloria à te iudicatum, ita ſapientes viri, & optimi pharmacopola inuitis Seplaſiarijs improbis, & ancylogloſſis aſſertis medicis venerati ſunt.

Hinc factum eſt, vt rerum naturalium profeſſores ab vltima Europa circa naturæ arcana à te veritatem quæritent. Vnde meritò gentes locum, & ſtrutio cameli inſignia peritiſſimi, & ſtudioſiſſimi Melichij occupare, oſtendereq; te optimè dicunt: Cuius virtutem æmularis non ſolum, verum ſtudio, & munificentia amplificas.

Quibus virtutibus ſuaſus non ſolum, ſed etiam coactus, te virum probum vt cæteri Itali, & Europęi, te optimum aromatarium, Veneror. Quare te rogo, atque obſecro, vt hunc tantum è meis Typis ſub tuo nomine librum in mei obſequij indicio editum recipere ne dedigneris. Vale cæleſti auſpicio.

Venetijs. III. Id. Maias. Anno M DC XL III.

CHR L

CHRISTOPHORI GLVCTRADT
Phil. & Med. D.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

VEriſſimè dicitur, Lector Candide, *quo diuinius nobiliuſq; quid eſt, eò plebi vilius abiectiuſque habetur, quia à captu humano remotus: Id quod de vera & ſincera* Chymiatria *noſtra maximè affirmari poteſt. Plebs enim nihil celebrat, niſi quod facit ad ſaliuam, ſeque craſſo fumo in oculos conijcit; quod namque foris non ſplendet; ſed in abdito nobilitatem ornamentaque gerit ſua, damnatur. Verùm plebi relinquamus ſua, quum ſciamus, quòd illius iudicium ab omni ſapientiæ memoria hactenus fuerit infame.*

Ad Sapientiorum igitur iudicia potiùs confugimus, apud quos Medicina ſine Chymia, *haud immeritò* exilem poſſidet maieſtatem. Nam hac vna Dianæ lampade Medicus plus cernit, quàm vulgares Medici aperto ſole. *Et ſi dixerimus, quod res eſt, in nulla Phyſicæ parte tantum credimus oblectamenti eſſe, quantum in ſola Chymia. Quod ipſum quoque agnouit* D. Hartman. in Orat.

magnus Zuingerus, ſolertiſſimus ille inueſtigator admiratorque diuinitatis in natura. Diſputant quidem multi de vacuo, de infinito, de motu, de

Libau. in epiſt. *æternitate mundi, & alijs rebus Phyſicis; verùm vbi anxiè admodùm ſingula euoluerunt, nihil ampliùs in ſingularitate rerum profecerunt, quàm fortè mediocriter eruditus. Econtrario Chymia vera infinita bona quærentibus quotidiè offert, vt ſanè abſque ea ne vita quidem ſatis commodè duci poſſit. Illa enim eſt, quæ tot ſtupenda nobis DEI Opt: Max: opera patefecit; quæ tot pandit naturæ arcana, vt etiam vulgus occultas cauſas & naturæ proprietates beneficio ſolertis inquiſitionis exploratas habeat; quæ ſympathias & antipathias effecta per quàm admiranda inquirit; quæ tot ante hac ignotas medicamentorum præparationes, herbarum deniq; animantium, mineralium, & omnium penè rerum abditos, & in ipſo naturæ ſinu reconditos vſus depromit, vt ita in genus humanum ingrati ſint, qui ſepultam illam velint. Hæc inſuper magnalia Dei in natura deprædicat; hæc veſtigia eius per vniuerſum naturæ diexodum gradientis mõſtrat; hæc diuino beneficio, per diuinum rationis inſtrumentum, & admirabilia opera, Dei imaginem inter homines naturaliter admodum re-*

Hippocr. περὶ ἐυχυμοσύνης c. 8. *præſentat, facitque Medicum ἰσόθεον, καὶ πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Quæ cùm ita habeant,* Lector candide, *noli putare, nos, præfato huic Chymiæ encomio, Veterum laudabiles conſtitutiones,*

imò

imò ipſam Medicinam Dogmaticam poſt ponere, aut planè reſpuere velle: abſit, quin, contrarium potius æſtimes, velimus, quòd illa cum hæc coniunctim conſiderata, eam magis illuſtriorem reddat. Ideò nos, qui Dogmaticam hanc Medicinam *omninò tuemur, atque ſectamur, non niſi eam* prudenter & *μεθόδως* cum Spagyrica contemperatam, probatiſſimam & nobiliſſimam eſſe ſtatuimus. *Quemadmodum enim Dogmaticam Medicinam, in ſe conſideratam, imperium non ſemper habere in morbos; ita etiam, in quibuſdam Chymicæ haud raro diligentiam vacillare, non diffitemur. Ideò vbi illa ſilent, fuerunt excogitanda & fortiora & vtiliora remedia, (quod à doctis Philoſophis & Medicis ſagacis ingenij factum eſt) quæ aliorum imbecillitatem ſanarent, & æquis viribus, aut ſaltem paulò fortioribus, (modò ne quid nimis) cum affectu concertarent & vincerent. Imò inhoneſtum & Medici perſonâ indignum fore iudicamus, hanc ab illa diuelli. Et ſanè* nullus magnus hodiè Medicus perhibetur, cui Chymiatria verâ non magna. *Hæc enim eſt illa Medicinæ radix & meta, ad quam Viri ſapientes hactenus collimarunt: hæc eſt vnica illa medulla & anima Phyſices ac Pharmaceutices, prout à ſapientibus paſſim appellitatur. Hæc denique eſt polita illa Medicinę columna. Hac enim qui caret, is ſe habet ad verum Medicum, ſicuti coquus porcorum ad coquum principum. Quod autem Galenici Chymicos noua-* Paracelſ. in parag.

tores reprehendant, non eos volunt intelligi, qui inuentis rationi consentaneis constitutionem artis confirmant, stabiliunt & exornant; sed eos, qui adulterinæ suæ Chymiæ nixi principia artis conuellunt & euertunt, noua principia sibi fingentes. Qui rident & contemnunt omnia, sapienter à veteribus inuenta & posita; sua solùm à Deo infusa iactare pergunt. Hos impostores atque imperitos Thrasones, tenebriones & lucifugas, Stygias ad vndas relegamus. Sunt enim hi nebulones in causa, vt Chymia non solùm malè audiat; sed etiam Chrysopœia planè contemnatur, & pro otiosorum hominum speculatione, aut inani insanæ mentis somnio ac deliro figmento, habeatur; cum tamen eiusdem fallere nescia veritas, authoritate, exemplis, & rationibus firmissimis, satis superque probari possit. Verùm de his suo loco.

Hofmãn de vero vsu & fere abusu med c. chymic.

Nunc, Lector candide, *admonendus es de præparationibus hisce Medico Chymicis, (ita enim eas verè appellare possumus) quas in tui gratiam iam publici iuris facimus, idq; ex instãti quorundam amicorum & studiosorum sollicitatione. Eas tamen non ad euersionem Galenicæ scholæ, cui iuramento fidelitatis obstricti; sed in illius potiùs ac rerum medicarum, humano generi inseruientium, illustrationem institutas, atque ferè omnes, in celeberrimi Hartmanni famoso illo Laboratorio Marpurgensi, (vt vocant) ad veritatis & experientiæ indubitatæ incudem*

aliquot

aliquot vicibus reuocatas esse, tibi persuasissimum habeas, quippe quòd talia sint medicamenta, quæ videbantur supprimenda potiùs, quam publicanda, ne pateant scilicet impostoris. Sed cùm istis impostoris sua sit parata pœna: quin & nouerint industrij artifices eorum examina, dummodo censendi regula vna adhibeatur; non est, quod quis ab ista parte maximopere metuat. Bonis & dignis consultum volumus; non malis & indignis. Bona dedimus, quæ non nisi à prudenti & circumspecto medico, vsurpentur, attestamur. Et quamuis mens etiam præsagiat, non omnibus gratum, fore hocce opusculum, à mendis suis restitutum & auctum; quid tum? Non moramur calumniatorum conuitia & maledicta, modò proximi nostri, cuius vtilitati & commodo deuincti sumus, salutem ac valetudinem, quantum in nobis est, prorogemus & promoueamus.

Proin si quid est, Lector candide, *in tota Medicina laude & commendacione dignum: inuentio certè nouorum remediorum, iucunditatem ac suauitatem ægris, nec vllum tædium, præbentium, præferenda: quorum licèt quàm minima sit dosis, vtpote cùm maior copia ægris sit tædiosa & fastidij plena: attamen quę officio purgandi defungantur, non secus ac si maiore dosi exhibeantur. Hinc Galenus inquit:* ea, quæ paruam sortita sunt molem corpoream, magis agere, quam quæ magnam. *Laudanda igitur* *Lib. 2. c. 2. simplicium.*

est,

est, e. gr., Chymica Essentiarum extractio, tùm quòd ea ista omnia præstantur, permanente tamen propria purgandi humoris facultate in medicamento, tum quòd eò validius redditur medicamentum, dum videlicet terra, vel fex inutilis, ex ipso separatur, & , admistis suis propriis menstruis & correctiuis, qualitas omnis maligna adimitur. Quod etiam præstandum præcipit Galenus, cum admiscenda refert ea semina medicamentis, quæ malignitatem ipsorum retundant, opus eorum non impediant, quæq; attenuare & incedere valeant, & quæ crassos humores secare, ac vias, per quas educi debent, patefacere possint. Quæ omnia debite fieri, ex hisce quoque præparationibus docti omnes iudicabunt:

Lib. quo. purgare deceat, cap. 8.

Ex quibus abundè liquet, quid sentiendum sit de illis Misochymicis, statuentibus, quod omne medicamentum, dum adhuc integrum est, temperamẽtum quoque suum integritasque inde suas vires & facultates habent. An indignum iudicant eiusmodi homines phanatici ac nasuti, si ex cortice nucleus extrudatur, abiectoq; corpore in vsum veniat? quo in nucleo quanta est corporis impuritas, quæ à natura secernitur, dum in primum ens suum nucleus redeat, & sic valide operetur? Sic cùm in forma, aut spiritibus medicamentorum, h. e. Mercurio, Sulphure & Sale, vis omnis medendi lateat, cur ars ista à suis impedimentis & impuritatibus, vt naturam eo onere expediat, non liberet & enucleet? Nihil

Quere. in defens. Herm. Medic.

sanè

ſanè à natura creatũ, quod puris & impuris partibus non conſtet; bona enim cum malis commixta ſunt. *Impurus autem puro officere, quo minùs proſit homini, propter quem omnia creata ſunt, experientia clariùs patet, quàm vt rationibus res iſta indigeat. Hinc neceſſariò inferendum, purum ab impuro eſse ſeparandum, vt in vſum hominis res iſta tranſeat, nec purum poſse homini conducere, ſi non impuri facta ſit ſeparatio; quod artificium ſanæ Spagyricæ artis proprium eſt. Vnde factum, vt ſapientiores Medicorũ* quartam medicinæ columnam Alchymiam *ſtatuerint, quæ aliud nihil eſt, quàm ars purum ab impuro ſeparans, prout modò dictum. Id quod perpendere etiam debebant illi, qui ei nihil præter ſeruile officiũ aſcribunt. Huiuſmodi nondum emunctæ naris homines aliter informãdi ſunt ex Libauio, qui ita de ea teſtatur, dum inquit:* Cũ Medicinæ iuuandæ eſſe Chymiam dico, ne putes tàm ſeruilem eſſe artẽ, vt nihil habeat dominij, nec quicquam ſplẽdoris proprij & magnificentiæ. *Si ſeruitium & miniſterium contemtibilem redderet vtique ſcientiam: cùm omnes ſibi mutuò ſeruiant, quænã igitur aliqua dignitate & honore frui poſſet? Non ſemper, nec tantùm miniſtrat Chymia; ſed caput exerit tàm altè, quàm vlla philoſophicarum contemplationũ extulit vnquam. Ipſa enim tantùm in ſui perfectione acquieſcit, & cùm eius opera inſeruiant alijs; primus tamen finis & proprius* *Lib. 1. epiſt. Chymic. ep. 2.*

prius ſeruitium illud non eſt, ſed beata quædam αὐτάρκεια. Deinde reſpondemus illis: in controuerſia adhuc eſse, num medicamenti integritas & vires ſint æſtimandæ a materia certo modo temperata, & num frigida refrigerent, & calida calefaciant, temperamenti reſpectu, an verò formæ, Annon longè æquius videatur, actionem conditione ſine qua non adſcribere, non autem cauſæ præcipuæ? Præterea vobis minimè concedimus, quòd κρᾶσις medicamentorum, quæ in morbos operatur, deſtillatione, aut alia quadam præparatione pereat; quamuis de ea, quæ ex elementorum combinatione pullulat, & qua quodlibet ſibi viuit, atq; conſtat, nihil dicamus. Verumenim verò, ne diutius hac in re manifeſta immoremur, vnicum ſaltem iſtis veræ Chymiæ hoſtibus trutinandum relinquimus; Vtrum Medicus magis ſollicitus eſse debeat de conſeruatione temperiei medicamẽtorum, quam de ipſorum vi, atq; effectu? Illud haud dicetis, (modò helleboro non indigeatis) Nam ſpectatur, conſideratur, addiſcitur tẽperies medicamentorum, propter vim & effectum. Atqui præparatione virtus & effectus medicamentorum variant. Ergò reijcienda eſt illa importuna & phantaſtica ſollicitudo conſeruationis temperiei medicamentorum, imò in hoc magis remis velisq; incumbendum vt debita atq; cõuenienti præparatione vires integras conſeruemus. Ex quibus illud etiam elicimus, quòd nec ſapore, nec odore, res ſemper dijucanda veniat,

niat, licet dicamus, quòd interdum vires pharmacorũ etiam ex illis dijudicari debeant. Quantum autem, vt & quomodo, & quando id ipsum faciendum, optimè à Galeno docetur, & ab alijs abundè etiam explicatur. Aliàs ſtatuendum potiùs cum pręclaro Zvvingero, qui quondam dicere ſolitus, eos, qui res vulgari modo, & notis à veteribus traditis, ſapore, odore, & alijs, cognitas haberent, eorum ſimiles eſſe, qui palatium aliquod, aut magnificè extructam domum, extrinſecus cernerent, atque in atrium & aulam reciperentur; at verò, qui ſolerti & Chymica partium reſolutione, intima quæque ſcrutarentur, eos planè referre, qui in conclauia & penetralia palatij admitterentur, otiosè cuncta, minima, maxima ſpectaturi. *Quapropter ſeriò concludimus: Medici non tam officium eſse, huius vel illius medicamenti temperiem conſeruare, quàm vires, quę vt plurimum ſub illa totius medicamenti temperie, abſconditę latent, nec priùs in lucem emergunt, quàm diſſoluta ſit illa temperies, vti doctè & eleganter diſputat Baucynetus.*

3. de ſim pl. medi cam. facult.

In Not. ad Apolog. & Cenſur. Med Pa ris. Harueti.

Faceſſant igitur veſtrę ſophiſtications, & impudentiſsimę calumnię in Vires longe eminentes, & vndiquaq; celeberrimos, & , ſi quid elegantius poſthac in vtilitatem ęgrotantium operari ſatagetis, ex Schola Chymica & verè Dogmatica, ne pudeat vos addiſcere aliquid. Ab ea enim addiſcetis, e. g. iecoris aut lienis inflam-

matio-

mationem, vel etiam ardentissimas febres, ex sulphure natas, non sola sanguinis missione, & solis vestris decoctis refrigerantibus (quæ immeritò inter instrumentà Chymica referris (extingui debere & posse; sed etiam liquoribus acetosis, ex nitrò, sale, vitriolo, sulphure, elicitis, ac cum liquoribus conuenientibus permixtis, id fieri meliùs etiam posse, experientia certa comprobante. Resipiscite ergò Misochymici, nec in Natura lucem ampliùs, ipsamq; Chymiam, naturalis philosophiæ meliorem partem, admirabilem, humanoq; generi perquam necessariam, tam virulenter euomere stulte. Quam quidem Hermes Trismegistus veram, sine mendacio, certam, imò verissimam, appellat, & quam probant Plato, Eustachius, Suidas, Solinus, Strabo, Plinius, ac innumeri alij.

Porrò nec te absterrere debet eorum arrogantia, Lector Candide, *& mera fatuitas, qui plenis buccis clamitant, quòd præparationes Pharmacopœis relinquendæ sunt, vt indignæ Medici maiestate, cuius est scribere & non operari: imò, inquiunt, interest Reipubl. Medicum à Pharmacopœo ita distingui, vt vnus præscribat, alter operetur, quia, nisi essent distincti artifices, posset vterque, quando lubet, ægrum impunè occidere, possent singuli fel pro melle, venenum pro remedio propinare. Hic (vt cum magno viro, Iosepho Quercetano respondeam) incertus sum, quid agam: an tantas Pseudo Galenicorum*

in def. Medic. Hermes.

ine-

ineptias rideam, num meam sortem apud me lugeam, qui in hoc Studij genus ingressus sim, tanta imperitia & insciti.i scatentes, vt illis Ratio & Experientia (firmissimæ tamen ac tutissimæ Medicinæ columnæ) obruantur, ijsq; subijci ac cedere iniquissimè cogantur?

Tota antiquitas contrarium docet; nec vsque adeò desides Medicos scit, vt omni labore illos liberet. Quod ipsum inter alios Celsus, (vt cæteros studio supersedeamus) Latinorum omnium Medicorum facilè princeps, atq; altera Hippocratis simia, abundè, in præfat. suorum libr. testatum facit, quò te, Lector, remitti mus. Imò nostra tempora non sinunt nos esse Medicos bonos & absolutos sine Alchymia, vt hinc non immerito Mathiolus scribere audeat: neminem Medicum absolutum esse posse, imò ne mediocrem quidem, qui in Spagyrica arte non sit exercitatus. *Quocirca illum demum, cum Crollio, verè genuinum esse Medicum censemus, qui medicamenta debitè cognita non ratione, vt rationales Medici faciunt, sed propria sua manu præparare, & à veneno & feculentijs suis separare, repurgare, & ad puram simplicitatem reducere didicit, eaq; imperito non committere coquo. Præparata postea fide debita, acri iudicio, humanis necessitatibus legitimè accommodat, vt semen morbi euellatur, & hoc pacto omnium ægrotorum querelis fidei celeritate occurratur. Ideò non theoria solum, verùm laboribus manuum, & practica*

potiſ-

potissimum operatrice, discitur Medicina, vb Vulcanus indies noua ostendit, & suauissima remedia, quę quotidiè Natura meliùs meliusq; à superfluitatibus purgat, & operatori suo Oeconomo tradit. Quod ipsum etiam experientia sua comprobare conatus Penotus, dum ita inquit: Sane experimur, facilius esse R. scribere, & ad imperitum coquum ablegare ægrotum quàm in ipsa naturæ penetralia carbonibus, cineribus sordidum ingredi: & promere inde magno sudore, quod ipse ægro exhibeas. *Et hinc illę lachrumę quod nostri temporis magni illi Doctores, qui in vulgari arte Medica consenuerunt, nolunt esse discipuli & tyronos fodere erubescunt: & quia annosa arbor difficulter transplantatur, & veteres canes loris & venationi assuescere difficile est, malunt apertè veritati contradicere, eamq; obstinatè canina voce allatrare, & mordere, quàm errores suos laborando emendare, ne se non satis sapuisse, aut ab alijs aliquid melius didicisse videantur. Quamuis autem clament, Chymicum non esse Medicum, etiamsi peritissimus fuerit; sed qui Iudicio Rationeque (postposita Chymia) singula morbis remedia vsurpare didicit: tamen illi Rationales medici, ad lectum ęgrotantis stantes, (vtimur Crolli verbis) quò se vertant, nesciunt, obstupescunt sępè, & magnorum morborum non curatores, sed saltem adulatores fiunt, siquidem, Ratione, non Manu, medicamenta*

In p̃fat. tract. de vera p̃p. med.

Seuer. n Id. & post eum Croll. in præf.

camenta præparare, didicerũt. Quare ſi ſęculum præſens aſpiciamus, non aliter iudicare licet, quã Chymiam cum Medicina ita indiſſolubiliter coniunctam eſſe, vt non differant; niſi ſicut Theoria à Praxi medica: imò eam à nemine rectè exerceri poſſe, niſi à prudenti veroq́; Medico. Quod ipſum etiam Libauius teſtatur, quum in hæc verba ſcribit: Poſtquam ex Arabica & Græca diſciplina factum eſt vnum corpus Medicinæ, Chymica in eſſentiam quoque artis ſunt recepta, adeò, vt, ſi iterum ſeparanda eſſent, Medicinam haberemus nobili admodum membro mutilatam. *Nec inde tamen (quod volũt pſeudomedici) officia Medici & Pharmacopœi confunduntur, qui Chymiæ operationes viliſſimorum officinas famulorum eſſe, ſcribere non erubeſcunt: Verùm anne longè abiectioribus occupari Medicum videmus, vtpote morbos fœdiſſimos ſæpe contemplando, excrementa inſpiciendo, lue venerea infectos, & alijs vlceribus occupatos, peſteque correptos, & ſimiles, etiam cum ſummo periculo vitæ, inter contagia & fœtores cubiculorum curando. Quidni, cum otium eſt, arcana etiam rerũ perſcrutetur, & per reſolutiones Chymicas, quid ſit in eis occulti, manifeſtet, olea ſuauiſſima deſtillãdo eliciat, aquas iucundiſſimas conficiat, aliaq; ſummi oblectamenti magiſteria, & eſſentias admirandarum virtutum præparet? Quid ſi diceremus, rationem præparandorum*

In Alch. Triũph. cap. 1.

pharmacorum partem esse Medicinæ summè necessariam, imò illum non eam didicisse integram, qui istam omisit? Et sanè quis est, qui non videat, præparatione medicinarum excellentissimarum. Medicum maiestatem suam, non tàm exonnare, quàm simul in proximi sui vtilitatem & sanitatem prudenter, circumspectè, & tutissimè, vt verè dogmaticum decet, adhibere posse? præsertim cum Rex regium quid faciat, quò sanè ornet dignitatem suam, non autem minuat. Ita vt Medicus medica tractet; fabri fabrilia. Multò minus etiam concludunt aduersus nos, dum regerunt, Medicum debere tractare sua pharmacopœum pharmaca, chirurgum chirurgica. Verùm nos dicimus, hæc non tam considerari debent, vt artes subalternæ, quàm vnius integræ Medicinæ partes seu membra. Nec didicit vnquam Medicinam totam, qui vnam partem neglexit. Nihil dicam, an ritè totaliter medicari possit, qui non iuxta omnes partes Medicinam facit. Quamuis contemta & vilis sic reddatur Medicina nostra, nec vbique laudem mereatur: Annon etiam haud paucis, lumen illud Galliæ, Fernelius (*vt veteres silentio præteream*) eiusdem ordinis parum gratus extitit, & maximopere inuisus, quod domestica remedia, quæ amicis periclitantibus exhibebat, non pateretur vulgo in officinas abire, sed domi vel ipse conpararet, vel

Testatur Plauti⁹ in vita Fernelij.

ami-

amicorum paucorum fidei concrederet? *Quod tamen ante nemini vitio datum fuisse constat: Quin etiam in summa felicitate, cum Clarissimo Dn. Sennerto, ponimus, si ea medicamenta, in quibus vita hominum sita est, ipsi etiam Medici componant, nec omnia non rarò indoctis hominibus committant. Concedimus quidem, relinquenda esse pharmacopœorum ministris & famulis sua pharmaca, id est vulgaria, quæ secundum præscriptas in Dispensatorijs formulas consignata sunt, quæ verò sunt specifica, & non cuiuis obuia, quæq; in præparatione Medici prudentis inspectione & opera indigent, non item cuiusuis oculis & manibus pateant. Quod si practici Chymiatri propter varias occupationes sæpè Laboratorium frequentare, laboribusque Chymicis sedulò præesse nequeunt, tum candidis, solertibus, & doctis pharmacopœis potiùs, quàm circumforaneis istis ardelionibus ac pseudo Chymistis, arcanam illam operam committant, illorumque studio medicinas suas conficiant, nisi oleum & operam medendo deperditæ velint.* Instit. med. l. 5. part. 3. sect. 2. c. 1.

Conclamatum igitnr esto: neminem iure elegantis Medici, nostro hoc æuo posse possidere titulum, qui non Hippocratis simul ac Hermetis legitimus hæres ac discipulus fuerit, qui non æquè Paracelsica (Sal, Sulphur, Mercurium) ac Aristotelica, (materiam, formam, & priuationem) intellexerit principia: qui non æquè temperiem, D. Hoff. dict. loc.

vitiatam compoſitionem, & vnitatis ſolutionem, ac morbos Mercuriales, Sulphureos & Salinos, cognouerit: neminem inſuper verum legitimumque ſanandi modum aſſecuturum eſſe, niſi veterem illam cum noua Medicina coniunxerit. Auxilia quidem medica, eorumque genuinum præparandi modum, à Galeno, Paracelſo, & alijs Chymiatris; curandi verò methodum (ſine qua curatio inepta planè & empirica) cum indicationibus & inuẽtionibus ſuis, ab Hippocrate, Galeno, & recentioribus mutuẽtur. Hac namq; via & ratione duæ hæ veteris & nouæ Medicinæ ſcholæ, ſine contradictione, vniri, & in Medico, ſine errore ſcandaloq; notabili, rectè deſiderari poterunt, antiquata priùs damnabili noſtri temporis conſuetudine inoleta, qua bonum vnà cum malo promiſcuè & indifferenter repudiari, ac reijci ſolet.

Croll. in præf.

Ex hiſce abundè videre licet, Lector Candide, *qualiſnam hodiernæ Medicinæ noſtræ ſit ſtatus, & quomodo veræ Chymiæ & Medicinæ initiati erga eam ſe gerere debant, vt tandem in ea maxima cum felicitate, & ſuorum ægrotantium proſperitate, cum Deo verſari poſſint.*

Nunc, antequam dimittendus ſis, Lector, ſcrupulus adhuc vnicus tibi forſitan eximendus fuerit. Nempe ſcias: huiuſmodi materias medicamentarias, & præparationes varias, non eo ſine à nobis in apricum productas eſſe, vt τα μεγαλωϊα illa

illa parachymicorum strenuè defendamus, qui nimis impudenter clamitant, nihil vnquam chymicum esse; quin essentia sit purissimũ, gustu suauissimum, visu gratissimum, viribus tam efficax, vt singulares singularũ sint instar panacearum ad omne genus affectionum morborumq; incredibiliter sufficientes, & ad vsum tam commodæ, delicatæq;, vt nihil tenerius faciliùs, dexterius. Et omnino, quemadmodũ coquus ille Plautinus pollicetur, ex virtute suorum condimentorum, ætatem grandem, & odorẽ mirificè extollit, ita eiusmodi Thrasones & splendidi nugatores ex suis Essentijs promittunt omnia. Verum Chymia tanti non est, vt ab ea expectare liceat ter panaceas, quot absoluit operas. At tantum quidem, potest promittere Chymicus, quantum est in Natura generatrice prima, & vitæ administratrice; Naturæ enim ductum sequimur, vltra quã medicando non assurgimus, etiam in his, vbi maximè præcellere Medici opera videtur. Nihilominus, (vt & hoc addamus) quamuis non assequatur Chymia eiusmodi magnifica καθόλε, multùm tamen præstat, idq; interdum non sine miraculo, præsertim vbi tempestiuè & industriè à solerti Medico adhibeatur eius opera, vt suprà quoq; innuimus. Medicus enim, rectè adhibens agentia patientibus, diuinarum operationum, per Dei gratiam, admiratione minimè carebit. Quocirca vera Chymia magni est æstimanda quidem;

ſed ita, vt nihil ei adſcribatur, niſi quod à Deò per naturam accepit, quodq; Ratio & Experientia monſtrant. Quod exemplo præſtitit nullo, id nolis ei adſcribere; experimentatam enim non niſi cum ratione volumus Chymiam. Hinc optimè Galenus noſter ſcribit, cum inquit: Nouiſſe debet quilibet medicus, quòd omnes antiqui in hoc conſentiant, medicamentum id, quod plures experti ſunt, & naturæ eſt familiarius, illi eſſe longo interuallo præferendum, quod non eſt experientia comprobatum.

Lib. 4. meth. med.

Nil iam reſtat, Lector candide, *quàm vt hiſce lucubrationibus manualibus tuas ſimul addas, &, ſi forte aliquid in iſtis, quod Experientiæ reclamare videtur, repereris, illud non tàm nobis, quàm eius magnitudini & difficultati, adſcribas. Impoſſibile namq; eſt, omnes, etiam minimas, cuiuſlibet præparati* ἐγχειρήσεις *recenſere, atq; ad viuum exprimere; neq; etiam conſultum fore arbitramur.* Lege *ſiquidem* philoſophica cautum eſt, *inquit* Seuerinus, in Idea, vt & initiatis quædam ſint relicta tędia. Nam ita probantur ingenia ac idonea redduntur Philoſophorum ſcholis. Vale. Dabam Cal. April. anno 1618.

pag. 120. edit prim.

EPI-

EPISTOLÆ DEDICATORIÆ.

I.

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS ET DOCTISSIMIS VIRIS.

DNN. CONSVLIBVS & SENATORIBVS REIPVBL. Palæopol. & Kneiphov: apud Regiomontanos digniſſimis.

Dominis & Mecœnatibus ſuis omni ſtudio & obſeruantia perpetuò colendis.

S. P. D.

CHRISTOPHORVS GLVCTRADT, Philoſoph. & M. D.

SI quid eſt, *Conſules & Senatores Ampliſſimi*, quod abuſu illo fero & deteſtabili, magis inquinatum, atque planè contaminatum ſit, herclè è multis MEDICINA noſtra vna eſt. Cum lamentatione enim comperiri quotidiè cogimur, quod quàm plurima flagitioſorum hominum *καθάρματα*, impoſteros & ſanguinis humani hirudines, tanquam ex equo quodam Troiano prodeant. Et ſanè naſci hos ſponte, nō aliter

vt mures Aegyptij & ranæ, vel oriri vt pulices ex lotio canino, putamus. Hinc factum, vt nulla in toto terrarum orbe amplior reperiatur familia, quã Hermetis & Aesculapij, & exinde nulla gens Medicis cõtemtior existat, non quidem propter artem, sed personas, ex omni genere nequitiarum ad Medicinam, vt ad ἄσυλον ἱερὸν quoddam, confugientes. Quis enim histrio, miles, circulator; quis tonsor, seplasiarius, balneator; mercator; qui Parmacopœi elatæ mentis, opifices ignaui, auritabrinepti, non Medici videri pruriunt? Chymię procum se iactitant, eiq;, si possunt, stuprum inferre satagunt. Imò quæ aniculæ, sagæ, veneficæ, pacto forsan cum stygio Plutone inito, morbos quoscunq; eradicare non studeant? Quam ob causam non immeritò apud Ducem Ferrariæ aliquando in prandio motam fuisse quæstionem, legitur, nempe: cuiusnam generis artificij, plures in ciuitate darentur artifices? A varijs varia nominata fuere artificia, donec tandem, sine vllo dubio maximum esse numerum Medicorum, quidam Duci interroganti responderet. Dux autem minùs assentiens responso reponit, dicendo: abundè hac tua responsione probas, te parum in policitis exercitatum esse annè ignorans, in tota hac tam ampla ciuitate vix duos aut tres

reperiri

reperiri Medicos? Inſtat, qui prius reſponſum dederat, vel inde ſatis manifeſtum eſſe, Ducem, grauioribus negocijs occupatum, non habere cognitionem propriæ ciuitatis, aut ciuium. Verùm diu altercãdo tandem fit ſponſio, certa depoſita ſumma pecuniæ. Affirmans, collecturus aſſertionis ſuę probationes, ſequenti mane faciem ad collum obligat faſcijs, ad fores ſummi templi ſe ſiſtit, interrogatus à quolibet prætereunte, quid mali ſentiret, reſpondit: ſe dolore dentium cruciari; quo audito ſinguli, pro amouendo malo, ſua indicabant remedia. Non ſurdo narrabant fabulam: Ipſe enim arrepto calamo & nomina medicaſtrorum & remedia annotat ſingula. Diſcedens deinde à foribus templi, vrbem ambùlat,& à ſibi obuiam factis remedia contra dolorem, quem ſimulabat, impetrat, adeò, vt, ſolo antemeridiano tempore, vltra trecentos annotauerit medicaſtros, vnà cum remedijs, pro amouendo dolore dentium. Poſtea tempore prandij reuertitur in Palatium, &, facie ac collo faſcijs adhuc obligato, ſe Duci conſpiciendum præbet, maximum ſimulans dolore; quod Dux animaduertens conijciebanſque eum dolore dentiũ torqueri, mox ipſi remedium ſuggerit cõtra hunc dolorẽ. Aeger ſimulator affirmat, ſe adhibitu-

hibiturum id remedij, domum ſe confert; & ordine conſignans medicaſtros ſuos, addito cuiuſlibet remedio, Ducis nomen & remedium primo omnium adſcribit loco. Sequenti die ſimulans, ſe ſanitati reſtitutum eſſe, amotis faſcijs, adit Ducem, ſponſionem factam in memoriam reuocans, depoſitumque (quia viciſſet) exigens, eductum indicem ſuorum medicaſtrorum legendum Duci exhibet, qui, primò nomen ſuum legens, & tot aliorum medicaſtrorum, ſubridens fatetur, ſe depoſitum perdidiſſe, mandatque victori pecuniam numerari. Ex hac commemoratione vera, non ficta, *Conſules & Senatores Ampliſſimi*, quænam & quanta ſit Medicinæ nobiliſſimæ apud plebem prophanatio, atque in remedijs præſcribendis impudentia ſumma, liquidò ſatis conſtare arbitramur. Quàm conſcientiosè autem huiuſmodi homunciones agant, videant ipſi, Inde non malè Plinius, *lib.29. c.1.* ſtatuit, dum ſic inquit: In nullo alio periculoſius mendacium eſt, quàm in eo, qui ſe falsò Medicum profitetur; nulli magis, quàm ſe Medicum profitenti, ſtatim creditur, cùm tamen in nullo mendacio periculum maius ſit; negotiantur enim animas noſtras, & experimenta per mortes agunt.

Hinc

Hinc diuinus Plato, multitudinem Medicorum malè conſtitutam arguere Rempub. miſeraſque ciuitates eſſe, auguratur. Ac id quidem non de veris; genuiniſque, ſed morionibus, medicaſtris, vt & caco Chymicis accipiendum, atque intelligendum eſſe, facilè etiam ex *lib.3. de Republ.* colligere licet, cum dicit: Medicis, niſi ex ordine exploratis, exercere artem, fas neutiquam eſto; tum alibi quoque innuere videtur, cum ſic ſcribit: Si quis nouerit ea admouere corpori, quæ calefaciunt, & quæ refrigerant, & quæ aluum ſubducunt &c. deinde pro Medico ſe talis gerat, interrogandus erit, num præterea ſciat, καὶ ὅς τίνας δεῖ, καὶ ὅποτε ὅκαδα τέτων ποιεῖν, καὶ μέχρις ὁπόσε, quibus, quando, quatenus hæc ſingula ſint adhibenda: quod ſi neget, ſe hoc intelligere, certè ijs inſanire, nec pro homine habendus eſſe videbitur. Cum quo etiam conſentire videtur illud Ariſtotelis. 5. *Ethic.* In arte nempe ſalubrium, facile eſt, noſſe mel & vinum, & helleborum; itemque vſtionem & ſectionem: at noſſe, quomodo hæc ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui, & quomodo ita difficile, vt Medicum eſſe. Quod ſi triobolares iſti medici & ſtelliones Chymici animaduerterent, non ita turpiter & temerè ignorantiam ſuam proderent. Hi

enim

enim redicula ſua in Eleuſinijs ſuis ſacris inter ſe muſſitant, omnia veterum placita aſpernari non erubeſcunt: communes itidem præceptores noſtros, Hippocratem & Galenum, planè reijciunt: (quibus monſtroſæ adeò imperitiæ Mulomedici indigni ſunt, matulam vt porrigant) nouam medendi methodum, ſuæ ſtultitiæ congruentem, confingunt: Imò, qui inter doctiores cenſeri ſatagunt, multa de Benedicto quoque Ignis lapide apud vulgus hominum genus blaterant & decantant; verùm fruſtrà hiante ſemper ore; cum Tantalo poma illa fugacia captantes, montes aureos ſomniantes, atque Crœſi diuitias etiam Magnatibus ſpondentes, cùm ipſimet, Iro & Codro pauperiores, vix panis cruſtam habeant, qua eſurientem impleant ventrem, atque vt plurimum ſint fugitiui, pro carbonibus cineres, pro metallis & auro cinerum fauillas micantes, in furno poſt ſe relinquentes. Multi inſuper quoque ſunt rudes & bonarum literarum planè ignari, vt aſini ad lyram ἀπαίδευτοι, cum vix ignem fornaci rectè ſubijcere didicerint, & Medicinæ fundamina ignorantes, ſtatim ex Receptis nonnullis Teutonicis, furto ſurreptis, in Medicos Practicos eximios ſeſe euaſiſſe, ſtultiſſimè ſibi imaginantur, perfrictaque fronte morbos etiam contumaciſsimos curare

rare audent, ita, vt nec Medici Practici titulum præ ſe ferre vereantur.

Huiuſmodi quoque viperæ nocentiſſimę, & baſiliſci ciuitatis, in veſtras haud ita pridem irrepſerunt Ciuitates, *Conſules & Senatores Ampliſſimi*, qui medicinas tam præclaras non rectè & artificiosè præparare, multo minùs methodicè adminiſtrare didicerunt, qui ad imperitum vulgus, inſtar muſcarum corporibus inſultantium, quotidiè aduolant, & verborum dulcedine ac lenocinio, ſicut piſces hamo, decipiunt: aulas occupant, non Academias, vbi plus adulando proficiunt, quàm vera dicendo, & mendicando ampliùs, quã medicãdo: hi verè ſunt Sirenes Orbis, mõſtra Reip. atq; ciuiũ lues, imò, quid enim mentiar, fundi calamitates: nãque

Hi poſſunt homines alto ſuſpendere naſo.

Quid, quòd deceptas etiam ſuas, Receptas dicerem, nemini oſtendunt, prætendentes ὅτι ὁ δεῖς τὰς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων βαλεῖν, tantaque ſecreta non cuilibet eſſe reuelanda; ideoque arcana ſua intra proprios lares conficiunt; hi etiam propolarum inſtar pharmaca in pharmacopolijs emunt, & alijs pompoſis inſignita nominibus, pro ſuis, precio ſatis magno, diuendunt. Quod ſi quis ſe ipſis opponat, tanquã mures in pice hærentes, ad aſylum ignorantiæ, propriam

ex pe-

experientiam, (ſcilicet) confugiunt ignari vulgaris verſiculi:

Non medicos tantum facit Experientia doctos:
Qui facit artifices vſus, ab arte venit.

Hoc malum quoniam adhuc eſt recens, atque profundas nondum egit radices, enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur. Verùm probè mihi conſcius ſum, hoc non mearum viriũ, neç muneris eſſe, ſed legitimi & prudẽtiſſimi, à Deo benigniſſimo clementiſſimè nobis conceſſi, Magiſtratus officij. Quare, *Senatores prudentiſſimi, Patres Patriæ,* Rebuspublicis veſtris conſulite, &, ad Monſpelienſium, Noricorum & Auguſtanorum exemplum, eiuſmodi inutilia corporis Reip. mẽbra recidite, Medicaſtrorumq; ignauum pecus, & ſcarabeos à præſepibus medicis arcete: ac memores ſimul conſtitut. Criminal. Caroli V. & legis Conſtantini, extra vrbium pomœria eijcite. Comparabitis hoc ipſo Rerump. Veſtrarum ornamentum, atq; multarum aliarum exemplum imitatione dignum & nobile ſtatuetis. Quod ipſum quoque ſuadet Petrus Gregorius Tholoſanus, *lib.* 17. *de Republ. cap.* 9. cum inquit; In Republ. benè cõſtituta, non admittantur Medici, niſi probati & iurati. Hoc ita vt fieret, etiam atq; etiam vnicè exopto. Interea munuſculum hoc literarium Chymico-Medicum, quod, quamuis

exi-

exiguum, attamen gratum fore, minimè dubito, V. A. conſecrare decreui, tùm vt hoc ipſo meum erga V. A. qualecunq; inſeruiendi ſtudium humiliter declararem; tum etiam, vt V. A. tutela & patrocinio, hoc qualecunq; opuſculum, à viperinis Momorum inſultibus ſaluum atq; tutum præſtaretur: id quod ſumma animi ſubiectione & deuotione mirificè à Vobis contendo.

Deus Opt. Max. V. A. quàm diutiſſimè ſuperſtites ac florentes conſeruet: & conſilia ſana ſuppeditet: vt, ſcopitis omnibus diſcordijs, in Veſtris Rebuspubl. aurea & optata pax ac tranquillitas vigeant & floreant perennè.

Datum è Muſeo noſtro, anno Chriſtianæ æræ 1618. ipſis Calend. Aprilis.

II.

Admodum Reuerendo, Magnifico, ac Generoso Viro,

DN. IACOBO à BOMSDORF,
IN SEITVVAM, NIEMISCH,
& Grosdrenzig, Illustrissimi March. Brandeburg. Consiliario, Marchionatus Inferioris Lusatiæ Directori,
Capitaneo in Schenckendorf, & design. Commendat. Dn. & Patrono meo plurimùm colendo:

NEC NON

Amplissimis ac Prudentissimis Viris,

Dn. Consuli & Senatoribus
Reip. Sprottauiensis.

Dnn. Consanguineis & Adfinibus meis honorandis.

S. P. D.

IEREMIAS BARTH, M.D.

PRisco seculo, *Patroni*, cum quis vti Plinius, sagacissimus de Rerum Natura scriptor, refert, ex periculosiori morbo feliciter eluctatus esset; Religione is obstringebatur, remedium, quo conualuerat,

rat, tabellæ inſcribere, atque eam, in Æſculapi templo, publicitus ſuſpendere. Talis è marmore, in *Inſula Tiberina*, Romæ eruta, ex templo Æſculapi, vſq; ad hunc diem, apud Maphæos, conſeruari dicitur; in qua Græcè hæc, Latino ſermone reddita, leguntur. *Lucio affecto lateris dolore, & deſperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus; veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vna cum vino cōmiſceret, & poneret ſupra latus, & conualuit, & publicè gratias egit Deo: & populus congratulatus eſt illi.* Cum itaq; lapſu temporis, magnus hiſtoriarum eiuſmodi Medicarum, & variorū experimentorum, aceruus, innumera multitudine ſymbolam ſuam eò conferente, hinc inde cōgeſtus haberetur: Hippocrates tandē.

Eandem, & nunquam ſatis laudatam, conſuetudinem ſi Chymici, à quo tempore Theophraſtus Paracelſus ab Hohenhaim, Vir admirabilis & incomparabilis ingenij, medicamenta puriùs præparare, ex Chymicorum arcanis, obſcurè docuit, obſeruaſſent, &, pari religione, ἐγχειρήσεις & experimenta ſua, tabellis publicis inſcripta, literato Orbi communicaſſent: vtiq; non tantùm medicamenta nobiliſſima, & θεῶν χεῖρας, ad contumaciſſimos quoſq; morbos radicitus auerruncandos; ſed etiam abſolutiſſimum artis ſpagyricæ ſyſtema, ad iuuentutem Medi-

cam,citra ambages, & inutiles ſumtus,in ea erudiendam,iamdudum haberemus. Verùm ea fuit omnium hactenus inuidia, idq; præpoſterum occultandi ſtudium ac labor: vt non tantùm à ſe inuenta artificia ſpagyrica, tanquam Eleuſinia ſacra, celarint: ſed veterum etiam arcana, ſimpliciori apertiorique orationis genere propalata, impoſtoria perplexitate,& notarum hieroglyphicarum obſcuritate,in tenebras, ipſis Cimmerijs & Aegyptijs denſiores,cõiecerint. Nimirum ſi legas, quæ Chymici literarum monumentis prodiderunt:quid aliud in ijs inuenies,quàm *Azoth*, *Anathron*, *Vſifur*, *Rebis*, *Sernec*, *Kibric*, *Realgar*, *Saltaberi*, & quæ ſunt aliæ innumeræ vocum quiſquiliæ & excrementa? Quod ſi etiam Chymicum de præparatione aliqua, fortè diobolari,interroges: œſtro is inuidiæ, Chriſtiano homine indigniſſimo, percitus, nihil aliud admurmurabit; (quod non rarò cachinnos mihi mouit) quàm ſemeſa aut tertiata verba, inſtar Horatianæ aut Lucanicæ ſtrygis, manes ex inferis prouocantis. Nec dubitandum: quin & adhuc quidam morоſi Ciniflones, & à nimia ſecretorum Chymicorum farragine faſtuosè turgidi, ſi vomitorium aliquod Helleboratum ipſis exhibeatur, eructaturi ſint, *Leones rubros*, *Aues Hermetis*, *Lacertas viridis*, *Serpentes*, *Dracones*,

Tauonis

Pauonis caudas, *Veſpertiliones*, *Corui capita*, *Cœlumq; cum omnibus Planetis*; non aliter atque Lexiphanes ille, in *Dialogo antiquario*, qui hausto ſimili ſucco, vehementi impetu, *topper*, & *lembus*, *redantruo*, *gnarrures*, *aſcalobation*, *carlaſter*, & huius generis alia, multis abhinc ſeculis deſita vocabula extrudit. Vnde facetiſſimè hoc hominum genus, ab aliquibus coquo illi Plautino, in Pſeudolo, aſſimilatur, qui contemtis vulgaribus condimẽtis, Coriandro, Fœniculo, Allio, & ſimilibus, ſuum crepat & ſuperciliosè commendat *Cicilendrum*, *Polindrum*, *Sancaptidem*, *Cataractriam*, *Happalopſidem*; in quorum odore, vbi is in cœlum volauit, cœnet Iupiter quotidie, & quibus qui veſcatur, viuat vel ducentos annos. Verum vt omnes artes, tàm liberales, quàm manuariæ, à quo tempore ars Typographica à Germanis noſtris inuenta eſt, mirum in modum excoli cœperunt; vt nihil ferè, quod ampliùs ipſis addi poſſit, vel ornamenti, vel perfectionis, reliquum eſſe videatur: ita & Chymia, in ſolatium planè, delitiumque humani generis, diuinitus conceſſa, non tantùm magis magiſq; expolita & aucta eſt; verùm etiam, ante pauculos annos, ad tantum ſplendoris & dignitatis faſtigium, fruſtra ringentibus Puritanis Galenicis, euecta: vt eam Viri quidam præſtan-

tiſſimi, in diuerſis Academijs, abſque fucō tropis & ænigmatibus, docere ſint aggreſſi; ſuoſque auditores ad fornaculas Chymicas, quò variarum præparationum ſpectatores eſſent, adſtare curioſos voluerint. Inter illos, ni fallor, (quod tamen pace aliorum dictum velim) & tempore, & auditorum cùm multitudine, & dignitate; tùm, ex omnibus Europæ regnis varietate, & præceptorum formularumq; candida perſpicuitate, facilè primus fuit IOHANNES BEGVINVS, Lotharingus, Regis Chriſtianiſſimi Eleemoſynarius. Cum enim Ioſephus Quercetanus, ὁμαναρίτης, ſcriptis ſuis valde facūdis & diſertis magnam famam, vbiq; locorum, de ſe concitaſſet, & nemo non in ſpem nouorū, in praxi Medica, miraculorum certiſſimam mirificè erigeretur; ſi modò remedia ipſius, quæ hinc inde ænigmaticè deſcripſerat, & plenis buccis, more ſuo, deprædicarat, è metaphoris eruerentur: Hic, pro ſua probitate, Pariſijs, in celeberrimo illo omnium artium emporio, & totius Vniuerſi compendio, ludum aperuit, & diſcipulos ſuos ac ſpectatores, (Nam & Principes, Comites, Nobiles, Conſiliarij, Doctores, nouitate huius Profeſſionis allecti, officinam eius Chymicam interdum frequentabant) inutilibus prolixiſque commentationibus, & varijs remediorum

deſcri-

deſcriptionibus, non ornauit: ſed omnes, cùm ſolutionis, tùm coagulationis ſpecies, ad oculum, præparatis nobilioribus crypticis, Quercetani & aliorum medicamentis, candidè ſimpliciterque demonſtrauit: ſtomachantibus interim reliquis Artificibus ſpagyricis, & conclaue ipſius, effracto binis vicibus oſtio, deprædantibus, medicamentaque omnia, & aduerſaria aureola, furtim ſceleſteque ſurripientibus, & tantùm non cerebrum ipſi excutientibus, quòd eiuſmodi publicam myſteriorum apocalypſin ex ipſa mente animi auerſarentur, & non minùs hunc theſaurum, quàm Pici aurum ſuum ſolent, clam habendum cuſtodiendumque cenſerent. Cum itaque & ego ſub idem tempus decurſu Medicinæ Galenicæ ſtadio, in Galliam veniſſem; & Sedani in conſilijs Clariſſimorum Medicorum, *Riuieri*, *Quercetani*, *Turqueti*, *Louisi*, & diuerſis remediorum formulis, ab amicis, liberali manu, communicatis, quàm remedia Chymica, etiam metallica, quæ aliàs Medicinæ Candidatos, & laurea Doctorali ornandos, publicè & ſolemniter in Academijs eiurare, non ſemel audiueram, ſummo cum fructu, intra corpus, exhiberi poſſent, animaduerterem; & medicamentorum, à Bonnæo,

exercitatiſſimo Chymico, fortiſſimiq; Heroïs, Ducis Bullionæi, in arce & caſtello iſtius vrbis, Pharmacopæa maximè induſtrio, præparatorum, felicem vſum quotidie obſeruarem: deſij cum vulgo artem laudatiſsimam imperito calculo damnare; Antimoniũ & Mercurium in mundi & Naturæ exilium eijcere: cœpiq́ue ſcripta optimorum autorum, licet à ſaliua, quam antehac imbiberam, diſcrepare viderentur, ad ditandum meum peculium Medicum, aſſiduè lectitare, Bonnæum, eiuſque fornaculas interdum, ſi obſcuritates & difficultates ſe offerrent, conſulere; ac tandem conſilium, de adeunda Lutetia, propter Beguinum, ibi docentem, capere. Atque vbi, fauente deo, in deſideratiſſimam illam ſcholam adpuli, & optimo illi viro ingenij mei agellum, Chymicis cùm pręceptis; tùm ipſa ἐρχειρήσεων αὐτοψία, vberiùs excolendum concredidi: non tantùm ſpinoſas argutias, & inanem dubitationum, ac quæſtionum prorſus Logicarum, in re Medica diſquiſitionem, qua tempus à Philiatris, vulgò in Scholis, inutiliter teri animaduertebam, ſum deteſtatus, & ingenioſam remediorum ſpagyricorum inueſtigationem, artificioſam eorundem præparationem, prudentemq́ue à diuerſis præclaris Medicis adminiſtrationem, ſummoperè

moperè admiratus : ſed etiam author ipſi extiti, & ſuaſor: vt, quæ domi doceret & & præpararet, libello aliquo comprehenſa, vniuerſæ Reipub. Medicæ, abſque verborũ inuolucris, communicaret: ad eamq; rem meam qualemcunque opellam officiosè obtuli.

Prodijt igitur tum *Tyrocinium* eius *Chymicum*, typis Pariſienſibus excuſum: quod ſtatim, vbi, in nundinis Francofurtenſibus, venale fuit expoſitum, & in omnia Europæ regna diſtractum eſt, & in Germania, intra pauculos annos, quarta vice, rurſus excuſum, & in aliquot eius Academijs, à Clariſſimis quibuſdam Profeſſoribus, priuatim ſtudioſis Medicinæ explicatum, ad veritatisque Practicæ amuſsim ritè examinatum. Quod vbi Author, ex amicis Germanis, reſciuit, mirum, quàm fuerit lætatus, laborem ſuum viris doctis probari; & iuuentutem ſtudioſam inſignem, ex eius diligenti lectione, & medicamentorum ad illius præſcriptum, præparatione, fructum capere: hocq; ſtimulo excitatus, libellum ſuum reuidendum, corrigendum, & augendũ ſumſit: quem Gallicè literis commendatum poſteà ad Me miſit: vt Latio donarem. Verùm eæ erãt tum temporis meæ occupationes, vt, etiamſi, pro meo erga ipſum amore, gratificari ei quàm maxi-

mè vellem: tranſlationi tamen eorum, quibus Tyrocinium ſuum ditarat, vacare tùm neutiquam poſſem. Vnde moræ is pertæſus, (imprimis cum reſponſum meum, neſcio, cuius culpa, ad ipſum non perlatum eſſet) & precibus Gallorum continuis adductus, Tyrocinium illud recognitum, nomine *Elementorum Artis Chymicæ*, vernaculo idiomate, typis exſcribi publicis curauit: exſcriptumque & mecum communicatum, vt in Latinum transferre ne grauarer, obnixè rurſus à Me petijt & contendit: annexa promiſsione ampliſſima de ſubmittendis arcanis,& experimentis, quæ à tempore diſceſſus mei collegiſſet; ſi laborem iſtum non detrectarem. Quocirca vt Præceptori animum fidelis inſtitutionis memorem probarem, & verum eſſe vulgatum illud Comici: *Quod bonis benefit beneficium: ea gratia grauida eſt bonis*; reipſa confirmarem; amicorum etiam quorundam, ad editionem hanc maturandam, adhortationi ſatis facerem: non tantùm ea, ex Elementis Artis Chymicæ, quæ nondum Latinè proſtabant, candidè interpretatus ſum: ſed etiam ipſemet multa pro ea facultate, quam Author, in literis ſuis, Mihi conceſsit ampliſsimam, correxi; & inſigne, cùm notarum maximè neceſſariarum, tùm præparationum, vt rariſſimarum, ita

nobi-

nobiliſsimarum, auctarium pro meo erga ſtudioſos huius Artis affectu bene volentiſsimo, ex penu mea depromtum, & pluribus alijs floſculis ſpagyricis, ſi laborem hunc meum, Chymiatris, & alijs, gratũ acceptumque eſſe cognoro, olim bono cum Deo, exornandum, adiunxi.

Cur autem, PATRONI, veſtro nomini Clariſſimo, Nobiliſſimoque, libellum hunc inſcribere voluerim: multæ grauiſsimæque fuerunt cauſæ. Ac Tibi quidem, *Generoſe Dn. Capitanee*, ſi quæris, quid me impulerit, quòd libellum hunc Medico-Chymicum dedicatum iuerim, verbo dicam: *Admiratio tuarum cùm virtutum, tùm fortunæ.* Vt enim ab Illuſtribus huius Marchionatus Ordinibus, in locum Clariſsimi Viri, *Dn. Gothofredi Vveidneri*, nunc in incluta Academia Francofurtana Profeſſoris digniſsimi, Sprottauia, euocatus, in hanc prouinciam veni, & curioſiùs de præcipuis illius Luminibus & Numinibus inquiſiui: nemo fuit, qui T. M. Patrem patriæ, Nobilitatis decus, conſilij, ſapientiæ, doctrinæ, omnis deniq; virtutis aſylum, non dixerit. Et ſanè poſtea quam nunc inodiũ ſalis in hac Terra iam abſumſi, & ſæpiuſcule familiãri tua vſus ſum conſuetudine: veriſſima eſſe deprehendi, quæ viri eximiæ prudentiæ & acerrimi iudicij, [inter

quos

quos erat & Magnificus *Ianus Georgius à Schonaich*, *ὃς ἐν ἁγίοις*] de Te ſincerè prædicarant. Quod ſi, Me auribus hoc Tuis dare, & palpum Tibi obtrudere, exiſtimas: eò Te redigam ſanè ingenuitatis, vt, illud ipſum ampliùs negare, non neceſſe habeas: quicquid, pro innata tua modeſtia, nunc tergiuerſeris. Nam quid ardui, hiſce imprimis turbulentiſſimis temporibus, hic deliberandum ſuſcipitur, Tuo prudenti conſilio, vnde *Directoris* titulum, & re, & nomine, iam annos aliquot, meritiſsimo iure, & ſempiterna cum laude, obtines, quod non dirigatur? Quis eſt ex Tua gente, quæ vt nobiliſsima & antiquiſſima: ita in hoc diſtrictu ampliſsima eſt; immò ex vniuerſo Ordine Equeſtri, quis eſt, qui T. M. non adſurgat; ad eam, tanquam ad portum, conſilij, ſapientiæque refugium, in cauſsis intricatioribus, non accurrat? Cur Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimis *Marchiones Brandeburgici, Magiſtri Ordinis S. Iohannis*, Te, præ reliquis, ad *Cæſaream Maieſtatem* legatum; in diuerſis ſuis ad *Principes* itineribus comitem ſibi delegerunt? Cur Ijdem *Te* in numerum ſuorũ *Conſiliariorum* cooptarunt? Ijdemque iam dudũ ſacris eius Ordinis initiarum *Commendatorem* deſignarunt? Annon, quia idem, quod nuper (*Te* quidem non audiente) Conſiliarij Cæſareæ Maieſtatis primi-

primipilares, ſenſerunt? *Te* nempe virum eſſe πολλῶν ἀνταξιον ἄλλων.

Etſi autem hæc admiratio tuarum cùm virtutum, tùm fortunæ; quando iuuenis adhuc, & grauiſſimis deliberationibus adhibitus, ea de *Te* ſenilis prudentiæ documenta in *Dicaſterio Prouinciali*, & *Conuentibus Ordinum publicis*, præbuiſti: vt indies non tantùm ad priores dignitates maior facta fuerit acceſſio: ſed vt etiam nunc temporis nemo ſit, qui Tibi olim Illuſtriſſima quæque honorum magmenta non decernat, magno Mihi fuit incitamento, vt à clariſſima nominis Tui nobiliſsimi luce ſplendoris aliquid libello huic meo mutuarer; tamen non minùs & illud Me exſtimulauit; quòd *libellus* hic medicamenta quædam contineret, quæ hactenus T. M. ad tuendam valetudinem, quandoque afflictiorem, commendaram: vt nimirum videres; Me ea, quæ Priuatim ſuaſiſſem, in publicum Famæ theatrum producere, & doctiſsimorum virorum cenſuris & examini ſubijcere, non vereri. Nec illud reticendum: quòd cùm, poſtquam Nobiliſsima & honoratiſsima Tua Coniux, ante ſeſquiannum, deſideratiſſimum *hæredem maſculum*, felici enixu, peperiſſet; Tu, ſingularem Tuam erga Me benenolentiam, honoraria inuitatione, qua Me

ἀνά-

ἀνάδοχον baptiſmo filioli adſtare voluiſti, tum teſtatam feceris: Ego vitam Mihi acerbam eſse hactenus putarim, niſi, publico aliquo monumento, Meam etiam erga Te obſeruantiam oppignorarem.

Vobis verò, *Prudentiſſime Conſul, & Senatores Patriæ ſpectatiſſimi*, vt laborem hunc meum nuncuparem, non pauca me etiam incitarunt. Mira enim ſemper fuit *Sprottauienſium* in ſtudium Medicum propenſio & inclinatio: quam *nouem Doctores Medici*, ex vrbe veſtra, & *Candidatus vnus*, peſte, præmaturè abreptus, luculenter atteſtantur; laurea Appollinari, intra annos aliquot (vt alios, ante pubertatem meam, piè defunctos, ſilentio hic inuoluam) ſolemniter in Academijs, impetrata. Cui acceſſit: quod à viris fide dignis acceperim: eam eſſe de medicamentis Chymicis apud vos exiſtimationem; vt in vrbe veſtra plerique morbi arcanis & ſecretis ſpagyricis percurari nunc temporis ament: ac propterea non ingratum vobis fore purarim, ſi hanc myſteriorum quorundam explicationem, quam ex veſtris nonnulli iamdudum vnicè deſiderarunt, Vobis conſecrarem. Deniq; & quod palmarium erat: cum vacante, ante annos aliquot, Phyſici Patrij loco, Vos Me, tùm à peregrinatione mea reducem, dignum

gnum iudicaritis, quem functioni isti præficeretis: Ego hactenus non conquiescendum duxi: nisi meam erga vos gratitudinem, chartaceo aliquo munusculo, publicè rursus contestarer: præsertim cùm in isto meo officio, apud Vos, & benedictionem diuinam abundè sensissem; & suauissimè Vobiscum vixissem. Habet enim *Sprottauia* non tantùm, secundum anagramma, à *Tscheuschnero* vestro, viro optimo, ingeniosè excogitatum, SAT PRO VITA: verùm etiam ea est vestra in Reip. administratione cura, fides, & prudentia, ea denique, inter Vos & ciues vestros, inter Curiam, & Scholam, concordia & harmonia; vt in his, vel ipsius iudiciosissimi *Monaui*, τοῦ ἐν ταῖς εὐλογίας sententia, cum præcipuis & celebrioribus Germaniæ Rebuspubl. paria facere, & ciuibus ibi non nisi bene esse possit.

Accipite igitur, *Patroni*, æstimatores literarum elegantiorum accuratissimi, comitate solita, hanc qualemcunque meæ erga Vos pietatis & obseruantiæ perpetuùm duraturæ arrham, Meque imposterum quàm commendatissimum vobis habere pergite. Valete. Dabam Gubenæ, anno c l ɔ l ɔ CXVIII. die XVI. Septemb.

EPI-

EPISTOLÆ BE-GVINI ALIQVOT

Ad

IEREMIAM BARTHIVM, D.

I.

QVod hactenus ad Tuas proximas non reſponderim : in cauſa fuit N. qui ſcripta iſta, quæ nunc accipis, nondum miſerat. In *Tyrocinio Gallico* totus nunc ſum : vt id quàm primùm typis noſtris excuſum prodeat. Mittam id Tibi poſt : vt, quæ hinc inde correxi, eadem in *Latina editione* corrigenda & augenda ſuſcipias. Quà in re, quin Te facilem, pro noſtræ amicitiæ iure, præbiturus ſis, nihil dubito. In *tranſmutatione metallica* hactenus quòd deſudarim ; rectè auguraris. Sed exiguo cum fructu ; deceptus ab N. qui, vnà cum alio Nobili Germano, paſſus fuerat ſibi imponi, ab iſto Heluetio, quem aliquando apud Me vidiſti. Nobilis enim ille quadringentos coronatos iſti Heluetio dederat, vt rationem figendi Mercurium, in ſolem, ſibi ſincerè monſtraret, & N. ſemper præſens eſſet, & operaretur. Annuit ille, & interim ſcelectam fraudem medita-

ditatur, hominum, quotquot viuunt, facerrimus. Dum enim simul crebrò conuiuantur, & compotant veterator iste vasi, quo operatio perficiebatur, aliud cum sole clam substituere statuit, atque ita vtrumque eludere. Quod consilium vbi mastygi ex voto successit: venit ad me N. ἐπινίκιον canens, & εὕρηκα illud subinde inclamans. Quærenti, quid causæ sit, & cur adeò tripudiet; enarrat is, quàm Mercurij fixationem, in verum solem, ex insperato addidicerit. Miror ego: &, vt processum Mihi, amico suo intimo, reuelet, peto. Quod dum facit; dolum statim subodoror, &, quàm inanis sit futurus labor, si secundum istum modum *quis* operari velit, ad oculum demonstro. Ille verò in sententia perstare, & Iouem lapidem iurare, quod processus esset verissimus: siquidem, sua ipsius manu, iuxta istum modum, fuisset operatus. Cessi igitur tam sanctè deieranti: & operationem, ad præscriptum illius nebulonis, Heluetij nimirum, institui. Sed cum non succederet, & aurea nostra spe frustraremur: scrò tandem N. sapuit. A quo autem tempore Tu in Germaniam reuersus es, *septingentos coronatos*, mea Philosophia, lucratus sum; cumque pretiosiora & vtiliora, quam hactenus, ad praxin Medicam, conficere me

pos-

poſſe nullus dubitem: vix ampliùs collegium aliquod priuatim habiturus ſum. Omninò enim ſtatuo; quòd modum *eliciendi ex omnibus medicamentis purgantibus ſimplicibus ſales Armoniacos*, qui exigua doſi ſuauiſsimè purgabunt, certo teneam. Initium præparandi illos, DEO volente, faciam quam primùm. Tibi autem perſuadeas, velim, quòd nihil vnquam rari aut elegantis, in hac arte, habiturus ſum, cuius Te, pro amore & meritis tuis in Me, non ſim facturus participem. Nunc modum iſtum Tecum non communico: quòd illius nondum fecerim periculum: & religio Mihi ſit, Te fortè decipere, & ad inutiles faciendos ſumptus pellicere. Quàm primùm verò illum expertus fuero bonum & probatum: habebis illum etiam, bona fide, vna cum alijs. Vale. Dabam Pariſijs, die VI. Martij, anno clɔ. lɔ. CXIII.

II.

AQuo tempore, ſuaſu & inſtinctu tuo, *Tyrocinium Chymicum*, publicæ vtilitatis gratia, in lucem emiſi: non deſtiterunt Me rogare multi ex meis diſcipulis, vt editionem Gallicè reiterarem, & doctrinam de tribus principijs fuſius explicarem. Cum

igitur nullum rogandi & adhortandi finem facerent: tandem adduci me passus sum: vt non tantùm doctrinam de tribus principijs prolixiùs illustrarem; sed etiam, vt mendas, quæ hinc inde occurrebant, corrigerem, & de nonnullis explicatiùs differerem. Auctarium hoc nunc Tibi mitto, mi BARTHI: & abs Te, pro summa nostra amicitia, peto: vt illud in Latinum transferas, & translatum quàm primùm ad Me referri cures. Si verò libuerit id in Germania typis exscribendum dare: & id Mihi gratum fore, ne dubites. Ego sanctè tibi, vt aliàs sæpè, polliceor: Me omnia, quæcunque in hac arte habuero, arcana, & ipsa experientia comprobata, fidelissimè tecum communicaturum. Hactenus tanta negotiorum mole pressus sum, *vt salibus ex simplicibus vegetabilibus charbarticis* eliciendis vacare nondum potuerim. Interim participem Te faciam istius praxeos: siquidem eius adeò cupidus es, modò priùs intelligam, has Tibi rectè esse redditas. Vale. Dabam Lutetiæ Parisior. anno clɔ lɔ CXIV. die XXVIII. IanuarI.

III.

QVas ad me dediſti, Menſe Octobri, anno ſuperiori, Ego hoc demum menſe Februario rectè accepi. Gratiſſimæ autem illæ mihi fuerunt, multis de cauſis: imprimis verò, quod, cum ob infelicem caſum, & deſperatam optimi Bonnæi noſtri valetudinẽ, mœrore ferè contabeſcerem, Te in viuis adhuc eſſe, intelligerem. Biennium enim eſt: ex quo nihil de Te, aut rebus Tuis, audiui. Immò Abel noſter, ex Italia reuerſus, Illuſtres Comites Ortenburgicos, quos, officij cauſſa, Patauſ ſalutarat, pro certo & condolenter ſibi confirmaſſe, retulit, quòd in Belgio mortuus eſſes. Sed congratulamini Mihi, amici: filius meus mortuus eſt, & reuixit. Certè, credo, Te in longinqnam terram, cum filio prodigo, abiuiſſe, vbi amicorum, qui Te amant & honorant, non fueris recordatus. Quid eſt, quod ſcribis, Te aliquoties ad Nos dediſſe literas; cùm neque Bonnæus, neque Ego, vllas earum, intra biennium, viderimus? O quam refrixit amor tuus erga Nos! Hoccine autem pollicitus es Nobis, cum hinc diſcederes? Ego felicem Me prædicarem: ſi labores & experimenta mea Tecum communicare poſſem.

Sed

Sed quid faciam ? cum ignorem; an & vbi viuas; & num in priſtino amore, cùm erga Me; tum erga Chymiam, conſtanter perſeueres. Sed hæc hactenus. Nunc mitto *Tyrocinium* meum nouum *Gallicum*, nomine *Elementorum Chymiæ* editum & impreſſum. Id peruelim, *Latinitate* abs Te donari, & typis excudi Germanicis. Officium Te Mihi, ſat ſcio, hoc opere exhibebis: ſi promiſſi memor es; ſi me, vt antehac, amas: immò ſi Reipub. Medicæ benè conſultum cupis. At qui non cuperes ? Noui enim adhuc: quibus rationibus Me promoueris, vt libellum hunc in publicum emittere primùm auderem. Inter illas autem non poſtrema erat, vtilitas publica, quæ non tantùm ad ſtudioſos artis Medicæ & pharmaceuticæ, ſed etiam ad ipſos Doctores quoſdam, inde redundatura eſſet. Sanè, ex toties reiterata huius libelli editione, facilè conijcio, iſtum qualemcunque laborem nonnullis gratum fuiſſe & vtilem. Nam *omnibus qui placeam ego, cùm nec omnes Mihi?* Quod ſi igitur vtilitas publica etiamnum Tibi cordi eſt, & curæ: non grauaberis, hunc laborem in Te ſuſcipere, &, hac ratione, de Chymiæ ſtudio, quod ampliſſimum, & nondum perfectè excultum eſt, benè mereri. Integrum Tibi eſto: ea, quæ occurrunt, dubia reſecare, & alia, pro iudicio Tuo, ſubſtituere, & qua-

drata mutare rotundis; præsertim in iis, quæ in pagellis aliquot, pro adstruenda quarundam præparationum veritate, consignata habes. Equidem ipsemet laborem hunc subirem. Sed quæso, cur scriptionibus vlteriùs Me defatigem? cum non obscuris indicijs colligam, Me breui ex hoc mundi ergastulo emigraturum. Annon satius igitur, quicquid vitæ restat, Chymicis laboribus potiùs, quàm scriptionibus, terere? Cùm isti me oblectent; hæ verò Me perditum eant. Quod ad *experimenta* mea attinet, nullum eorum accipies, antequam nomen tuum in tabulis meis expungas, h.e. antequam ternis literis compensaueris id, quod toto biennio abs Te neglectum. Vale. Dabam Parisijs, anno clɔ lɔ CVI. die X. April.

CAR-

CARMINA ENCOMIASTICA.

I.

Ad
Excellentissimum Virum

D. CHRISTOPHORVM GLVCKRADVM vtriusque Medic. Doctorem, BEGVINI TYROCINIVM cum notis euulgantem; amicum suum.

MVtua quin tandem seponant scommata, quiqui
Curandis morbis inuigilare solent.
Nomen, honosq; tuus, laudesq; GALENE, manebunt;
Et laudes; HERMES, nomen, honosq; tuus.
Exoriare aliquis; qui, qua dum, mutua tollas
Prælia; nam Medicæ pars decet artis opus.
Fallor? an id tentat SENNERTVS? tentat; & ausim
Dicere, pertentat: sat citò satq; benè.
Tu, GLVCKRADE, tui BEGVINI scripta reuoluis;
Et varijs ditas non sine fruge notis.
Hinc velut è locuplete penu medicamina promis.
Quæ solers Chymiæ cura laborq; parant.
Istis pro meritis Phœbæos inter alumnos
Te, GLVCKRADE, tuum nomen, honosq; manent.

Georgius Lothus D. Medic.
Publ. Profess. & Medicus
Aulicus.

Viro

Viro Excellentissimo.

D. IEREMIAE BARTHIO,

Philosopho & Medico, vt & amico optimo.

BEGVINI CHYMICA EX POSTREMO

opere Auctoris Gallico Latinè reddenti

S. P. D.

CASPAR DORNAVIVS.

BARTHIVS exornat linguæ Latialis amictu,
Quæ Gallus Gallo promsit BEGVINVS ab ore;
Adstruit imò noui magmentum illustre laboris.
Dignus is Ambrosia, Dapibusq; & Nectare dignus,
Extera qui Patriæ confert bona, commoda vitæ.
Ipse quidem Ausonia iamdudum est voce locutus
Autor, & omnigenum volitauit ad ora virorum:
Postera sed quæcunque dies dictauit, & vsus,
Hoc dedit extremo, imponens colophona, libello,
Qui BARTHI cultu splendescit veste Latina.
Quam multa ingenij seruant monumenta, paternæ
Scripta sono linguæ, Hispani, gens Italia, Galli;
Vnde effloreret regnum Virtutis & Artis;
Si calamum interpres modo conferat osq; disertum.
Hoc opus est curare Ducum, Regumq; Dynastumque,
Et quos florentes opibus sors ditat opima.
At nos prodigimus turpi patrimonia luxu,
Et lusu, & potu immensaque voragine ventris;
Aut Martæ atterimus vires, & litibus aspris.
Scurris constat honos, & habet sua præmia Mimus,
Qui dare verba potest & dulcis toxica linguæ,
Indonata iacet virtus, & docta Camœna
Vix habet, vnde sitim sedet, stomachique latratus,
Ergo viri præclara opera intentata relinquunt,
Quos doctrina vehit super aurea mœnia mundi.
At tibi nos, BARTHI, mansuram ponimus aram
Mnemosynes fano, & tabula pia verba notamus,
Quæ Fama in varij plagas ebuccinet Orbis:
BARTHIVS *antetulit (rarum) bona publica priuis.*

INDEX CAPITVM

LIBRI I.

TYROCINII CHYMICI.

Cap.		Pag.
I.	De definitione Chymiæ.	1
II.	De Solutione in genere.	26
III.	De Calcinatione.	44
IV.	De Extractione.	60
V.	De Coagulatione.	93
VI.	De Lutatione.	96

LIBRI II.

Cap.		Pag.
I.	De canonibus ad deſtillationis doctrinam neceſſarijs.	100
II.	De aquis ex floribus, herbis, radicibus, corticibus, ſeminibus, lignis.	107
III.	De aquis fortibus.	120
IV.	De ſpiritibus.	125
V.	De aceto.	155
VI.	De Oleis.	162
VII.	De Tincturis liquidis.	193
VIII.	De Balſamis.	196
IX.	De Extractis.	208
X.	De Tincturis mollibus.	244
XI.	De Calcinatione, ſalis communis, ſalis petræ, vitrioli,	

vitrioli, pumicis, lapidis ſpongiæ, cryſtalli, marcaſitæ argenti. 261
XII. De calcinatione Antimonij. 272
XIII. De Calcinatione & præparatione Mercurij. 304
XIV. De Calcinatione Saturni & Iouis. 329
XV. De Calcinatione Martis & Veneris. 337
XVI. De Calcinatione Lunæ & Solis. 347
XVII. De Salibus. 359
XVIII. De Floribus. 358
XIX. De Magiſterijs. 410
XX. De Tincturis ſolidiuſculis & Panaceis. 423

LIBRI III.

Cap. Pag.
I. De quinta eſſentia ſanguinis humani. 438
II. De quinta eſſentia vini. 455
III. De quinta eſſentia Coralliorum. 467
IV. De quinta eſſentia Perlarum. 474

TYRO-

TYROCINII CHYMICI Liber Primus.

CAPVT PRIMVM.

De definitione Chymiæ.

CHYMIA eſt ars corpora naturalia miſta ſoluendi, & ſoluta coagulandi, ad medicamenta gratiora, ſalubriora, & tutiora concinnanda. *Chymiæ quid.*

In hac definitione altera eius pars, quæ eſt de metallorum tranſmutatione, excluditur, quæ olim quidem plurimùm valuit. Nunc Medicinæ miniſtrat potiùs, & non in mineralibus elaborat tantùm; ſed & animalibus, & vegetabilibus, quorum eſſentiæ atque arcana, in naturæ abyſſo adhuc lateſcentia, mirabili quadam dexteritate in apricum profert, ad vſus humanos, ſalutemque defendendam, quanquam etiam ornamenta vitæ conferat plurima. Hæc non niſi rationem & modum optimè præparandi medicamenta docet, id eſt, pura ab impuris ſeparare; alienas qualita-

tes alterare, aut prorsus tollere, fixa volatilia, & contrà reddere, & omnia denique naturæ magis familiaria & amica efficere, vt meliùs, & minori cum periculo, corpus, quod medicinæ proprium est, permutare possint. Alijs definitur, quod sit ars perficiendi magisteria, & essentias puras è mistis, separato corpore, extrahendi.

Vnde dicatur Chymia? Vnde Alchymia? Vnde Spagyria? Vnde ars Hermetica? Vnde destillatoria?

Chymiæ vocabulum Græcum est: Latinis idem, quod ars liquorem faciens, aut res solidas in liquorem soluens: dicta ita κατ' ἐξοχὴν, quod Chymia soluere (id quod difficilius) & coagulare doceat. Alchymiam si quis nuncuparit; Arabum more præstantiam eius: si Spagyriam; præcipua officia, σύγκρισιν nempè & διάκρισιν: si artem Hermeticam; autorem & antiquitatem: si destillatoriam; functionem eius præclaram & facilè principem insinuet.

Non dissplicet etiam alia notatio, παρὰ τὸ χυμὸς, hoc est, succo, vel sapore, quem arte sua exugunt Chymici, sicut natura ex nutrimentis. Paracelsus & alij Spagyriam vocant, & exponunt artem segregatoriam puri ab impuro. Forsitan alludunt ad Græcum μαγειρεῖον, quasi excoctoriam metallorum, & succorum nominaremus. Sed quæcunque sit tandem artis huius ἐτυμολογία, vera eius notitia exercitiumque est pulcerrimum.

Cùm

Cùm autem omnes disciplinæ vulgò sint vel theoricæ vel practicæ : Chymia non acquiescens in cognitione & contemplatione corporum mistorum, vt scientia Physica ; sed finem habens ἔργον seu πρᾶγμα, magisterium scilicet, tincturas, quintas essentias & similia: meritò ipsi locus inter practicas disciplinas & artes conceditur ; etiam si fortè inueniantur, qui theoria sola contenti , ad iucundissimas artis huius τὸ ἐγχειρήσεις, vel magistris idoneis destituti, vel grauioribus alijs negotijs impediti, per accidens, se non accingant. *Chymia est ars*

Hinc præclarum illud axioma, quod omnibus veris Chymiatris summè commendabile esse debet : Quantum *videlicet* Experientia in vniuersa Alchymia procedit , tantum ratio de eius certitudine & operandi modo meritò statuere debet. *Quapropter cùm experientia practicæ veritatem theoriæ corroboret : vnicè vero Chymiatriæ studioso eò allaborandum esse censemus , vt manuali experientiæ noctu diúque incumbat , quò tandem dulcissima huius artis vsura frui possit. Quod ipsum etiam suadet, & fideliter veros doctrinæ filios adhortatur Seuerinus* , Id. Med. Philosophicæ cap. 17. *dum inquit : Ite filij , vendite agros , ædes, vestes , annulos, comburite libros , emite calceos , montes ac-*

cedite, valles, ſolitudines, littora maris, terræ profundos ſinus inquirite: animalium diſcrimina, plantarum differentias, mineralium ordines, omnium proprietates, naſcendi modos notate: ruſticorum Aſtronomiam & terreſtrem Philoſophiam diligenter ediſcite, nec vos pudeat: tandem carbones emite, fornaces conſtruite, vigilate, & coquite ſine tædio. Ita enim peruenietis ad corporum proprietatumque cognitionem, aliàs non. Et addit. *Hæc mandata grauia eſſent, niſi laborum beata præmia pollicerentur. Hæc ille. Non tamen volumus inde Chymicaſtrorum experientiam, quæ temeraria, ſed eam, quæ ἐν τῷ λόγῳ ſit fundata; certum enim eſt ac firmum, eos omnes, abſque vera & naturali ratione, Vulcani violentia, ſublimationibus varijs ac reuerberationibus, ardentibus itidem ac erodentibus menſtruis, rerum naturas quodammodo immutare, deſtruere ac peruertere: non autem veras, vt nugantur, ex illis extrahunt eſſentias: multò minus ſolare & ſalutare illud ſeparant balſamum.*

Obiectũ Chymiæ. Obiectum artis huius, corpus miſtum concretumque ſtatuitur, non quà illud eſt mobile; ita enim Phyſicæ conſiderationis eſt: verùm quatenus eſt ſolubile & coagulabile. Talia autem ſunt vel imperfectè mixta, vt ros, grando; nix; vel perfectè

fectè mixta, vt plantæ, frutices, metalla, lapides, arbores & animalia omnis generis. Vnde apparet: quàm grauiter illi hallucinentur, qui, audito Alchymistæ nomine, statim sibi hominem imaginantur, qui nihil tractet aliud, quàm metallorum μεταμορφώσεις, nihilque meditetur, quàm mirabile lapidis Philosophici μυστήριον.

Dicitur esse obiectum Chymiæ corpus mistum, qua solubile & coagulabile est. Sed notandum, quòd mistum natiuum non in omni pereat opere. Nam, E. G. extractus rhabarbari succus crasi effectuque consentit cum integro. Hinc Chymico propositum vt plurimùm esse, non misturam soluere; sed, hac seruata, concretionis materiatæ seras & vincula dissipare; quò aditus sit ad intimam substantiam, quam natura arctissimo concluſit complexu, ne externis pateret facilè iniurijs. Quocirca falsum dicit is, qui verum Chymicum vsque ad vltimum destruere pronunciat. Non est hoc artis. Termini sui singularum sunt præparationum, in quibus ars cessat. Deinde turpe dictu est, quod refert autor de misochymicis, qui Chymiam veram tanto cæperunt habere odio, vt ipsius solo audito nomine inhorrescant, & subinde vomere cogantur. Sed hos Musetus rectè ceu haleces sale condiendos, & postea in fumo suspendendos esse exclamat.

Et ſanè dolendum eſt, quòd multi de Spagyrica tam temerè iudicent, vt ruſticus ille Ariſtidem non notum, quod nimis iniuſtè haberetur, damnare voluit. Alij tales lactucas aſininis ſuis labris guſtare nequeunt, ideò verbis ſeſquipedalibus damnant, & canina quadam inuidia alios à pabulo, quo ipſis frui non licet, arcere ſatagunt. Alij, Sophiſtarum more, omnia, quæ ipſis non probantur, contemnunt: quibus tantùm illud arridet, quod ſuum eſt: ſicut ſtultis ſua claua & tintinnabula placent, prout rectè differit Paracelſus, in præfat. de natura rerum.

Finis Chymiæ. Ars hæc à Pharmacopœa differt. Medicamenta Chymica ſunt vulgaribus ſuauiora.

Finis eius eſt, medicamentorum ſuauiorum, ſalubriorum & tutiorum præparatio: atque hac ratione Ars noſtra à Pharmacopœa vulgari, quæ etiam medicamenta concinnat, tuta quidem & ſalubria, ſed minùs grata, diſtinguitur. Nam quod ad ſuauitatem attinet: in confeſſo eſt, ægrotum citiùs parum conſeruæ roſarum, cui grana fortè quatuor Mercurij, per inferiora tantùm purgantis, commixta ſint, aſſumturum, quàm multas diacatholici drachmas: citiùs pilulam vnicam benedictam Quercetani, vel duas ex electuario panchymagogo eiuſdem conformatas, quàm quindecim aut plures pilularum ſine quibus, aurearum, fœtidarum: citiùs grana quatuor

tuor bezoartici mineralis celeberrimi Hartmanni, vel octo antimonij, diaphoretici Crollij, quàm potionem aliquam sudorificam vulgarem: citiùs iusculum cremore aut magisterio tartari conditum, quàm haustum agonisticum apozematis, syrupivè alicuius magistralis, ad descriptionem, nescio, quot pedes longam, ex varijs herbis, floribus, radicibus, corticibus, lignis seminibus, fructibus, succis, liquoribus, aquis, &c. laboriosè confecti. Fieri tamen poterit: vt quandoque eiusmodi pocula & cantharí medicamentorum vulgarium suauitate Chymica longè superent: nimirum tunc, cum nonnulli ægrotantium, allatis illis, & nondum manu prehensis, sola saporis & odoris eorum nauseabundi imaginatione, non vi aliqua magnetica concitati, ἄνω καὶ κάτω purgantur: id quod medicamentis Chymicis præstari hactenus non potuit.

At inquiunt: triumphent sanè Spagyrici remediorum suauitate: referant autem recepto more præparata in pharmacopolijs medicamenta laudem salubritatis & curationis tutioris. Hic Rhodus, hic salta. Nam dicunt: Vestra remedia non modò nostris non sunt salubriora, & tutiora: cùm

ne quidem ſatis ſint ſalubria & tuta. Pleraque enim veſtra ſunt venenata, & naturæ humanæ planè aduerſa: vtpote metalica & ex mineralibus deſumpta: pleraque acria, corroſiua: pleraqne calidiora, quàm vt conueniant, & graue ἐμπύρευμα redolentia. Grauia hæc ſunt tela, & Chymicorum iugulum petitura, niſi rationis & experientiæ clypeo excepta dextrè elidantur. Negari quidem haud poteſt: multa noſtrorum medicamentorum, è mineralium & metallorum familia petita eſſe: ſed propterea non venenata, non humanæ naturæ prorſus infeſta. Quod ſi enim veteres ijſdem omnibus, ſed crudis & non præparatis, ſicut ex Galeno, Dioſcoride, antidotario Nicolai Myrepſici, & alijs, videre eſt: & recentiores quidam famoſiſſimi Medici, vti Rondeletius mercurio crudo, in pilulis Barbaroſſæ ad Morbum Neapolitanum expugnandum; Crato, trium Romanorum Cæſarum medicus feliciſſimus, cinabari ad vertiginem; & alij antimonio, vt Cardanus, Iulius Alexandrinus, Matthiolus; vitriolo Geſnerus; croco Martis ad ictteros Fallopius; ſulphure vniuerſi ad pulmonum affectus vſi ſunt: cur nobis eadem rectè præparata, & omni venenoſa malignitate exuta, in vſum medicum transfer-

Medicamenta Chymica non ſunt venenata et humanæ naturæ aduerſa, etiamſi metallica.

re

re non liceret ? præſertim cùm videamus eos, qui vulgaribus Pharmocopolarum medicamentis firmam ſanitatem recuperare non potuerunt, ſuaſu ipſorum Miſochymicorum, ad thermas metallicas, aut fontes minerales ablegatos, eorum vſu continuato perfectè fuiſſe curatos. Vnde ſanè conijciendum eſt: in eiuſmodi mineralibus & metallicis, balſamum quendam fixum, ſpirituſque potentiſſimos, & corruptioni minimè obnoxios, concluſos eſſe. Id quod ex vſu etiam medicamentorum Chirurgicorum conſpicuum, vbi vix vllum magnarum virium eſt, niſi cui vel metallum, vel minerale aliquod ſit commiſtum.

Veræ medicamẽtorũ malignorũ correctio

Abſit autem: vt ea cruda, ſeu veterum ſeu recentiorum quorundam more, intra corpus propinanda eſſe cenſeamus. Vtile ab inutili ſeparandum: venenum à mumia ſalutari: nucleus & medulla à corticibus, putaminibus, ſiliquis, & fecibus ſecludenda. Sic demum exinde apta remedia ad deploratiſſimos quoſque morbos citò, tutò, & iucundè curandos, ſi à medicis doctis, expertis & circumſpectis, & ad præſcriptas therapeiæ leges, adhibeantur, exſurgent. Sic vipera venenatiſſima beſtia, ritè præparata, baſin theriacæ, alexipharmaci illius vniuerſalis, tot ſeculorum experientia com-

comprobati, constituit. Sic ex serpentibus vulgaribus tàm φαρμακτικον, quàm θεραπευτικὸν certissimum, contra omnis generis venena, vulgò nunc parari, quotidiè videmus. Sic draco marinus, quem Galli *lamie* nuncupant, in dorso spinam habet; qua segregata, cibus exinde paratur delicatissimus. Eadem planè ratione & fossilia ad eam mediocritatis naturam reduci possunt: toto in partes constituentes resoluto, qualitatibusq; malignis, & fatum accelerantibus, auerruncatis: vt certo certius sit: eos, qui talibus legitimè præparatis ritè vtuntur, non tàm internecinum hostem, quàm benignum hospitem; non tàm venena, quàm alexipharmaca & morborum ῥιζοτόμους, in vitæ suæ penetralia admittere. Nam si metallorum & mineralium venenositas à forma eorundem dependet: quis non videt, si ea in sua principia artificio chymico consumantur, omnes qualitates lethiferas ablatum iri? Et si in parte aliqua constituente (quod verisimile videtur) malignitatem stabulari opineris; tantò facilius intelligis: toto in partes suas diuiso, illam segregari posse. Atque hoc modo instituta feralium medicamentorum correctio, quàm salutatis sit, infinitis exemplis; nisi ea nota esse arbitraremur,

mur, comprobari posset. Desinant igitur Misochymici, à mineralium & metallorum vsu, intra corpus exhibendorum, abhorrere, nescio quam ἰλιάδα τῶν κακῶν ex eo repullulantem temerè pertimescere: quin potiùs discant à Chymicis verum malignitatis remediorum; quibus veneranda antiquitas vsa est; (puta; antimonij, Mercurij; vtriusque hellebori; omnium tithymali specierum, pytyusæ, elaterij, colocynthidis, euphorbij; thapsiæ, scammonij, thymelææ, lapidis lazuli & Armenij, æris scoriæ, sandarachæ, &c.) malignitatis, inquam, perdomandæ modum: qui fit corporis heterogenei in suas partes ἀνατομία; non autem consueta mastiches, dragacanthæ, spicæ, cinamomi, aut similium additione. Nam qui ita medicamentorum simplicium qualitates venenatas dispellere, & infringere satagit: næ ille similis videtur cocis imperitis & stolidis: quibus si carpiones desquamandi & euiscerandi essent; amarorem bilis, fellea cysti fortè fortuna pertusa, non eluendum aut segregandum; sed saccharo mellevè addito obtundendum esse contenderent: aut si ijdem intestina animaliumin alimentum hominum præparare deberent; nec ea ab excrementis sordidis & fœtidis mundanda esse; sed vel ambra addita,

addita, oleisvè odoriferis affusis, coquenda, stultè iudicarent.

Chymica remedia sunt salubria & tuta, licet acria.

Porrò Spagyrica non videntur salubria & tuta, quia acria & corrosiua, igniſque violentia caustica reddita, & quia impressum ἐμπύρευμα redolent. Verùm si acria, si corrosiua intra corpus non recipienda; Deus bone, quanta medicamentorum copia è vulgaribus Pharmacopolijs eijcienda? quantus eorum numerus ex antidotarijs expungendus? quot condimenta è culinis remouenda? Cantharides à Galeno inter medicamenta exitialia, quòd per erosionem interimant, numerantur: & tamen, parcè sumtæ, & quibus oportet, commixtæ, τοῖς λιθοντριπτικοῖς & diureticis, vehiculi loco, ab eodem conceduntur. Vitriolum quàm corrosiuum sit, omnibus constat: & tamen in laudatissimam antidotum Theriacam recipitur. Allium, cæpe, sinapi, nasturtium, quàm acria? & tamen quotidie ijs inter epulas vti non reformidamus. Limonum, citriorumque succus, firmissima perlarum & coralliorum corpora dissoluunt; & tamen, cum in extrema virium imbecillitate cardiacum efflagitatur, nullum eo præsentius & præstantius vulgò propinatur. Ergo nec Chymicorum remediorum acrimonia, & vis, caustica metuenda;

4. Sympl. medic. c. 18.

præ-

præsertim cùm multa sint forinsecus corrodentia, quæ intrinsecus, cùm ob maiorem interaneorum repugnantiam, & vegetum caloris natiui robur; tum ob humores noxios, in ventriculo stagnantes, pari ratione vires suas explicare non possunt. Accedit: quòd, sicut nec integros manipulos salis deuoramus, nec aliquot libras eius in iuscu-lis; sed fortè pugillum vnum dissoluimus, parumque aceti & aromatum ad cibos condiendos adhibemus; ita cùm necessitas Medicos Spagyricos ad medicamenta acria vsurpanda compellit: guttam, granumvè vnum aut alterum, nec sola, sed idoneis liquoribus permista, exhibeant. Imò acerrima quæuis ita edulcorari possunt: vt omnem acrimoniam deponant: quod ex aqua forti & regia, si tartari sal ijs commisceatur, manifestum euadit.

Medicamenta Chimica non sunt periculosa propter aeredinē ab igne contractam.

De ignis contagio, quæ obijciuntur, adeò vana sunt & friuola, vt ne quidem refutatione egere videantur. Ipse enim Galenus, c. 18. *de theriaca ad Pisonem*, ignem multa efficere meliora; & interdum latentem rerum naturam detegere; quædam etiam, quos volumus, in vsus apta reddere, expressè scribit: vnde etiam idem elementum, titulo Magistri artium, à Cicero-

ne

ne non immeritò insignitur. Et vt taceam; quod Galenus metalla acria & mordentia, vt mitiora reddantur, ignis examini subijciat: chalcitis vsta melior existimatur, quàm non vsta: balanus Myrepsica secundum Mesuen vomitum mouet, & simul per aluum deiectiones enititur. Assata autem, & humiditate eius nauseabunda ablata: sola vis humores per secessum expurgandi remanet. Ita Mercurius sublimatus, qui acerrimus existit, ignis violentiam cum Antimonio passus, vt in mitissimum, ita saluberrimum, abit alexipharmacum. Sic ferrum, cum in crocum Martis in reuerberio calcinatur, extremum flammarum calorem sustinet: nec tamen ipsi ea inprimitur acrimonia, vt vsus eius in hæmorrhagijs, & alijs fluxibus, non sit frequentissimus, non vtilissimus. Contrà aqua & oleum cinamomi quantam habent acredinem? aqua vini ardens quantam? Anne verò istam acrimoniam, cùm solo vaporis balneo sint prolicita, vi ignis vehementioris ipsis acquisitam esse dixeris? Vix puto. Falleris igitur: si spiritus vitrioli acrimoniam ab externo calore contrahi: si oleum salis ab igne reuerberij eadem infici existimas. Nisi enim sales mixto insint: etiamsi violentissimo igne id exerceas: nunquam

9. simpl. medic. facult. cap. 62.

Libro 2. c. 12.

De quibus infra Libro 2. c. 12.

De quo infra lib. 2. c. 15.

Acredo medicamentorũ chymicorũ, nõ ab efficiente, sed à materia proficiscitur

quam tamen ei tanta acredinis ſtigmata inures: Et contrà, licet moderatiſſimo in quibuſdam calore vtaris: ea tamen, ob ſalium præſentium vim, acriora redditum iri, ne dubites.

Cæterùm ἐμπύρευμα medicamentorum Chymicorum tanti momenti non eſt: vt Medicis practicis eo nomine exoſa eſſe & periculoſa videri debeant. Si enim quoddam ijs veſtigium medicamentis inhæſit, id aut à calore moderato, aut forti, originem ſuam ſortitum eſt. Si ab illo: & propterea medicamenta Chymica euadunt noxia: tùm nec eſculenta, nec poculenta noſtra, nec vulgaria remedia tuta erunt & ſalubria: cùm ad ea paranda maior ſæpè ignis gradus requiratur, quàm ad medicamenta Chymica; quod patet ex coctione cereuiſiæ: vbi hordeum primò valenti igne torretur: poſt maiori coquitur: item ex quibuſdam vinis Rhenanis, ijsque excellentiſſimis, quæ ob ſalubritatem populis Septentrionalibus in omnibus ferè morbis loco panaceæ ſunt: & tamen ad veram maturitatem non, niſi ignis elementaris beneficio; perduci poſſunt: item ex piſcibus aſſatis, carnibus fumo induratis; & ſexcentis alijs. Si verò ab hoc, igne ſcilicet violento: nec inde periculi quidquam ægrotantibus imminet:

Chymica remedia nõ redolent empyreuma

minet : cùm vel ablutione, vel digestione corrigi possit : vt videre est in cineribus, qui caliditatis suæ notas, ab igne impressas, affusa aqua, in lixiuium deponunt. Imò ablutio, nimis crebrò repetita, purgantia quædam metallica & mineralia chymicè præparata, ad sentinam prauorum humorum exhauriendam, inepta reddit. Digestione autem quàm omnia dulcescant;, notius est, quàm vt exemplorum inductione, ad id comprobandum, opus esse videatur. Quod si autem fortè per empyreuma intelligis;, quando vel calor potentialis, qui in misto latebat, tanquam sub carbonibus, igne violento in actum producitur, & liber iam ab omnibus compedibus potentiores exerit vires ; vel quando calor, qui hinc inde dispersus erat, Vulcani beneficio vnitur : nec hanc ob causam seu empyreuma, seu calor nimius metuendus : cùm Medici officium sit, calidis eiusmodi dextrè vti, sicut & alijs, quæ si imprudenter adhibeantur, ægrotis nocumentum allatura videntur.

Præparatio nõ ledit medicamenta Chymica inutilia.

Sed instant Misochymici, & grauiùs nos vrgent : dum prætendunt, nostra medicamenta esse inutilia, quia emortua, & ex mistis destructis, corruptisque orta, humidoque primogenio destituta. Verùm-

enim

énim verò miſta ad æternitatem condita non ſunt, ſed ad vſum, qui plurimus exſurgit per eorum interitum. Deinde, ſi miſtorum corpora non ſoluenda, vel, vt odioſo vocabulo vtuntur, non deſtruenda: cur ipſimet miſtionis harmoniam turbant? cur infuſiones, decoctiones, ſirupos parant? Cur aſſationibus, cur toſtionibus, cur deſtillationibus? cur diagridio, & non ſcammonio integro? cur trochiſcis Alhandal, & non colocynthide ipſimet vtuntur? cur in extrema virium imbecillitate, deſtructo capone, hoc eſt, aqua eius ſtillatitia, vbi certè omnis κρᾶσις & μίξις totius perijt, ægrotos iam iam animam quandoque exhalaturos, nutrire præſumunt? An quia Naturam hac in parte imitari volunt: quæ cibos in ventriculum ingeſtos, non crudos & integros adhuc exiſtentes, ad partes alendas deuehit; ſed deſtructos, hoc eſt, ab inutilibus & craſſioribus partibus denudatos, & in hepatis officina in quintam quaſi eſſentiam redactos. Dicant, ſi placet: an, cum infantes, ab vberibus matrum adhuc pendentes, lacte earum, quæ infuſo Rhabarbari, vel ſuæ, vel illorum valetudinis gratia, vſæ ſunt, purgantur: concentus, temperies & harmonia totius Rhabarbari in

lacte materno peſſum data fuerit; an verò & forma huius mixti de ſubiecto ſuo in aliud, & ex hoc rurſus in aliud, tranſlata, & multas mutationes paſſa, ſalua & integra permanſerit, atque ita ex corpore humores prauos excluſerit? Fortè hinc fit: quòd quidam Miſochymicorum à caſeo & butyro abhorrent: non naturali quadam ἀντιπαθείᾳ, ſed quòd ob concentum lactis deſtructum, formam eius & temperiem abolitam verentur, hæcq; propterea alendo corpori eſſe inidonea arbitrantur.

Chymica remedia non ſũt emortua cadauera.

Deinde cum chymica remedia mortua cadauera nuncupant: humidoq; primogenio ſpoliata eſſe contendunt, partim ſibi ipſis contraria; partim veritati non conſentanea loquuntur. Si enim ſceleta ſunt; cur alibi ea potentiùs agere, quam humanæ temperiei mediocritas permittat, aſſerunt? Deinde nonne neceſſe eſt: vt tàm animalia, quàm vegetabilia, vita illa, qua ſibi viuunt, hoc eſt, nutriuntur, creſcunt, & augeſcunt, priuentur: quo eſui & vſui hominibus eſſe poſſint? Nec enim ipſi Scythæ tàm barbari ſunt: vt, licet carnibus, vel crudis, vel, curſu æquorum concitatiori, ſub ephippijs feruefactis veſcantur: viuas feras in os ingerere & deglutire velint. Ita etiam plantas, ſtirpes & frutices, vt in cor-

corpore humano vitales edere actiones valeant, mori oportet: hoc est; ex solo eorum natiuo erui; ne inde amplius alimentum pro vita sua conseruanda attrahant; sed vt ad hominum sanitatem tuendam, morbosq; profligandos, apta remedia suppeditent: id quod etiam herbæ, & alia ita emortua, imprimis si legitima eorum ἐξάρθρωσις præcesserit, intra corpus assumpta, feliciter præstant. Et vt experientia, certissimo veritatis κριτηρίῳ, euincam: vitam vegetabilium operationibus Chymicis non destrui; nec humidum mistorum primigenium ijsdem absorberi: certum est, & multoties probatum: sales herbarum, præsertim calidarum, si certo quodam modo & nobis cognito seminentur, alias producere suæ speciei herbas; vt taceam ea, quæ Quercetanus, *cap. 23. in responsione ad Anonymum pro veritate Hermeticæ Medicinæ*, stupenda & suspicienda adfert exempla. Quid? quod in Arduennæ sylua, & alijs multis locis sterilibus & aridis, vt agricolæ æstate, quod metere possint, habeant: dumeta, genistas, & vepreta passim comburant, & cineres hinc inde per campos dispergant, vt subacta terra, sale, beneficio pluuiarum supercadentium, ex illis elicito, pingue fiat, ac lætas segetes postmodum ex semine

Sal generationis caussa.

in terram proiecto producat. Fungitur nimirum eiuſmodi cinerum ſal officio fimi, quo nunquam agri impinguari poſſent: niſi vrinis & ſale animalium brutorum (eſt enim in ſale pinguedo, quod miremur, vt Plutarchus, poſt Ariſtotelem, *in Sympoſiacis lib.* 1. *quæſt.* 9. teſtatur) eſſet imbutus. Et vt omnibus manifeſtum fiat, ſalem generationis cauſam eſſe: accipiatur terra pinguis, quæ varias plantas ferre conſueuit, lapillisq; omnibus ab ea ſeparatis ollæ figulinæ, in fundo perforatæ, indatur, ac cœlo pluuioſo aeri ita exponatur; vt à radijs Solaribus tuta ſit. Menſe elapſo videbis; terram hanc produxiſſe vermiculos, herbulas, & lapillos: animale nimirum, vegetabile, & minerale. Rurſus accipiatur ea ipſa terra, & ab iſtis tribus ſubſtantijs ſeparata, omni & ſale, ſuperaffuſa aliquoties aqua calida, priuata: reponaturq; in eandem ollam, in eundemq; locum; & relinquatur ibi non tantùm per menſem, ſed quamdiu volueris, & reipſa experieris: è terra iſta nihil planè productum iri. Atque hic eſt Sal iſte Hermaphroditicus, qui generationis cauſſa eſt: cuius beneficio miracula fieri poſſunt ſtupenda: de quibus, pro meo ſingulari in rempubl. Medicam affectu, plura adderem, ſi permitteret is, qui ea mecum com-

communicauit. Interim tamen non planè abnuerim: viuentia quædam & nondum emortua rectè interdum adhiberi, vt gallus circa podicem deplumatus, ad venenum è carbunculis peſtiferis extrahendum: vt catelli, ad ventriculum frigidum & imbecillum benigno calore & temperato extrinſecus fouendum: ſicut etiam non negarim: integra interdum præſtare deſtructis: modò & ipſi fateantur: ſe non minùs deſtructis vti, quàm Chymicos.

Medicamenta Chymica non imprimunt membris corporis principalibus praua diſpoſitionem.

Supereſt nunc ſcrupulus vnus, qui multorum animos valdè torſit, diuque ſuſpenſos detentos remoratus eſt: quò minùs in vſum Hermeticorum medicamentorum conſentire potuerint: nempè quòd illa, præſertim ſi ſint metallica, aut mineralia, calorem natiuum & ſpiritus ſubitò diſſipent, & in partibus principalibus funeſtas reliquias, malignum fermentum, & praua διάθεσιν relinquant: vnde aliqui per accidens curati, & paulò poſt recidiuam paſſi, maturiùs ex hac mundi fabula diſceſſerint. At immeritò remedia Spagyricè præparata eo nomine malè audiunt: cùm, ſi fortè tale quidpiam ex vſu eorum accidat, id non tàm remedijs, quàm vel artificibus, qui ea concinnarunt: vel Medicis, qui ea exhibuerunt, imputan-

dum sit. Notum est enim, quantus sit eorum numerus, qui illotis manibus ad hanc artem nobilissimam accedunt : qui ex libris tantùm, non αὐτοψίᾳ, artem hanc edocti, stibium & hydrargyrum, ad sanitatem hominis vel conseruandam, vel deperditam restituendam, audacter parare, & parata intra corpus exhibere non verentur. Talium Chymicorum præcipitatis, non mirum, si illi, qui his vtuntur, in sepulchrum præcipitentur: si eorundem Mercurio vitæ, non vitam; sed mortem & magno interdum precio emptam, quidam improuidi & valetudinis suæ prodigi, consequantur. Deinde culpa tam grauium accidentium non rarò in ijs etiam residet, qui dicta medicamenta propinant: quorum aliqui legitimum ipsorum vsum nunquam viderunt; aliqui planè indocti sunt, stupidi, omnis methodi Galenicæ & Hippocraticæ ignari, quales sunt Iudæi, & agyrtæ similes, quibus religio non est, latronum more, de corio humano, pro libitu ludere. Non absimili ratione, & vulgaribus medicamentis, quæ sunt potentiorum virtutum, vtpote scammoneatis, helleboratis & similibus, dica interdum scribitur: quando à Pharmacopolis imperitis ministrè parantur, aut ab expertis dextrè conficiuntur; sed præposterè ab empiricis vsurpan-

pantur: licet aliàs ex vsu esse possint, benè scilicet parata, & methodicè adhibita. Non est igitur: quòd Medici docti & prudentes a Chymicorum medicamentorum vsu in-posterum abstineant: cùm si ea ab expertis artistis (inter quos in Gallia eminet Nicolaus Bonne, illustrissimi Ducis Bullionæi in arce Sedanensi, Pharmacopœus, qui officinam habet selectissimis remedijs, cùm Galenicis, tùm Spagyricis, præsertim verò Theriacis, communi & essensificata, ad Quercetani leges solertissimè & fidelissimè præparatis, instructissimam,) conficiantur: omnis malignitas, si quæ ipsis sua natura inest, ministerio Vulcani auferatur: vt impossibile sit, ea posse, si methodicè vsurpentur, vel calorem natiuum & spiritus, indiuiduos animæ satellites, destruere; vel prauam dispositionem partibus principibus inurere.

Atque ita hactenus monstratum est: quam vano & falso prætexu, remedijs Chymicis, quasi periculosa, inutilia & pestifera sint, ius ciuitatis in republica Medica denegetur: nunc, quòd eadem sint vulgaribus salubriora & tutiora, euincendum est: quod quidem ex hactenus dictis satis liquet: sed tamen vt omnia meliùs examinari & dijudicari possint: pauca quædam pro nostra assertione attexenda videntur.

Medicamenta ſpagyrica ſunt ſalubriora & tutiora vulgaribus.

Salubriora igitur & tutiora ſunt arte Spagyrica concinnata remedia, quàm vulgari modo præparata: quia in illis purum ab impuro, malignum ab alexipharmaco, corporeum à ſpirituali, inutile ab vtili ſeparatum: ac proinde ventriculum ſua mole non moleſtant: nec operationes ſuas differunt; ſed citò cum morbis colluctari incipiunt, eoſque victas dare manus feſtinanter cogunt. Sic cereuiſia defecata ſalubrior eſt non defecata; ſic vinum à tartaro ſuo depuratum, tutiùs hauritur; quàm vinum ex vuis recenter expreſſum: ſic cibi, ſeclusis à natura excrementis, poſt multas coctiones, ſingula corporis noſtri membra nutriunt: ſic citiùs aqua cinamoni aut balſamus eius, in lipothymijs, ſpiritus reficit; quàm ipſum cinamomum integrum: ſic guttæ aliquot olei aniſi plus præſtant; quàm integræ eiuſdem vnciæ. Vulgus autem præparationes omnes improbat, & integris vti mauult, quàm in principia ſua conſumptis; aut non ſufficientes conuenientesvè adhibet: vnde non rarò ægrotantes ob deuoratas partes noxias, excrementitias & venenatas, vnà cum ſalutaribus & vtilibus, expugnato morbo, cum ſymptomatis grauioribus poſtmodùm ſuperuenientibus, & ipſo priori morbo periculoſioribus

conſli-

conflictantur. Deinde quis nescit : aquas Chymicas , odorem & saporem vegetabilium integrum referre : vulgares autem nihil aliud esse , quam phlegma inutile , & aquas leuiter putrescentes : illasque multos annos durare ; has verò vix mensem vnum aut alterum ? Et sicut aquæ vulgares Pharmacopolarum , extremam malignitatem à vasis plumbeis acquirunt : sic non minorem & decoctiones eorundem à vasis cupreis : quæ eò deteriores adhuc euadunt : quòd in earum præparatione subtilior & melior pars in auras euanescat: & ipsæ situ paulò post contracto corrumpantur inutilesque reddantur. Adhæc analeptica & cordialia , quæ ex corallijs perlisque in puluerem contritis & cribratis, nec non auro foliato præparantur, quas vires alias in corpore humano exerunt : nisi quòd ventriculum incrustant, eumque aliàs languidum magis eneruant ? Contra quintæ essentiæ Chymicorum & magisteria ex ijsdem , vt & tincturæ auri absque corrosiuo factæ , sicut in quouis liquore facilè soluuntur : ita soluta, & intra corpus admissa , vires collapsas restaurant, & pristinum vigorem restituunt. Quid, quod medicamenta vulgaria in morbis chronicis , rarò optatos sortiantur effectus ; vtpote ex vegetabi-

tabilibus tantùm desumta, quibus radices affectuum contumaciorum firmiores funditùs exstirpari & euelli nequeunt. Chymica autem, præsertim ex metallicis & mineralibus præparata, vtpote potentiorum virium & maioris efficaciæ, incurabiles vulgò morbos, epilesiam, lepram, quartanam, podagram, hydropem, ἡσήχως, ταχέως καὶ ἀσφαλῶς percurant. Non igitur abs re factum esse à nobis putamus: quòd Chymiam, artem medicamenta gratiora, salubriora & tutiora concinnandi, in libelli nostri frontispicio, definiuerimus.

CAPVT II.

De solutione in genere.

Partes Chymiæ.

Partes Chymiæ sunt duæ: Solutio & Coagulatio.

Solutio quid?

SOlutio est ἐργασία siue operatio, qua corpus naturale mistum in tria sua principia, Sal, Sulphur & Mercurium, ex quibus à natura conflatum est, separatis heterogenijs, recluditur.

Cùm natura nihil puri nobis dedit; sed omnia permultis, imò noxijs permiscuit fæculentijs: ideò necessitas hic artem fecit, quæ purum

rum ab impuro, ſalubre ab inſalubri ſeparat haud alio conatu, quàm cæteræ ſcientiæ id populariter & quotidiè peragunt; reiectanea ſemper amoliendo, erratáque corrigendo, vt natum, in ſemetipſa quaſi deficiens; hanc ipſam artem Chymicam ab infantia cognoſcendam ſubinde inculcaſſe videatur. Corpus autem naturale miſtum non vno, ſed variis peccat modis: vel impuritate, tùm intrinſeca, tùm extrinſeca; vel duritie ſeu corporis contumacia: Vtrumque tollitur ſeparatione & alteratione, vel etiam tranſmutatione: illa omnes impuritates penitus aufert; hæc & ſubſtantiam tractabilem, balſamoque noſtro haud abſimilem reddit, & vel totum, vel qualitates immutat. Quin imò malignitatibus ſæpè per vniuerſum ſubiectum chymicum diſperſis, omnino expedit eius continuitatem corrumpere, & in minimas particulas ſectionem inſtituere, Nec enim aliter ad ſpeciem ſcil. Chymicam peruenire; aut malignas qualitates alterare, aut noxias tollere licet. Nam vniuerſum hoc opus eſt præparationis: quam propterea Hippocrates, 2. de diæta ἐργασίαν appellauit, ratio profecto vſus, vt ſine ea tota benè medendi ratio periculi, terroriſque plena, cuiuis pio cordatoque Medico ſuſpecta eſſe poſſit. Quod ſi n. alimenta per os ſumpta coqui & elixari poſtulant; ne corpori fructus crudos ingenerent:

nerent: quidni etiam medicamenta ad mediocritatem, præparationis ſedulitate, reduci debeant? Hinc rectè & prudenter ab autore noſtro factum, quod de his priùs, variiſque præparationis gradibus, antequam de legitima medicamentorum præparatione ageret, admonere voluerit. Quoniam autem varij ſolutionis gradus dantur, quibus non ſemper corpus naturale miſtum in tria ſua principia, Mercurium, Sulphur, & Sal, reſoluitur; ideò nonnulli huic generali magis ſtrictam addunt definitionem, dum deſcribunt, quod ſolutio ſeu corruptio Chymica ſit præparationis Chymicæ gradus primus & ſummus, compagem corporis quoquo modo dirimens; hæc enim vel in ſola diſlocatione continuatis acquieſcit, vel ſimul etiã inquinamenta ſeparat. Quantumuis enim in opere Chymico corruptionem neceſsariò ſequatur ſeparatio; hæc enim eius menſuram certam explet, ſeu finem addit; nihilominus tamen quàm plurimæ operationes ſunt, quæ ſolam corruptionem citra ſeparationem poſtulant, vt e.g. Magiſterium definitur, quòd ſit ens medicum ex toto, citra vllam ſeparationem, impuritatibus duntaxat ſegregatis, elaboratum & exaltatum.

In omnibus artibus & ſcientijs, nihil magis neceſſarium, quàm principiorum cognitio: vtpote à qua cæterorum ſcientia dependet: nihil etiam eorundem inueſtigatione

ne difficilius ; quod ea plerumque in intimioribus mixti penetralibus abſcondita lateant , nec vnquam conſpici poſſint ; niſi facta obiecti ſolutione & anatomia . Sed antequam de ijs diſſeramus : nolim Phyſicos & Medicos hic mirari : quòd Chymici alia , atque ipſi , corporis naturalis ſtatuant Principia . Primò enim, cùm Phyſica, Medicina & Chymia , ſint diuerſæ diſciplinæ ; quid mirum , ſi licet vnum idemq; habeant obiectum, diuerſa tamen eius ſtatuant Principia , cum diuerſimodè illud conſiderent ? Phyſicus enim corpus naturale conſiderat, quatenus naturale & mobile : ac propterea rectiſſimè etiam, principia eius generaliſſima , noetica potiùs quàm verè hypoſtatica, Materiam & Formam, adſerit . Medicus verò idem conſiderat , non quatenus naturale ; ſed quatenus ſanabile , aut quatenus ſanitatem efficere poteſt , vel deſtruere : ac propterea rectè principia eius adſtruit quatuor Elementa , cum ſuis primis qualitatibus , temperamenta corporum conſtituentibus , à quibus cùm ſanitas ; tùm morbus dependent . Si igitur Medico licitum eſt : principia phyſica repudiare; & alia ſubſtituere:cur non liceret Chymico,artifici ſenſato , eiuſdem corporis , quod ille non quatenus naturale ; nec quatenus ſanabile ;

Principia Chymica nō euersunt Phyſica & Medica ,

ſed

ſed quatenus ſolubile aut coagulabile, & quatenus vires interiùs obtinent plurimas, quæ arte ſola & manifeſtari, & præſtantiores reddi poſſunt, conſiderat, diuerſa à Phyſicis & Medicis ſtatuere principia ſenſibilia (ſecundum Ariſtotelem, *de cælo textu 61.*) videlicet Sal, Sulphur & Mercurium: quæ corpora reddunt ſolubilia & coagulabilia, virtutumque, in mixtis corporibus deliteſcentium, radices exiſtunt. Deinde Ariſtoteles dicit: eò redire omnia; vnde primùm exorta ſunt. Propterea in omnibus artibus, cùm realis; tùm rationalis, obiecti reſolutio, principia illius manifeſtat. Hoc modo Phyſici indagarunt & cognouerunt: materiam & formam, corporis naturalis, principia eſſe naturalia & phyſica: propterea quòd corruptio, quæ eſt reſolutio rerum naturalis, in iſtis principijs ſubſiſtebat; nec ea in alia reſoluere vlteriùs poterat. Ita & Medici inuenerunt quatuor Elementa, ſuis qualitatibus inſtructa, ſua eſſe principia, quia omnis ſanitas, aut morbus, ſe reſoluit in quatuor primarum qualitatum vel harmoniam, ſiue legitimam & conuenientem naturam, vel in earundem intemperiem, ſiue parum rectam & vitioſam conſtitutionem; quòdque mens hominis, in reſolutioue aut inquiſitione corporis

poris anatomica, quatenus nempe id ſanabile, vlteriùs progredi nequeat. Pari ratione, Chymicus ſua etiam inueſtigauit principia, Sal, Sulphur & Mercurium; cùm experientia oſtenderet: reſolutionem Chymicam & artificialem poſſe quidem ad iſta tria principia, in quibus ſubſiſtebat, peruenire; ſed non vlteriùs progredi, niſi vellet totaliter vires corporis reſolubilis deſtruere. Sed tunc non ampliùs eſſet reſolutio chymica; cùm hæc mixti vires conſeruare, & in principijs, quæ illas ſuſtentant, ſubſiſtere; nec finem ſuum, qui eſt ſoluere & coagulare, abſq; virtutum interitorum intertrimento, excedere debeat.

Quomodo principia Chymica fuerint inuenta.

Atq; hęc tria principia Alchymiæ Natura ipſa tacitè approbauit, docuit, & occaſionem ea ſcrutandi hominibus ſubminiſtrauit. Nullum enim in toto mundo eſt artificium, quod Naturam vniuerſalem non agnoſcat parentem, magiſtram & nutricem. Et vt oſtendamus: Eam non minùs artis noſtræ matrem eſſe; quàm Rationem & Experientiam: videamus, quomodo eam progenerarit. Et eo, quòd Natura ex pluribus corporibus vnum componit: & vnum in plura reuoluit; natę ſint pleręque artes: quarum aliquæ obiecti, ſui cognitionem ducunt

Natura vniuerſalis monſtrauit tria principia Chymicis.

ab

ab illius compoſitione vt Architectonica, quæ lapidem lapidi, & tectum, reliquo operi cæmentitio adiungens, dat eſſe obiecto ſuo, aliquæ verò ab illius reſolutione, & interiorum partium virtutumque in apertum, productione. Atque ad hos poſteriores, Chymia referri debet: ſiquidem mixta ita reſoluit, vt intimiores eorum proceſſus pateſcant; facultates naturæ ipſorum reconditæ cognoſcantur: viresque eorum, aut ſimpliciter abſconditæ, aut ſepultæ, aut impuritatibus ita immerſæ, vt vix alicuius ſint actionis, inde eliciantur: quò ab omnibus impedimentis immunes, euadant fortiores, & in agendo potentiores. Adhæc videmus: quòd Natura, in omnibus corporibus, quodcunq; tandem illud ſit, ſemper habeat plurimas virtutes internas, quas nec monſtrare valet, nec in actum deducere, niſi ſubſidio quodam naturali aut artificiali adiuta. Atque ita vires & arbores habent quidem in ſe facultatem, gemmas protrudendi: folia, flores, fructus; colores, ſapores, odores & alias qualitates producendi: quæ extrinſecus autem non apparent: niſi vbi miti ſuo calore Sol illis opem tulerit, eaſque radijs ſuis excitarit. Tunc enim cortices & lachrymæ ſeſe reſoluunt, attenuant, & aperiunt: vt gemmæ

& reliqua emitti poſſint. Idem conſpicitur in plantis: & ſæpè folia, flores, & fructus habent proprietates & facultates, differentes ab illis, quę in exteriori trunco apparent, aut ſi eaſdem, gradu tamen eminentiores & perfectiores; ac ſi natura Chymico monſtrare velit: quòd, ſi debito modo eam adiuuet, ipſa vires ſuas poſſit perfectiores reddere, illaſque, quæ incognitæ priùs erant, in apricum proferre. Deinde primi huius artis inuentores, conſiderantes: quòd plantæ, producendo ſemina, monſtrarent non ſolùm interiorem ſuam generandi facultatem; ſed etiam, quod adiutæ (humore ſcilicet earum, à radijs ſolaribus, reſoluto) quoddam generationis principium proferrent, ſemen nimirum, quod ſubſtantiam generatiuam, termino Chymico nominare libet: (quandoquidem illud ſubſtantificat & ſuſtentat virtutem generatiuam, extractam & ſeparatam à ſuo corpore, & principali principio) non malè hinc augurati ſunt; (experiētia quotidiana certiores eos poſtmodum reddente) quòd per reſolutionem artificialem ex corporibus mixtis extrahi poſſent aliqua principia & ſubſtantiæ, quæ vires eorum tàm occultas; quàm manifeſtas ſubtiliores, & ab omni impuritate corporea ſe-

cluſas continerent. Tandem id, quod Natura facit in alimento, potuit ipſos in hac opinione egregiè confirmare. Natura enim priuſquam animal, aſſumto alimento, nutrit: reſoluit id priùs coctione in quatuor humores: qui ſunt quatuor diuerſa principia, diuerſis qualitatibus inſtructa, & in alimento antea non animaduerſa. Vnde artifices procul dubio primitus anſam nacti ſunt, cogitandi: quòd coctione aliqua artificiali, aut alio modo, corporis mixti compages reſolui, & principia inde aliqua, ſubſtantiæque antea planè incognitę, expediri poſſent. Quę cùm ita ſint: ſi quis adhuc non videt: quòd Natura corpora mixta diſſoluere; & inde principia, aut ſubſtantias & facultates, quæ ipſis inhærent, puriores, & gradibus excellentiores, eruere oſtenderit & docuerit; næ is Tireſia quouis, aut Liberide cæcior?

Tria sũt principia Chymica.

Cæterùm quod numerum principiorum, in quouis corpore, concernit: quandoquidem ſola experientia illa patefacit: ipſi etiam ſoli credendum eſt. Si igitur de principijs, in genere, loquimur, ita, vt ſub primis illis ea etiam, quæ inde dependent, comprehendamus: numerus eorum tantus erit; quantus Chymicarum extractionum, oleorum, aquarum, magiſteriorum & ſimilium,

milium, ex quouis corpore, Sed si loquamur de primis principijs, quæ non ab alijs prioribus; sed à quibus reliqua omnia dependent: experientia nobis tria, nempe SAL, SVLPHVR & MERCVRIVM, per solutionem Chymicam & videnda & tangenda, exhibet.

Per Mercurium, Sulphur & Sal non intelligẽda vulgò sic dicta mineralia.

Per Mercurium autem, sulphur, & salem non intelligendum est quod eiusmodi mineralia ex mistis concretisque corporibus, beneficio ἀναλύσεως Chymicæ, possint erui; qualia vulgò à mercatoribus venduntur: verùm sufficit; si sint talia, præsertim in vegetabilium & animalium familia, quæ mineralibus istis sint ἀνάλογα, & tantùm inter se differant essentia, proprietatibus & actionibus, quantum illa in suo genere minerali.

De principiorum numero magna apud antiquos Philosophos erat contentio, ita vt contra ea varijs & dissentientibus inter se opinionibus sese effuderint. Democritus ac Epicurus in principia nobis obtruserunt inane, infinitum, atomos, quorum concursu omnia corpora conflarentur. Diodorus Crocus cognominatus ex corporibus minimis & indiuiduis, tanquam principijs, res componi dicebat. Empedocles omnia, quę componuntur, ex disparibus, ijsdemq; consentientibus naturis concrescere censuit. Pythagoras lineas,

figuras atque numeros rerum omnium principia esse statuit: ita vt singuli suas sententias vndiquaq; rationibus suis fulcirent. Sed cùm hęc iam olim, tanquam futilia ac inania, confutata & explosa sint frustrà his diutius immoramur. Academicorum autem & Peripateticorum sententiam potiùs audiamus, quos de principijs rerum doctiùs disputasse, & meliùs sensisse, propiùsque ad veritatem accessisse constat. Plato, de principijs differens, modò tria constituit: Deum, exemplar, & materiam; modò duo tantùm stabilit, infinitum nempe, & terminum, materiam infiniti nomine, termini verò formam innuens, tanquam rem sistentem, & finibus aut cancellis suis materiam vagam, & excurrentem, coercentem. Aristoteles non procul recessit à sententia præceptoris, etsi alijs verbis suam explicarit; quæ tamen eodem recidunt. Siquidem quod Plato terminum dixit, formam vocauit Aristoteles. Quod Plato infinitum, materiam dixit Aristoteles, tertium principium priuationem seorsim constituens. Quæ cùm ita habeant, opinandum non est, quòd ab Hermeticis antiquorum Philosophorum principia, suis principijs sensibilibus, euertantur, tot iam seculis adhuc comprobata. Quin potiùs credendum, illis cum ipsis facilem esse in hoc consensum ac concordiam. Nam Hermetici cum dicunt, corpora omnia constare

ex

ex ſale, ſulphure, & mercurio, non repugnant Ariſtoteli, qui rerum principia ſtatuit, materiam, formam & priuationem: nec Platoni dicenti, Deum, Exemplar & Materiam eſſe principia omnium. Singuli quippe diuerſas creaturarum œconomias ſcrutantur. Cauſa autem Hermeticorum, quòd in principijs iſtis vulgaribus & decantatis non acquieſcant, eſt ea præcipuè, quod hæc in generationum & tranſplantationum cauſis & proceſſibus declarandis vndiquaq; ſufficientia non ſint. Aliàs etiam libenter admittunt diſtinctionem, qua Ariſtoteles principia ſua partitur in materiam primam ſimpliciſſimam, ac remotiſſimam, omnes formarum viciſſitudines ſuſtinentem: vel in qua eſt potentia, vt poſſit omnibus formis ſubijci, & in duo ἀντικείμενα, formam ſc. & priuationem, diſtribui. Hæc principia concedunt eſſe omnium prima, & ſimpliciſſima, ex quibus res omnes naturales primùm conſtant, ita tamen, vt diſtinguant inter conſtituentia & demonſtrantia: vel, ſi mauis, inter principia rerum & notionum. Et vt ab illis Hermetica non diruuntur, quæ conſtituimus earum rerum principia, ex quibus proximè res omnes mixtæ componuntur & conſtant: ſic ab his Ariſtotelica nequaquam conuelli, certiſſimum eſt. Quod ipſum ex indiuiſibili & admiranda rerum cœleſtium cum

ſublunaribus vnitione; longa ſerie demonſtrari poſſet, niſi inſtituti noſtri ratio contrarium ſuaderet. Deniq; trium illorum principiorum Chymicorum Salis, Sulphuris, & Mercurij, nomina ideò ex mineralium familia ad eadem vegetabilium & animalium principia tranſlata ſunt, quòd radices ſint & fundamenta omnium in omni compoſito poteſtatum, nihil prius quod ſit tale poſſidentium vſq; adeò, vt eadem principia iure quodam omnibus in toto mundo rebus adaptata ſint, in membris etiam ſimilaribus ſecundum potentiam exiſtentia, nutrimenta, & remedia; morbos morborumq; cauſas, venena & quæuis noxia, conſtituentia.

D. Hartmannus in Naturæ conſulto.

Mercurius. Mercurius eſt liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis, æthereus ac puriſſimus, à quo omnis nutricatio, ſenſus, motus, vires, colores, fenectutisq; præproperæ retardatio. Confertur elemento aeris & aquæ: illi quidem, quatenus caloris vicinia alteratus facilè in auras abit: huic, quatenus, vt ea, difficulter proprio; facilè autem alieno termino continentur.

Vel ſic: Mercurius eſt liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis: puriſſimum & æthereum illud corpus ὑσωδες: aerea, ſubtiliſſima, viuifica ac ſpirituoſa ſubſtantia, pabulum vitæ, & ὑσιας ſeu formæ proximum inſtrumentum.

Sul-

Sulphur eſt balſamum illud dulce, oleaginoſum & viſcidum; natiuum partium calorem conſeruans, omnis vegetationis, accretionis & transmutationis inſtrumentum, odorum tùm gratorum, tùm ingratorum, fons & origo. Aſſimilatur igni, propter flammam, quàm facilè concipit: vt omnia reſinoſa & oleaginoſa alia: eique hoc peculiare eſt: quòd habeat vim leniendi & extrema contraria conglutinandi. Sicut enim nunquam tenacius lutum confeceris ex aqua & arena, niſi calcem aut aliquid glutinoſi commiſceris: ita nec Mercurius volatilis & Sal fixus coire in vnam ſubſtantiam tenaciter poſſunt, niſi vinculo & copula Sulphuris, quod, vtriuſque principij particeps, Salis ſiccitatem, & Mercurij liquitatem, ſua viſcoſitate: Salis denſitatem, & Mercurij permeabilitatem, molli ſua fluiditate; Salis amaritudinem, & Mercurij aciditatem dulcedine ſua contemperat.

Sulphur

Sulphuris proprium.

Calcis analogia cum Sulphure.

Sal eſt corpus illud ſiccum, ſalſum, res miſtas à putredine defendens, mirabilius diſſoluendi, coagulandi, detergendi & euacuandi facultatibus pollens: à quo omnis rerum ſoliditas, denominatio, ſapores & aliæ infinitæ virtutes. Analogia reſpondet terræ: non qua eſt hæc frigida & ſicca; ſed

Sal.

qua elementum hoc eſt firmum, fixum, & generationis corporum omnium ſubiectum.

Principia Chymica inter corporis et Spiritus naturã ambigunt.

Sunt autem dicta principia, propriè loquendo, nec corpora; quia planè ſpiritualia, ob cœleſtium ſeminum influxum, quo imprægnata ſunt; nec ſpiritus; quia corporea: ſed inter vtramque naturam ambigunt: varijsque nominibus à Philoſophis inſigniuntur, vel ſaltem his ad illa alluditur: vt ex ſequenti tabella videre eſt.

Sal,	Sulphur,	Mercurius.
Sal communę,	Sal Petræ,	Sal Armoniacum.
Acerbum & amarum,	Dulce	Acidum.
Corpus	Anima	Spiritus.
Materia	Forma	Idea.
Patiens	Agens	Informans aut mouens.
Fixum	Inflammabile	Vaporoſum.
Ars	Natura	Intelligentia.
Senſus	Iudicium	Intellectus.
Materiale	Spirituale	Glorioſum.

Omne corpꝰ miſtũ poteſt in ſua

Verùmenim verò omne corpus miſtum in hæc principia, ſacro ternario (ita ſecundum Pythagoricos omne & omnia tribus termi-

terminantur) constantia, recludi posse, & consumi, etsi validis rationum momentis comprobari posset: tamen eas omnes euidentia longè superat inspectio ocularis: ac proinde exemplis, ex vario mistorum genere desumtis, omnem rem in tyronum gratiam dilucidabimus. Exordiamur autem à lignis viridibus, quæ si cremes: egredietur primò aquosum quiddam, quod ignis flammæ concipiendæ planè inidoneum est, & in fumum conuersum si colligatur: in aquam resoluitur (atq; hac ratione e flamma potum petere, non impossibile) diciturque Mercurius: deinde exibit oleaginosum quiddam, facilè inflammabile, quod in vapores resolutum, si cohibeatur, in oleum abit, vocaturque Sulphur, tandem remanet siccum & terrestre, quod ex cineribus, aquæ beneficio, extrahitur, inque humido & frigore soluitur; calore autem concrescit, Salisque nomen obtinent. Ita Lac substantiam continet Sulphuream, butyrosam; deinde Mercurialem, serosam; & tandem Salinam, caseosam. In ouis albumen Mercurium exhibet: vitellus Sulphur: pelliculæ & putamina Sal. Ita ex lini semine oleum elicimus expressione: aquam ab oleo separatione: sal ex fæcibus relictis extractione. Pari ratione ex Gariophyl-

principia, tria recludi.

Lignum viride.

Lac.

Lini semen.

Caryophilli.

ryophyllis, aqua Mercurialis præſtantiſſima, oleum Sulphureum excellentiſſimum, & ex fecibus Sal educitur. Sic Nitrum in aquoſitatem diſpeſcitur, pinguedinem & ſalem. Non ſecus ex ſale marino producimus Mercurium γλυκύπικρον, dulces criſtallos, ſulphureæ planè naturæ, & tandem ipſum ſal fixiſſimum. Ita ex Antimonio elicitur Regulus, qui eſt Mercurius. α (Quòd ſi enim Mercurium præcipitatum, cinabariſatum, turbiſatum, ſublimatum, Mercurij nomine dignamur: cur non & Regulam antimonij, licet is modico ſulphure ſit coagulatus:) deinde rubrum ſulphur, flammam concipiens: (quia valde volatile, vt videre eſt in calcinatione antimonij, & eius reguli, ad Solem, per ſpeculum ardens, vbi ſulphur ſtatim flammam concipit: & in cinabari, confectione pulueris emetici) & tandem Sal, qui vomitiuus, β ratione ſulphuris, quod in omni ſale fixo reperitur; non autem ratione ſulphuris combuſtibilis: cùm ſulphur antimonij per ſe ſit diaphoreticum. Atque ſic de cæteris miſtorum reſolutionibus idem eſtò iudicium.

Nitrum.

Sal marinum.

Antimonium.

α *Regulus elicitur quidem ex antimonio; verum is non eſt ipſe Mercurius, ſed inſtar potius eius.*

β *Vomi-*

ß *Vomitiuus non eſt: Salia enim plerumq; habent vim diaphoreticam & diureticam; quamuis interdum quoque per ſeceſſum deturbandi vires poſſideant.*

Notandum autem primò: nullum prædictorum principiorum ſimplex atque ſolum, quod de reliquis non participet, repe-riri. Mercurius enim continet ſubſtantiam ſulphuream atque ſalinam: Sulphur ſubſtantiam ſalſam & mercurialem: Sal verò ſubſtantiam oleaginoſam, & materialem. Deinde obſeruandum etiam eſt: quod in ſpagyrica miſtorũ ἀναστοιχειώσει, prẽter priora tria commemorata principia verè actiua, duo alia reſultent corpora, quæ principiorum numero à Chymicis non adſcribuntur: quòd illorum tantùm ſint quaſi integumenta, omniq́ue δυνάμει Hippocratica deſtituta: quorum alterum ſiccum, Terra arenoſa eſt, ſiue cinis elotus: vocaturque Terra damnata & caput mortuum, nulla vi alia præditum, niſi ſiccante & emplaſtica, quodq́ue facili negotio in vitrum abit: alterum humidum, & accidentaliter aereum, nempe phlegma inſipidum & inodorum, quodq́ue tantùm humectat, citra vllam aliam ἐνέργειαν aut actiuitatem medicam.

Nullum principiũ, planè ſimplex eſt.

Caput mortuũ & phlegma non ſunt principia.

CAP.

CAPVT III.

De Calcinatione.

SOlutionis ſpecies duæ ſunt: Calcinatio & Extractio.

Calcinatio. Calcinatio eſt miſti α in calcem ſolutio.

α *Omne miſtum perfectè miſtum dicitur Chymicis ratione principiorum, quæ omnibus miſtis inſunt, niſi vnum miſtum alteri magis conſolidatum.*

3. Summ. perfect. cap 51. A Gebero definitur: α quod ſit rei per ignem puluerisatio, β per priuationem humiditatis, γ partes conſolidantis.

Calx Chymicorum. Per calcem autem intelligunt Chymici, quemlibet puluiſculum tenuiſſimum, ablatione ſuperfluæ humiditatis (præſertim ex mineralibus) factum. Quando verò puluis, vel calx, planè redditur impalpabilis, ad ſenſum ſubtiliſſimus, inſtar tenerrimæ farinæ; tum Alcohol appellitant: hocque vocabulum etiam ad ſubtiliſsimum vini ſpiritum, ſæpiſsimè reiteratis deſtillationibus rectificatum, omnique humiditate priuatū, commodè exprimendum transferunt; eum Alcohol vini indigetantes.

Alcohol.

Alcohol vini.

α *Quæ definitio paulò exquiſitior eſt priori.*

β *Scilicet Chymica. Siquidem non omnis*

pulue-

puluerisatio per ignem fit, nisi Chymica; multæ enim fiunt Solis radijs; Solis vi etiam sub terra.

γ Accidentalis scilicet; nunquam enim potest absumi illa humiditas essentialis per ignem, nisi facta incineratione.

Circa calcinationis doctrinam, antequam de ea sermonem instituamus, proprietates & significata calcis, à qua calcinationem formamus priùs explicare oportet. Calx igitur Chymicis non est lapis coctus, ideò dictus, quòd in ædificium calcetur, sed est tenuissimus puluisculus, ablatione superfluæ humiditatis, factus. Quemadmodum igitur lapis calcarius, beneficio ignis, inter coquendum omni humiditate priuatur; sic quicquid, quocunq; modo, humiditatem suam amisit in Chymicis, calx dicitur. Species calcis est alcohol, puluis ad sensum subtilissimus. instar farinæ tenerrimus, in quo nulla humiditas elementarijs ampliùs viget. Refertur alcohol ad spiritum, seu quintam Essentiam vini, qui, vbi, omni humore aqueo seu elementari, crebris, hoc est, philosophicis præparationibus, ablato, id duntaxat, quod substantiam vinosam spirituosamq; solùm complet, eruitur, hoc nominis per metaphoram accipit. In genere dicimus calcinationem, reductionem misti in calcem. Calcinamus ergo res, vt, humiditate partes misti copulante ablata, ex ijs puluis fiat.

fiat. Sed cùm humiditas duplex ſit, eſſentialis & accidentalis: vel vtraq; aufertur, & dicitur incineratio, vel ſaltem, manente priore, aboletur poſterior, & dicitur propriè calcinatio; de illa paulò poſt nobis agendum. Perſtringamus igitur vberiùs calcinationis naturam, ſiquidem eius vſus magnus eſt & neceſſarius. Sic primò calcinamus nonnulla, vt ad ſolutionem magis accommodata reddantur: veriſimile enim eſt, eſſentias ex integris propter duritiem minùs extrahi poſſe; quàm ſi in minimas partes, & atomos diuiſæ fuerint. Deinde tollitur calcinatione acrimonia, quæ, in tenui ſubſiſtens ſubſtantia, & à volatili ſale plerumq; dependens, ignis vi euaporat: hac ratione medicamenta acria miteſcunt. Vice verſa reperiuntur, quæ calcinatione tantum abeſt, vt mitiora euadant, quin acriora reddantur: nec enim humor aqueus, acrimoniam in integris multum alioquin diluens, poſt ſui ablationem eandem minorem, ſed potiùs maiorem, præſtat. Sic vitriolum crudum, ſic ſulphur crudum, minùs acria ſunt calcinatis. Cæterùm ex Gebri ſententia, tùm ſpiritus, id eſt, mineralia ignem non patiẽtia, tùm corpora, hoc eſt, metalla, calcinantur: ſpiritus quidem, vt facilius fingantur, & deliquio in aquas abeãt. Omne enim calcinati genus fixius inq; deliquiũ ſolubilius eſt nõ calcinato: ſemel enim paſſa ignem à fixione procul haud abſunt: præterea,

partes

partes calcinati, per ignem magis ſubtilitatæ, faciliùs cum aquis commiſcentur, inq; aquam tranſeunt. Corpora verò calcinantur, tùm vt deponant in aquam impuritates, & cruditates ſuas, tùm verò, vt hoc pacto faciliùs in liquorem abeant, tenuitatemq; conſecuta, naturam corpoream & torpentem facilè cum ſpirituali commutent. Inſuper calcinationis neceſſitas, eiusq; accurata adminiſtratio, locum proximè meretur in ijs, quæ alterationem ſaltẽ paucis mutatis, paſſa, in alcobolia abeunt: ceu ſunt magiſteria: quorum licet etiam varietas præparandi modos diuerſos pariat, omnia tamen ſic immutanda ſunt, ne quid detrimenti eſſentia capiat. Itaq; ignis reuerberij hic maximè laudatur, qui tamen, vt ab initio oportet ſit lentus, ac graduatus, ſi corpus leuibus & ſubtilibus erit donatum ſpiritibus; ſecus enim eſſentia ignis vehementia exhalaret. Vbi verò ariditas ſpiritus fixiores arguit, etiam cùm graduũ ignis obſeruationes, nonnihil intenſiùs ignem multiplicamus, quandoquidem nullum periculum perdendæ eſſentiæ imminet. Cæterùm calcinamus, vel igni potentiali, vel actuali: vterq; enim ignis continuatis vincula abſumit. Potentialem ignem ſuppeditant corroſiua omnia, vt ſunt ſalia, & exinde facti ſpiritus, ſeu aquæ ſtygiæ, vel fortes, quibus tota compages corroditur. Materiale ignis

ad-

adminiſtramus rebus primùm in minimas particulas comminutis, poſteà vaſi, pro re nata, vel aperto, vel clauſo, loricato, vel non loricato, ſine vel cum ſpiraculis inditis, tum cùm additamentis calcinationem adiuuantibus - fuſionem nempe prohibendo, vel ſimul corrodendo, (qualia additamenta ſunt ſalia) tùm etiã ſine ijſdem commiſtis. Verùm ſæpè vſus poſtulat, ſolidiora ſubiecta ante calcinationem actualem priùs aqua, aut aceto extingui, quo modo compages diuiſa ignis facilè ingreſſum largitur. Sunt quæ priùs per aquas ſuas corrodenda, poſtea igne reuerberij in cinerem redigenda; id quod fit, propter tenaciſſimam partium cohæſionem, quam neutiquam ignis diſſoluere potis fuerit, niſi corrodantur. Ignis verò natura ſua feliciùs agit in paululum antè diuiſa, quàm integra, proptereaq; valdè contumacia. Nihilominus ſunt quædam, quæ vice verſa verberari, poſteà corrodi deſiderant: neq; enim aliter in calces ſuas abeunt, niſi ab igne materiali priùs aliquid paſſa fuerint. Ac de his prolixè præcipere velle, cõmentarij leges tranſgrederemur: apud Autores enim vſu receptum eſt, vt, de peculiari calcinatione acturi, plerumq; modos eius ſimul indigitent: ſatis hic fuerit in generalibus operam poſuiſſe; & ad autorum lectiones; vel potiùs ipſam praxin, accommodaſſe.

Fitque

Fitque vel Corrosione; vel ignitione.

Corrosio est misti calcinatio, per res corrosiuas. *Corrosio.*

Vel sic: Corrosio est Calcinatio, res coagulatas per corrodentes spiritus in calcem reducens. Hæc quia non est vera rei solutio: ideò sub calcinationis doctrina meritò de ea præcipiendum.

Fit hæc varijs modis: potissimum tamen quatuor: videlicet Amalgamatione, Præcipitatione, Stratificatione, & Fumigatione.

Nonnulli eam in dichotomias redigunt, ita vt corrosio alia sit vaporosa, alia verò immersiua; hanc vicissim in humidam & siccam diuidunt, sub humida comprehendunt amalgamationem, præcipitationem; sub siccamentum & commixtionem.

Amalgamatio est corrosio metalli, per hydrargyrum. *Amalgamatio.*

Hæc metallorum propria est, nihilque aliud, quàm earundem subactio in massam per hydrargyrum, vt aliquando calx fiat. Deriuatur ab amalgamate seu potiùs malagmate siquidem amalgama est cum adiectione literæ a, & metathesi eiusdem, pro malagma. Quod amalgama à quibusdam clariùs sic exprimitur: est metallum cum mercurio incorporatum, vt instar butyri in vola extendi possit. Finis & vsus varius est in Alchymia. 1. ex

☉ & ☽ *artifices per eam heterogeneitates tollunt. 2. inſeruit præcipitationi* ☉ *cum* ☿ *pro impeto aureo. 3. multos in* ☉ & ☽ *vſus habet, vt fermè in omni operatione occurrat, in* ♄ & ♃ *(alia enim metalla non amalgamantur, ob prorſus alienam à* ☿ *naturam) pro oleo ex eis parando. 4. aurifabris, pro deauratione.*

Fit: quando metallum, excepto ferro, in tenues bracteas, vel laminas, ductum, cum Mercurij partibus octo, plus minus, (ad calcinationem enim metallorum mollium quatuor partes ſufficiunt; ad durorum verò vix octo) commiſcetur, vt fiat maſſa vndiq; ſui ſimilis, ad metalli vnitatem ſoluendam. Hydrargyro enim euaporato ſuper igne, metallum, inſtar tenuis calcis, relinquitur.

Adminiſtratio vulgaris eſt ita: aurum, argentum, aut ſtannum (nam ijs familiaris eſt hydrargyrus) rediguntur in lamellas, vel pulueres, aut elimatam ſcobem: huius pars vna miſcetur illius vel duplo, vel triplo, vſq; ad octuplum: maſſa inde facta effunditur in catinum intus creta obductum, peneq; candentem, bacillo ligneo, probè ſubigitur, & agitatur, declinando tamen, ad euaporationem argenti viui: vbi benè ſubacta ſunt omnia, in aquam frigidam malagma conijcitur, exſiccatur, pars ar-

genti

genti viui per corium hircinum, vel ceruinum, exprimitur; quod reſtat, tollitur, aut ſublimando in vaſe, aut corrodendo per acutas, aut exhalando ſuper prunis.

Præcipitatio eſt corroſio per aquas fortes. *Precipitatio.*

Fit: quando corpora, *a* liquori corroſiuo immerguntur; & poſtmodùm corroſa & ſoluta, vel aquæ fortis abſtractione, vel alio modo, in calcem repercutiuntur.

a mineralia & metallica.

Præcipitatio non tantùm eſt corroſio per aquas fortes, ſed etiam per ſpiritus acutos, cæteroſque liquores, vel eorundem abſtractione, vel alio ἐγχειρήματε corporum in calcem repercuſſio. Spiritus acuti ſunt menſtrua potiſſimùm ex mineralibus medijs, vel ſeorſim, vel coniunctim, certa proportione commiſtis, violentia ignis, lege deſtillationum, elicita. Horum varia ſunt genera, pro rerum calcinandarum, & ſcopo artificis, vbiuis in communi vſu recepta: communiter ex ſimplicibus ſunt, vt ſpiritus aluminis, oleum acidum ſulphuris: his accenſentur cæteri liquores acres, vt, acetum deſtillatum, ſuccus limonum & berberum, muria, exalme, aquæ aluminoſæ, chalcantoſæ, aqua mellis ſuo ſale exaſperata; ſpiritus tartari,

& infinitæ aliæ aquæ, tam naturales, quam artificiales. Ex miſtis ſunt aquæ fortes, ex alumine & vitriolo, adiecto interdum ſale vel ſulphure, factæ: ſunt aquæ regiæ, quæ regem metallorum nempe ☉ dilacerant, potiſſimùm ope regij ſatellitis, aut aquilæ, quem ſalem ammoniacum nuncupant. Principiò itaq; ſpiritus acutus corporis ſeu metalli compagem diſſoluit, inq; ſuam naturam aqueam conſumit, quibus remotis, vel diuturnitate temporis defatigatis, calx ſubſidet. Si verò poſt diſſolutionem corporis aqua calcem non dimittat, ſolent artifices addere, quæ ſeparationem faciant. Videlicet, aut aquam communem affundunt, vt hac ratione obtuſa vis aquæ fortis calcem ampliùs non retineat, ſed deſcendat, hoc eſt, præcipitium patiatur, adeòq; ſeſe manifeſtet. Aut ſalem addunt, vel aquam ſalſam calidam. Sed diuerſæ materiæ diuerſas ſæpe habent ſeparationes, vt pro argento ſolent reijcere laminas Veneris, ad quas naturali inclinatione Lunæ calx ſe deuoluit. Huius ἐγχειρήματος cauſam eam eſſe puto: quia ſpiritus vitrioli, ex quo & alumine omnes aquæ fortes præcipuè fiunt, tanquam cupro connatus ac homogeneus, ſeſe eidem coniungendo, quam in ſe abſorpſerat argenti calcem, hoc modo derelinquit, & penes Venerem abijcit. Omnes iſtæ calces, aquis ſegregatis, ſtudiosè per-

pluuia-

pluuialem, vel deſtillatum dulcem, eluuntur, ſiccantur, & ad vſus reponuntur. Non eſt autem in hac calcinatione negligendum, quin vnicuiq; corpori calcinando, ſua præſtò ſit aqua corroſiua, ne fruſtraneus planè, aut non ſperatus ſubſequatur effectus. Quemadmodum non eadem aqua fortis ſoluit argentum, quæ aurum: ſic nec promiſcuè quælibet corpora à quibuslibet corroſiuis diſcontinuari deſiderant, poſſuntq;. Sic alia aqua opus eſt, cum calx paratur in vſum humani corporis; alia, cum pro medicina tranſmutatoria.

Stratificatio eſt corroſio per pulueres corroſiuos. *Stratificatio.*

Stratificatio licet propriè calcinatio dici nequeat: eſt enim tantùm ad hanc conſequendam ſubſidiaria operatio, itaq; per ſe calcinationem non abſoluit: quia tamen eidem inſeruit, id quòd etiam amalgamatio facit, autor cum vulgo ad calcinationem refert.

Fit: cum crucibulum, pixis, vel ollametallo laminato, & pulueribus corroſiuis repletur: faciendo S. S. S. hoc eſt, ponendo aliquid de puluere corroſiuo in pixidem, & huic ſuperſternendo tenuem laminam corporis metallici, & ſic pergendo, donec vas referciatur; cauendoq;, ne laminæ mutuò ſe contingant. Poſtea ponuntur carbones

per circuitum; vel datur ignis reuerberij, paulatim augendo, vt res poſtulat. Dicitur etiam

Vel clarius ſic: Stratificatio eſt, quando in olla ſeu catino, de puluere corroſiuo, & laminis vel pulueribus metallicis, ſtrues, ſeu S. S. S. id eſt ſtratum ſuper ſtratum, vsq; ad ſummum orificium extruitur, vas poſtea igni rotæ, ſeu circulari, per gradus committitur, donec laminæ metallicæ friabiles fiant. Coincidit penè cum cæmentatione, de qua iam.

Cœmentatio, eiq; affinis eſt.

Cœmentatio.

Cœmentatio eſt corroſio ſicca, qua corpus aliquod metallicum, cum ſalibus corrodentibus, alijsq; rebus ex ſiccantibus, ſtratificatum, confringitur & calcinatur. Apparatus eius eſt talis: Corpus metallicum cœmentandum in tenues laminas redigitur, & in fruſtula forcipe ſcinditur; ſpecies autem corrodentes pulueriſantur, & aceto, vrina, vel aqua forti madefiunt, vt fiant inſtar pulticulæ: (nonnulli illis ſiccis vtuntur.) Deinde huius pulticulæ, vel puluеris, aliqua portio pyxidi cæmentaria inditur, illiq; lamina ſuperponitur, & laminæ alia puluеris portio aſpergitur, & ſic fit ſtratum ſuperſtratum, vt loquuntur artifices, vsq; ad ſummum, vel circiter; pixis luto aliquo tenaci armatur, tegitur operculo, & agglutinatur, atque igni,

igni, vel (quod ſatius eſt) ſuo furno imponitur, & ſecundum gradus cæmentatur, quatuor, ſex, octo, duodecim, vel viginti quatuor horis, imò etiam aliquot diebus (pro re nata) inibi conſeruatur, dato tamen ſpiraculo in ſummo, vel etiam pluribus, ſi ſales fugaces, vt ammonius, ſal petræ &c. ſunt in cæmento; aliàs opus diſrumpitur. Tandem, pixide infrigidata, eximitur, laminæq; à puluere ſeparantur, quæ totæ confractæ ac calcinatæ inueniuntur. Fines cæmentandi dependẽt ab artificis conſilio qui eò dirigit in cæmentum, vt ſcilicet depuretur metallum, colore & conſtantia exalteretur.

Commixtio, qua corpus corrodendum cum pulueribus corroſiuis commiſcetur, & igni poſtmodum admotum in calcem redigitur. *Commixtio.*

Hoc eſt, quando corpori calcinando ſpecies quædam, vtpote ſulphur, ſal petræ, ſed commune, vel aliæ, commiſcentur ac conteruntur, quibus igni admotis corpus in calcem redigetur.

Fumigatio eſt corroſio metalli per fumum, vel vaporem acrem. *Fumigatio.*

Fumigatio, ſecundum duplicem fumi naturam, duplex ſtatuitur; quandoq; enim ſicco, quandoq; humido vapore, res peragitur. Siccus vapor eſt mineralium & potiſſimùm argenti viui, & plumbi; tùm ad nobiliora metalla hac

ratione per alterutrum calcinanda, tùm etiam ſolius plumbi ad argentum viuum. Modus prioris eſt eiuſmodi: ſuperfuſum plumbum, aut argentum viuum, calens, in olla, anguſtioris orificij, lamina vel auri vel argenti ſupernè appoſita, vaporem ab alterutro aſcendentem combibens, friabilis fit, exindeq; cum ſale teri, & in calcem redigi poteſt. Poſterior ratio eſt talis: in plumbum, leuiter ſine ignitione liquefactum, poſt primam, vel aliqualem refrigerationem, fouea vel bacillo vel lapide imprimitur, in eamq; adhuc calentem argentum viuum immiſſum, & poſt refrigerationem exemtum, repetitis poſtmodùm aliquoties illis plumbi fuſionibus, & hydragyro in foueam immiſſo, undiq; friabile fit, adeòq; in puluerem ſeu calcem abit. Vapor humidus eſt liquorum, vel aquarum acutarum, ſuis halitibus corpora corrodentium. Sic lamella metallorum, filo per foramen, in ollam orificij anguſtioris, ſuper acetum deſtillatorum, vel aliam aquam ſtygiam, ſuſpenſæ, ollaq; probe obſtructa in calidis cineribus, vel ventre equino, aliquandiu relictæ, paulatim à vaporibus humidis ſubtus euaporantium liquorum ſuperficietenus corroſæ, calcem acquirunt: quibus abraſis, prædictoq; opere identidem repetito, tandem planè in calcem abeunt.

Fit

Fit hæc varijs modis: In genere ſcire ſufficiat: quod corpus metallicum in lamellas diductum, & per fumum calcinandum, ſuſpendatur, vel ſuper aquas fortes, acetum, vel vaporem plumbi liquefacti, vel mercurij, vel ſimilium rerum acrium: vti vulgò ceruſſam parare conſueuerunt.

Ignitio eſt calcinatio per ignem. *Ignitio.*

Nulla fit absq; igne calcinatio, ſi non actuali, tamen potentiali, ſi non immediatè, tamen mediatè: Sic fumigatio eſt calcinatio per ignem, quamuis non immediatè, tamen mediatè.

Eſtque vel Cineſactio vel Reuerberatio.

Cineſactio eſt ignitio, qua corpora vegetabilia & animalia in cineres, igne violentiori, rediguntur. *Cineſactio.*

Mineralia (Chymico more loquendo) propriè non in cineres, ſed in calcem redigi dicuntur. Ideò cineſactio ſeu incineratio definitur, quòd ſit ignitio, corpora vegetabilia & animalia vehementiore igne in cineres conuertens: vel, vt clariùs deſcribam, eſt operatio Chymica, miſtorum corporum vegetabilium & animalium, omni humiditate, tàm eſſentiali, quàm accidentali, (quarum mentio etiam ſuprà facta) abſorpta, in cinerem ignis beneficio redi-

gens,

gens, ſiquidem in ijs nihil relinquitur, præter ſalem & terram quandam damnatam, nulli vſui, niſi ſiccanti & emplaſtico, inſeruientem. Eius adminiſtratio eſt duplex: aperta & occluſa. Aperta, in qua materia viua flamma comburitur, ita vt fiat flammæ quaſi pabulum, vſquequò in albiſſimum & perfectiſſimum cinerem redigatur, ex quo ſal elementaris tantùm extrahitur. Occluſa adminiſtratio eſt; cùm in olla, appoſito operculo, vndiquaque luto agglutinatis commiſſuris, in cinerem comburitur, atque hac ratione volatilia cum fixis figuntur. Ex quo extrahitur ſal eſſentialis, qui alkali dicitur, in hac differens ab altero, quòd quamuis in hoc calcinatione omnis humor abſumatur, tamen ſpiritus quidam figuntur & retinentur, vnde & eſſentialis dicitur quòd aliquid de eſſentia retineatur.

Reuerberatio. Reuerberatio eſt ignitio, qua corpora, igne viuo, in furno reuerberij, calcinantur.

Dicitur reuerberium, ſeu ignis reuerberans inde, quia flamma, ſiue pruna ſit, ſiue lignorum, in ipſam materiam agat vndiquaque, adeò, vt, cùm natura eius ſit ſubuolare, hic cogatur replicare, & ipſum vas reciproco curſu ſeſe intorquere. Componitur autem hæc reuerberatio ex duplici motu, tum naturæ

in re-

in rectum, ſurſum; tùm violento in obliquum deorſumque. Cùm enim ignis materia ſit fumus, qui vaſtis voluminibus, ſi non datur exitus, in ſe reuoluitur; motus iſte miſtus ei competit. Hæc ab artificibus in duas diſpeſcitur differentias, in reuerberationem ſcilicet clauſam, & apertam. Clauſa eſt, quando corpora reuerberanda in furno reuerberij clauſo calcinantur. Hac reuerberatione ignis gradus ad amuſſim adminiſtrari poſſunt, vt calor intendi remittique poſſit, quod in vulgaribus non accidit. Reuerberatio aperta eſt, quando materia in reuerberatorio furno, omnibus foraminibus apertis; calcinatur. Hæc reuerberatio valdè vehemens eſt, & vtimur ea in corporibus duris, & pertinacibus, reſoluendis.

Huc pertinet & DESICCATIO humiditatis natiuæ vt fieri ſolet in ſale, vitriolo, alumine, & ſimilibus *a*. *Deſiccatio humiditatis natiuæ.*

a Malè autor hic vocat deſiccationem humiditatis natiuæ; meliùs enim & rectiùs dixiſſet humiditatis accidentalis; ſiquidem nulla talis deſiccatio arte ſpagyrica comparari poteſt, quæ etiam humiditatis eſſentialis conſumtionem, aut abolitionem, denotaret. Nam impoſſibile eſt, vt eſſentia, humiditate natiua abolita, per ſe ſubſiſtere valeat.

Humi-

Humiditas iſta, quæ in deſiccatione vitrioli & ſimilium mineralium perit, non videtur eſſe ſimpliciter extranea aut accidentalis, vt quidam volunt. Ea enim ablata varietas ſpecierum, ob imutatos colores & ſapores, dignoſci non poteſt. Deinde humiditatem phlegmaticam, quæ in vino eſt, & qua ablata id in aquam ardentem mutatur, quis vino negabit eſſe natiuam? Imò ipſe ſpiritus vitrioli, quem ſolum vitrioli humiditatem natiuam eſſe ſtatuunt, non caret eiuſmodi humiditate phlegmatica, & abſque ea ſubſiſtere haud poteſt: ſeparatur ea deſtillãdo vncias quatuor ſpiritus vitrioli ſuper vnciam vnã ſalis tartari. Ita enim vnciæ tres ſemis aut circiter prodeũt aquę planè inſipidę.

CAPVT IV.

De Extractione.

Extractio. EXtractio eſt ſpecies reſolutionis, qua corporis mixti partes ſubtiliores à craſſioribus ſegregantur.

Hic vocabulum extractionis in latiſſimo ſumitur ſignificatu, ita, vt non tantùm pro eſſentiæ ex corpore per menſtruum ſeparatione, vbi poſtea ſeparato menſtruo, vel euaporatione, vel deſtillatione, corporis eſſentia in fundo relinquitur,

quitur, quæ extractum vocatur, uerùm etiam pro cooperatione quæ ſimul ſublimationem & deſtillationem ſub ſe comprehendit, accipiatur.

Eſtq; duplex: vel generaliter; vel ſpecialiter ſic dicta.

Generaliter ſic dicta fit dupliciter: cùm aſcenſione & deſcenſione; tùm modo intermedio. *Extractio generaliter conſiderata.*

Vel ſic; aut ſine medio, vt aſcenſione & deſcenſione: aut cum medio.

Eſtq; illa vel ſicca vel humida.

Sicca Sublimatio; humida Deſtillatio dicitur.

Sublimatio eſt extractio partium ſubtiliorum ſiccarum, per ignem, in ſublimé eleuatarum, & vaſi adhærentium. *Sublimatio.*

Cum in ſublime quid euehitur ſuſtollituṙq; illud Chymici ſublimationem vocant, quamuis non admodùm Latina dictione. Hinc puriori latinitati addicti eam eleuationem ſiccam (vt deſtillationem, eleuationem humidam) nominant: ſublimatio ſiquidem maximè affinis eſt deſtillationi per aſcenſum, tùm vt hæc, ita & illa, requirat vaſa recta, & in eo ſaltem differant, quòd ſicut in deſtillatione vapores, qui in altum tollantur, in liquorem contreſcunt: ita in ſublimatione exhalationes ſiccæ adſcendunt, & in altum ſublatæ, alembici la-

teribus

teribus, instar atomorum, adhærescunt. Vnde sublimationem definimus, quòd sit operatio, qua corpus halitus specie, vi ignis, in sublime propellitur, ibique ab ambiente frigido congelatum subsistit, & à forma operationis sublimatum nuncupatur, præcipitationique opponitur. Sic Geber, lib.2. summ. perfect. part.4. cap.40. *sublimationem esse dicit, rei siccæ per ignem eleuationem, cum adhærentia in suo vase. Vasa autem sublimatoria nunc altiora sunt, nunc humiliora, prout materia sublimanda magis vel minùs volatilis est. Si enim sit volatilis: adhibendum est sublimatorium altius. Sin minùs altè ascendat, humilius. Interdum plures ollæ in hunc vsum paratæ adhibentur, & altera alteri imponitur, quæ omnes in parte superiore sunt perforatæ, superior solùm clausa est, & in latere rostrum habet, vt, si quid humidi adsit, exstillare queat. Adhibentur autem eo fine tot ollæ, vt magis purum & volatile in supremam ascendat ollam; quæ impurior verò & grauior, in imo subsideat. Porrò sublimatio diuersificatur secundùm diuersitatem spirituum sublimandorum, vt loquitur Geber; quædam enim fit cum ignitione forti; vt marchasitæ, magnesiæ & tutiæ; quædam mediocri, vt mercurij & arsenici; quædam cum igne remisso, vt sulphuris. Quomodo verò tota sublimatio*

insti-

inſtituenda, in genere, hac vice, ſufficiant ea, quæ ſequuntur ; ſuperuacaneum enim foret de varijs & infinitis ſublimationum modis hic præcipere velle, cùm hi non aliunde, quàm ex ipſa ἐγχειρήσει magis innoteſcere poſſint, quam vnicè Chymiatriæ ſtudioſis commendamus.

Materia ſublimanda, eaq; vel ſola, vel cum alijs fixis magis miſcenda, quæ eam tardare poſſint, ne ſtatim, vbi igne incaleſcit, fugiat, & impuritates omnes ſecum quadam affinitate retineat : vel ſi res ſublimanda eſt fixa, miſceatur cum volatili, quæ ipſam, vel totam, vel partem eius, in altum tollat. Obſeruandi quoq; ſunt ignis gradus : Primò ignis lentus eſt adhibendus, & talis ſolùm, qui aqueum & humidum, (modò talis ſit materia, quæ inutili humore abundet) quod ineſt, euocari poſſit. Et ſi quid per illum gradum ſimul ſublimetur: ignis non augeatur, vt ita ſubtiliſſima pars adſcendat igni debili, quæ ſeorſim, ſi placet, colligi poteſt. Sin autem parùm adſcendere deprehendas, augeatur. Animaduertendum etiam, ad alembici vel ollæ magnitudinem : ſi enim materia ſublimata referta eſt, tum vel cum noua permutari debet, vel euacuari materia, ne flores, priùs collecti, viciſſim in cucurbitam decidant. Verùm nec hęc ſublimationis doctrinam

comple-

complere poſſunt , niſi artifex quoque intendat ad materiam ſublimandam , num ea ſit ſimplex, num verò compoſita. In ſimplici ſufficit euectio partium ſubtiliorum ſiccarum per ignem in ſublime eleuatarum , cum corporis in alienam formam tranſmutatione , vt in mercurij ſublimatione , videre eſt ; in compoſita verò requiritur etiam diuerſarum rerum incorporatio in vnam ſubſtantiam , vt inde ſublimatum compoſitum emergat , & nouum medicamentum , vt in cinabari .

Fit : cum res ſublimanda præparatur, vt decet , nempe vel lotione , vel calcinatione, toſtione , coctione, vel ſimiliter ; & poſtmodùm vel ſola , vel alij materiei permiſta, matulæ inferiùs rotundæ aut latæ, vt media tantùm eius pars repleatur, imponitur, cumque hac aludel extra fornacem , in altum protuberans , luto ſalſo conglutinatur : cui alembicus cœcus in medio vertice perforatus, vt ſpiritus humidi per foramen illud exhalare queant , ſuperſternitur . Datur poſtea ignis per gradus : oculusq; alembici , cum humiditas omnis expirauit, (id quod vel vitro, vel lamina aliqua ferreà polita, quando ea adhibita halitu non ampliùs inficitur , animaduerti poteſt) luto clauditur , ignisq; ad ſpiritus in ſublime pellendos , intenditur .

Cum

Cum igitur, ſecundum Geberum, Sublimatio ſit rei ſiccæ per ignem eleuatio, cum adhærentia vaſis: patet: quàm malè vulgò Deſtillatio & Sublimatio confundantur: & aquæ, quæ deſtillatæ ſunt; ſublimatæ vocitentur. Deinde notandum etiam eſt: quod hæc operatio Chymica non nouum ſit inuentum; ſed & veteribus cognitum. Ita enim & Cadmia paratur, teſte Galeno & Dioſcoride: & ex hac pompholyx & ſpodium, ijſdem teſtibus. *lib. 2. ſum. perfect. part. 4. c. 40.* *lib. 15. cap. 85.*

Deſtillatio eſt partium humidarum, inhalitus à calore extenuatarum, atq; eleuatarum, & halituum, ab ambiente frigido in liquorem coactorum, per alembici roſtrum, in excipulum ſubiectum, extractio. *Deſtillatio.*

Deſtillatio Græcis καταγαλαγμὸς *dicitur, proprièque ſignificare videtur paulatim fluere, & quia alembicorum roſtra paulatim & guttatim ſtillant, ideò deſtillare dixerunt. Sic Dioſcorides in chalcantho, quoddam dici* γαλακτικὸν *ait, quaſi ſtillatim decidens & concreſcens; vnde* γαλάξις *deſtillatio. Hæc inter operationes Chymicas ferè frequentiſſima & maximè neceſſaria eſt, ita vt tantus eius ſit vſus, vt omnibus alijs operationibus inſeruiat, vel menſtrua præparando, vel eadem iterum ab eſſentijs ſeparando, nec non eſſentiarum extra-*

hendarum gratia inuenta esse videtur. Essentiæ verò vt exaltentur, & subtiliores, ac ad penetrationem promptiores reddantur, debent destillari. Quámuis nomine destillationis alij aliter vtantur, nonnulliq; destillationis vocabulo totam artem chymicam intelligant: hic tamen magis propriè destillationis nomen sumitur.

Quidam etiam destillationem eleuationis humidæ nomine indigitant. Hanc alij aliter definiunt, ita vt quibusdam sit partium humidarum, in halitus extenuatarum, à siccis & grossis subtilitatio. Aut describunt, quòd sit operatio, qua, quod in corpore est humoris, totum illud vaporis specie ab eo separatur, qui postea à frigido ambiente congelatus in liquorem ab excipulo recipitur.

Ars Naturam imitatur.

Verum esse, quod Aristoteles 4. *Meteor.* dicit: *μιμεῖται ἡ τέχνη τὴν φύσιν*, id vel ex hac operatione praxeos chymicæ vulgatissima constat. Sicut enim vapores ex terra, radijs solaribus, in mediam aeris regionem subuecti, eiusque plagæ cœlestis frigiditate densiores facti, in pluuiam facessunt: ita Chymicus artifex ex rebus halabilibus & vaporabilibus, ignis ministerio, tenuium spirituum à crassioribus partibus separatione, & ad frigidas capitelli cameras eleuatione,

essen-

essentiam earum, forma liquoris, elicit: Sic in humano corpore, cùm ἀναθυμιάσεις ex inferioribus partibus, in aeream microcosmi plagam, tanquam in alembicum, efferuntur: eius frigore, in excrementum pituitosum & mucosum condensantur: vnde postea perennis eius in nares, palatum, aut alias corporis partes, fit destillatio & defluxio. Hinc fit: quòd in ciborum elixatione ollas operculo claudamus, vt quidquid vaporum in aquam concreuit, in suam originem postliminiò reuertatur. Et quando dapum calorem fouere volumus; patinas, quibus eæ apponuntur, alijs cooperimus paropsidibus: vnde vapores ciborum, ab illarum ἀντιπεριστάσει frigida incrassati, globatim delabuntur.

Estq; Destillatio, pro diuerso vasorum positu, vt alias multas differentias taceam, vel Recta vel Obliqua. Illa fit per alembicum, aut vesicam; hæc per retortam, in rebus præsertim spiritus contumaciores fouentibus.

Ex diuersitate materierum etiam diuersa separandi ratio inuenta, & ne huic arti aliquid deesset, artifices varios destillandi modos

& genera finxerunt, quibus tandem voti compotes facti. Nam alia in halitus & vapores ac ſpiritus facilè conuerti poſſunt; ex alijs non niſi maiore ignis vi halitus eliciuntur; atq; halitus illi, caloris beneficio eleuati, vel facilè in ſublime feruntur, & ſurſum tendunt; vel ob grauitatem deorſum feruntur; vel medio modo ſeſe habent, & in ſublime quidem nonnihil eleuantur, ſed tamen locum nimis altum non aſcendunt. Hinc ignis patens dat maiorem calorem; minorem arena: adhuc minorem aqua. At hæ differentiæ omnes ad tria genera non incommodè redigi poſſunt, & triplex conſtituitur deſtillatio; per adſcenſum, ad latus, & per deſcenſum; vel, vt autor diſtinguit, in rectam & obliquam, hanc viciſſim vel per latus, vel per retortam. Recta eſt, qua partes humidæ ſubtiliores in æthera eleuatæ, & frigidis alembici cameris adhærentes, in humorem condenſantur, atque per eiuſdem canalem guttatim in appoſitum vas deſtillant ac dilabuntur. Fit autem illa hoc pacto: Materia deſtillanda inditur cucurbitæ, non nimis altæ, ſed ſatis amplæ, (requirit enim cucurbitam rectam, ſiue, vt quibuſdam placet, matulam, vel ampullam, & materiæ rei operam meliùs inſeruientem, cum ſuo pileo roſtrato, id eſt, alembico) & imponitur alembicus magnus, qui ſpiritus aſcendentes faciliùs capiat, &

in

in humorem reſoluat. Poſtea pro ratione rei eleuandæ, ad calorem adæquatum ponitur, appoſito receptaculo humorem delabentem accipiente, omnibuſque iuncturis probè clauſis ignis accenſus, ſecundum gradus, adhibetur eò vſque, quò omnis humiditas alembicum tranſcenderit. Præterea ad hanc formam referri poſſunt, deſtillatio per campanam, qua oleum Sulphuris præparatur, & deſtillatio per patinam, quæ vnà cum floribus odoriferis (quibus præcipuè inſeruit) ſuper fornacem cum lentiſſimo igne collocatur, & ſupponitur alia patina per quandam inclinationem, cum interpoſito linteo, quod recipiens vapores adſcendentes per linteum in ollam ſuppoſitam guttatim demittit. Deſtillatio obliqua per latus eſt, quando humor ex vaſe in latus inclinato prolicitur. Hæc præcipuè vſum habet in mineralibus, nonnunquam etiam in vegetabilibus quibuſdam, vt in lachrymis arborum, gummi & eiuſmodi, quæ, quia grauia ſunt, ægrè aſcendunt Vas, per quod hæc deſtillatio peragitur; ſeu vitreum; ſeu terreum ſit; nonnulli cucurbitam incuruam, alij bociam contra bociam nominant. Ponitur autem retorta plerumque in ignem patentem, interdum in cineres, ſæpius in arenam: vnde ferè ſecundo, tertio, aut quarto coloris gradui hæc deſtillatio opus eſt. Et tandem deſtillatio per retortam eſt, quando

humor ex retorta propellitur igne patente. Eius autem apparatum hic deſcribere ſtudio ſuperſedemus, cùm is apud autores paſſim reperiatur. His omnibus apponenda ſunt ſua receptacula, ſecundum diſcretionem artificis maximè reſpicientis materiam elaborandam. Nam quædam requirunt neceſſariò magna receptacula, ſiquidem parua rumpentur, vt oleum Antimonij, Vitrioli, &c. quædam parua, vt aquæ communes, & ſpiritus.

Rectificatio. Huc pertinent Rectificatio & Cohobatio.

Rectificatio eſt repetita liquorum deſtillatio, ad eos magis purificandos [a] & exaltandos. Perficitur tamen hæc etiam quandoque Digeſtione: & ſicca cum rectificanda ſunt, fit illud repetita ſublimatione.

[a] *Id eſt, ad vires eius magis reddendas, efficaciores.*

Rectificatio ad deſtillationem pertinet, (quamquam interdum reiteratio ſublimationis rectificatio nuncupetur) ſed potiùs vſus eſt deſtillationis repetitus. Hinc rectificatio aliàs ab artificibus donata vocatur, reſpectu ſcilicet effectus, quem producit. Vſum tantùm habet in liquoribus, nimirum vt alienitates ſeparentur, vt phlegma à ſpiritu vel oleo, vel contrà. Magnum etiam in acuendis, cum ſale ſuo pro-

proprio, ſpiritibus, vſum habet. Imò tam neceſſaria operatio eſt hæc, vt ſine ea rarò perfectum medicamentum à deſtillatione producatur. Eundem tamen habet inſtrumentorum & operationis apparatum, qualem deſtillatio, tam per aſcenſum, quàm per latus; nonnunquam verò per diſcenſum, poſſidet.

Cohobatio eſt deſtillationis reiteratio, qua liquor deſtillatus rurſus fecibus reaffunditur, & denuò deſtillatur. Fit autem fecibus priùs tritis, & humore, paulatim vt macerentur, imbutis. *Cohobatio.*

Quemadmodum omnis maceratio cõtinuata menſtrui ſui præſentia materiam mollificat, & ad ſeparationem cogit: ſic cohobatio multiplici ſæpius repetita menſtrui affuſione idem præſtat. Cohobatio igitur parumper à maceratione diſtat, niſi quòd hæc requiem; illa continuum motum requirat, ſuum itaq; vſum deſtillationibus proprium facit. Eſtque nihilominus partium corporis, ob frequentem vehiculi affuſionem, eiuſdemq; exinde beneficio deſtillationis prolectationem, ſolutio ſeu corruptio. Finem promittit duplicem: aut enim materia aliquid, vel virium, vel ſubſtantiæ in menſtruum ſæpiùs aggeſtum & euocatum ſimul tranſmittit; aut vice verſa ab eodem ſibi nonnihil identidem retinet. Illo modo etiã fixa reddũtur volatilia; hoc volatile fit fixũ.

Deſtillatio p̃ deſcēſum.

Extractio generaliter ſic dicta, quæ fit deſcenſione, eſt duplex: vel calida; vel frigida.

Cauſſa deſtillationis per deſcenſum, ſecundum Geberum, eſt, vt ex vegetabilibus oleum eliciatur; nam pinguia difficiliùs aſcendunt propter pondus: infrà verò facilè dilabuntur. Huius a nonnullis quatuor recenſentur diſcrimina, admodum elementorum, ita vt vna deſtillatio per deſcenſum fiat per ignem; altera per terram, (quæ tamen parum inter ſe differunt, niſi quòd in hac mitiùs ſemper agatur) tertia per aerem; & quarta per aquam. Sed commodiùs ea ad διχοτομίαν rediguntur, dum deſtillatio per deſcenſum diſtinguatur in calidam & frigidam.

Calida eſt, qua partes ſubtiles à groſſis, per deſcenſum, mediante igne, ſeparantur: vnde etiam deſtillatio per deſcenſum dicitur, & in picis confectione adhibetur: cum ex ſtrue tædarum conciſarum, obſtructis vndiq; ſpiraculis, igneq; intra aceruum ſuccenſo, pix defluit, vt videre eſt apud Plinium, *lib.* 11. *c.* 16. & Matthiolum; qui operationem hanc exactè deſcribunt.

Deſtillatio per deſcenſum calida ſecundum breuiores lineas ſic deſcribi poteſt: quod ſit liquoris, è corporibus diſſoluti, inuerſo vaſe extra-

ctio.

ctio. Nominatur autem hæc deſtillatio per deſcenſum, quòd in hac liquor, ex reſolutis halitibus collectus, non ſurſum feratur, neq; ad latus. ſed infrà tendat, ac in vas ſuppoſitum deſtillet, potiſſimùmq; adhibeatur in ijs, quæ calor aſcenſorius corrumpat, aut quæ à fortibus ſpiritibus diſſipentur priùs, quàm conſiſtere poſſint. A Gebero tunc maximè vocatur Deſcenſio, cum calces metallorum fuſione reducuntur, conueniens excoctioni metallorum per canales; vel ſuper ligno, (ita enim appellant,) in qua è furno prodit canalis obliquus, & tendit ſub furnum in peculia rem catinum: nec expectatur fuſio totius, ſed vt primùm quid fluxit; mota materia per lignum incuruum; (vnde alterum operi nomen) deſcenditur in ſuffurnium, ne ab igne iacturam patiatur. Loco liquoris deſcendit nonnunquam vapor vnctuoſus, deorſum compulſus, qui excipiendus eſt aqua lebetibus contenta, vbi coagulat. Solet autem tunc plerumq; ferrea lamina perforata pro fundo vaſis eſſe. Huius autem apparatus varios hoc loco deſcribere opus eſſe minimè cenſemus, cùm faciles & vbiuis obuij inueniantur apud autores, imprimis Geberum, & Iohan. Bapt. Portam, qui conſulantur.

Frigida eſt, qua per deſcenſum, abſque igne, partium ſubtilium à craſſioribus fit ſeparatio.

Eſtq;

Eſtq; vel Filtratio, vel Deliquium.

Filtratio. Filtratio eſt, qua humores aquoſi per tritorium, aut chartam emporeticam, in modum infundibili conuolutam, aut manicam Hippocratis, laciniam mucronatam, aut ſimile quiddam, relictis in filtro, aut vaſe, partibus craſſioribus, percolatur.

In hac operatione frequenter nobis miniſtrant pilei, vnde, credo, chymicorum filtrum dictum. Nam ex pilis coactis informam panni fit, quod Germani Fila *vocant; vnde vulgò trajicere eſt* Filgilirem *quaſi per lacernam aut penulam piloſam agere. Hæc tamen à deſtillatione per lacinias, vel alios modos in textu expreſſos, minimè differt; diuerſi enim modi vnius operationis operationem non variant. Quapropter cum ſanioribus pro eadem operatione habemus; cùm omnes iſti modi ad vnum colliment finem, qui eſt aquæ vel liquoris ſerenitas ſeu puritas, vt habet Geber,* lib.1.part.4.ſum. perfect. cap. 50. *Apparatus eius principaliter ſic habet: Charta emporetica conuoluitur, aut complicatur, vel loco eius pannus villoſus conſuitur in ſacci formam, aut vaſi appplicatur, veluti in fundibulo, &c. Liquor infuſus finitur paulatim in excipulum deſtillari. Quod ſemel traductum eſt, niſi ſat purum eſt, iterum percolatur. Quod reſiſtit ſpiſſamentum, ab-*

radi-

raditur, ſi vtile eſt, vel eluitur, aut, ſi liquori planè tranſitus denegetur, mutanda eſt charta. In aliquibus adhibenda expreſſio eſt. Quæ autem ſine expreſsione filtrantur, fiunt clariora; quæ cum expreſsione, turbidiora. Quædam non ſemel, ſed ſæpius, vt clareſcant, filtranda ſunt. Si lenti ſunt ſucci, etiam calor admouetur. Porrò laciniæ ſeu panni ita ſint comparati, vt inferiores denſiores ſint ſuperioribus. Ita enim maximè liquor depuratur.

Quod ſi denique res pretioſa & plenè ſpirituoſa atque exhalabilis ſit: commodiſſimè inſtituetur filtratio per duplicem retortam, quem modum tradit Vlſiadius c. 56. vbi vide.

Deliquium eſt, cum immundæ calces, ſales, & ſimilia liquabilia, vel per ſe, inclinatæ tabulæ marmoreæ aut vitreæ imponuntur, vel ſacculo incluſæ ſuſpenduntur: vt, in aere vapido tabeſcentia, purum ſuccum emittant. Fit tamen interdum: vt nulla fiat partium ſegregatio per deliquium: vti quando ſales repurgati, aut ſimilia, in cellam, aut alium locum frigidum humidum collocantur; & ab humiditate externa, quæ in ea promtè ſe inſinuat, in liquorem, quin in ſubiectum vas deſcendit & defluit, reſoluuntur. *Deliquium.*

Pecu-

Peculiare liquationis genus eſt deliquium, vbi corpora coagulata cellæ, aeri, puteo, vt alij frigido & humido loco, ſuper marmore, tabula vitrea, vel in manicam Hippocratis (vt vocant) expoſita, externæ humiditatis, biſce corporibus ſeſe adiungentis, adiuuamus, in liquorem reſoluuntur, & in ſubiectum vas defluunt atq; deſtillant. Reſoluuntur autem in frigido potiſſimùm puluercs calcinati, ſalia, & eiuſmodi alia corpora, ſalium naturam redolentia. Niſi quòd calces reſolutæ poſt ſe relinquant terram mortuam; ſales verò totaliter colliqueſcant. Sed omnia, quæ in frigido reſoluuntur, in calido rurſus coagulantur. Huius loci eſt purgatio ſalium ab omnibus impuritatibus: frequentia enim deliquia, ſubinde euaporato liquore extraneo, paulatim terras damnatas abijciunt, ſalesq; omni terreſtreiate abiecta cryſtallinos, id eſt, tranſlucidos faciunt. Apparatus huius deliquij eſt multiplex. Nam interdum quod deliqueſcere in aere volumus, vel tabulæ marmoreæ, vel vitreæ, vel ferreæ ſtanno inductæ, inſpergitur, cuius latera cera inducuntur, atque lapidem vel tabulam eo locamus ſitu, vt ex ſuperiore parte, vbi poſita res eſt, in decliuia ad vnum exitum liquordecurrat, & excipiatur admoto vaſculo. Ponitur tabula in locum ſubterraneum, & cellam frigidam. Optimè au-

Inè autem fit, ac instituitur mensibus Iunio, Iulio & Augusto, quo tempore cellæ sunt frigidiores. Nonnunquam materia includitur vasculis, & suspenditur alicubi ad vaporem; seu in puteo, seu balneo roris. Interdum etiam guttæ aliquot aquæ, vel alterius liquoris conuenientis, calci vel sali insperguntur; vt solutio eò citiùs fiat. Quod si liquorem simul alteratum cupimus tinctumque; seu odore seu alia qualitate; rem liquandam exponimus decocto herbarum conuenientium, vel musto feruescenti & similibus. Cæterea tempus deliquij est indeterminatum; ratione enim salis vel puri, vel impuri, breuius vel longius requiritur, prout etiam pulueribus calcinatis multum vel parum salis insit. Nam quo sal est purior, subtilior & copiosior, eò citiùs in deliquium abit, atque liquor funditur, quippe quum omne deliquium sali debeatur. Tandem vasa, deliquijs destinata, densa & sine poris oportet vt sint, ne videlicet liquorem transmittant.

Extractio, quæ fit modo intermedio, est, qua rerum liquidarum, vel siccarum humectatarum, partes puriores ab impurioribus, sine destillatione & sublimatione, separantur. *a.*

a Vel extrahuntur.

Chymia-

Chymiatri in eo præcipuè laborant, vt formam illam rerum naturalium, à qua præcipua in medendo efficacia, ac ſua propria materia, à fece craſſiore, & inutili terreſtri, ac aquea materia ſeparent, id quod præcipuè variis extractionis modis cum dexteritate ſumma perficere conantur; hac enim operatione eſſentiæ ex corpore, per menſtruum quoddam idoneum & determinatum (nam vnus idemque liquor quamcunque eſſentiam ad ſe non trahit, ſed certus certam) facta ſeparatione, eruuntur, & poſtea, mediante euaporatione vel deſtillatione, in fundum relinquuntur, ac tum propriè Extracti nomine gaudent; aliàs cum adhuc ſub forma liquidiore eſt, & cum, menſtruo coniunctum, etiam colorem rei habet, peculiari nomine Tinctura appellatur. Deinde notandum, etiamſi autor, nonnullique alij, inter extracta etiam ea numerent, quæ è ſuccis recentium, ſeu viridium herbarum, expreſſis & depuratis conficiuntur: tamen, quæ ex rebus ſiccioribus, interuenicnte aliquo liquore, quem menſtruum artifices vocant, præparantur, propriò extractionis titulo ſunt inſignienda. Niſi enim res, ex quibus extracta parare cupimus, priùs exſiccentur, humidum illud ſuperfluum & alienum impedimento eſt liquori extrahenti, ne in penitiora ſeſe inſinuare poſſit.

Qua-

Qualis autem menſtruorum in extrahendis rebus electio eſſe debeat, de ijs infrà ad caput 9. præcipiemus.

Species illius tres ſunt: Digeſtio, Putrefactio, circulatio.

His ſpeciebus res propriè non extrahuntur, ſed duntaxat qualitercunq; coquuntur, vt infrà ex ipſomet autore hinc inde colligi poteſt. Quamuis interim, quod ea fiant propter extractionem, non negemus.

Digeſtio eſt, qua res, calore digeſtiuo, ad modum naturalis ciborum digeſtionis in ventriculo, coquuntur ſiue maturantur. *Digeſtio.*

Breuiter ſic definiri poteſt: digeſtio eſt maturatio ſimplex, qua in calore digeſtorio res inconcoctæ digeruntur. Tanta autem eſt inter digeſtionem & macerationem affinitas, vt ſæpè ab autoribus pro vno vſurpentur, niſi quod ratione finium diſcrepent. Huius digeſtionis vis, & efficacia ea eſt, vt etiam corpora alioquin duriſſima, quæ nullo modo macerari poſſunt, molliat, atq; ita intractabilia penetrando ſeu digerendo euadant operibus apta & mitiora: & ſi quid ineſt ſemicocti, perducatur ad partium abſolutarum conditionẽ, vt poſtea eo abundãtior ſit eſſentiæ meſſis. Et ſic digeſtio coniuncta cũ maceratione, admoto cõpetente calore, ipſum corpus molle ac tractabile reddit, & penetra-

tionem

tionem menſtrui admittit, & tincturam eidem liberè tranſmittit, ſimulque, quod adhuc feculentum eſt, in rebus ſeparat; ad fundum, quòd graue & terreſtre, præcipitat; leuius, vt ſpumam, ſuperficiei innatare cogit, idque vi & efficacia externi caloris, & quidem concoquentis. Inſuper digeſtio ſpiſſos humores ſubtiliat: aquoſitatem reſtantem in ſuccis concoquit, acerbitatem mitigat, opaca illuſtrat. Atque ex his cuiuis eſt facilè videre, in quibuſnam digeſtio & maceratio differant, & ſi macerationi addatnr digeſtio, quid præſtet. Adminiſtratio eius talis eſt. Res digeſtioni expoſita ponitur in virum benè clauſum, collocaturque in B. Mvel alium locum calidum. Ita enim calore lento in materiam agente impuritates grauiores, terreſtres, & ſubſtantiales ſeparantur, atque alienæ qualitates tolluntur.

Qua ratione enim ventriculus calore ſuo moderato, cibos crudos exceptos digerit, & in chylum concoquendo tranſmutat: vt ſecluſis fecibus, & in inteſtina amandatis, ex illo, ab hepate, benignioris purioriſq; ſubſtantiæ fiat extractio: ita etiam per calorem, cuiuis rei competentem, Digeſtio ſubtilia à groſſis ſeparat; quæ craſſa ſunt, incidit & attenuat: quæ cruda, coquit: quæ acerba, mitigat ac edulcorat: adeoque

omnia

omnia taliter elaborat: vt ex digeſtis copioſior ſemper eſſentiæ meſſis ſperanda ſit.

Adminiſtrationem eius doctiſſimus Libauius deſcribit hunc in modum. Res digerenda vaſi, tanquam ventriculo, includitur, vndique ſtipatis acceſſibus, niſi cum diuaporatio eſt coniuncta, vt in empyreumatis correctione, coagulatione & ſimilibus. Tunc enim exiguum foramen in operculo relinquitur & iuſtum tempus obſeruatur, ne quid de ſubſtantia pereat. Quod ſi eſt merus ſuccus aut liquor, res plana eſt: Sin minutal herbarum & ſimilium: vel proprius ſuccus relinquendus eſt, vel foris analogus humor addendus: quod tamen nonnunquam fit etiam in diuerſi generis liquoribus, veluti cum olea digeruntur cum vini ſpiritu &c. Vbi procliuitas eſt ad putredinem, nec adiectum menſtruum ei ſatis cauere poteſt: (Nõ enim debet fieri putrefactio, cum quid digerimus, licet digeſtio poſſit eſſe ad eam via) ſal addendum eſt. Ita apparatum vas collocetur in focum digeſtorium coloris competentis, ibique ſinatur, vſque ad quæſitum finem, qui diuerſus eſt, pro multiplici vſu digeſtionis. Exempli gratia: Herbæ recentes, ſuo ſucco madidæ, è quibus deſtillatione elicienda eſſentia eſt, maceratur triduo? ſic-

lib. 1. Alchym. c. 57.

cæ, vino reſperſæ, ſeptendio: ſemina & aromata dimidium menſem: radices ſiccæ per menſem; mineralia per menſem Philoſophicum, qui eſt dierum quadraginta, aut etiam diutius; pro firmitate rei & ratione menſtrui. Quædam bis macerantur, aſperſa vino Græco; vt aromata aliquando, quæ irrigata vſq; ad ſiccitatem digeruntur: pòſt puluerisata & denuò conſperſa macerantur ſecundò. Ita ſoliditas & raritas etiam diſcrimen facit. Aquæ deſtillatæ, dirigendo ad Solem; rectificantur per medium menſem, vaſe clauſo, ita, vt duæ partes ſint plenæ; tertia, ne ob copiam ſpirituum vitrum rumpatur, vacua: & nonnunquam arenæ infodiatur parte vitri tertia: id quod in frigidis potiſſimùm ſpectare iubent artifices. Calidæ verò aquæ & olea rectificantur in arena frigida, item tertia parte ſepulta, &c. in cella vapida; per menſem. Si humor alienus addendus: talis eſto, qui digeſtionem iuuet, citra corruptionem ſubſtantiæ. Et hic, ſi eſt alienior, ſeparatur, officio peracto: ſin paucus, & familiaris, aut etiam alterabilis in naturam digeſti, relinquitur. In denſis eſt acrior & nonnunquam corroſiuus; vt acetum, vini ſpiritus, vinum forte, &c. In alijs mitis; vt aqua deſtillata pluuia, roſacea, &c.

Menſis Philoſophicus.

non-

nonnunquam oleum certi generis. Interim quæ alienæ naturæ ſunt, & per digeſtionem ſeceſſum fecerunt, ſeparentur.

Ancillatur autem Digeſtio non tantùm deſtillationibus, aut extractionibus; verùm etiam rectificationi, coagulationi, fixationi, calcium per aquas fortes præparatarum edulcorationi, & appellatur Maceratio: quia hæc etiam vim habet penetrandi, rerum compagem reſerandi, & impuritates ſeparandi. *Macera tio.*

Putrefactio eſt, qua miſtum per putredinem naturalem, humore, ſiccum terminans vincente, & externo calore, fortiùs, quàm interno, operante, reſoluitur, ad eſſentiam ab heterogeneis extrahendam & ſegregandam. *Putrefa ctio.*

Modus eſt talis: Quod putrefaciendum eſt, præparatur, vt decet; eique in cucurbita vitrea, ſi vel ſiccum ſit, vel humiditate ad putreſcendum ſufficienti non abundet: ὄχημα quoddam ſeu menſtruum (ita in genere, à menſe putrefactionis, liquor omnis appellatur, rerum extractioni inſeruiens: ſiue is ſit eius rei proprius, ſiue analogus, ſiue aqua) conueniens, quod exceſſu ſuo miſti ſiccitatem auferat: τῷ μίζιν referet: exeuntem eſſentiam ad ſe alliciat: eamq; integram *Menſtruum quid.*

& incorruptam, ad extractionem vſque conſeruet, ſuperfunditur: &, ne calor cum ſuo humido exſpiret, vas Hermeticè clauditur: poſtea in ventrem equinum, aut eius vicarium, ponitur, eiuſque calor ad tempus præfixum conſeruatur.

a *ſcilicet B. M.*

Vulgo abominabile nomen putrefactionis eſt, ſed Philoſopho verò grata ineſt voluptas; cauſas rerum gerendarum ſcrutanti intuentiq; Itaque non oportet Chymiæ initiatum tædio affici, ſi quando de putreſcentibus quoq; ſermocinantem artificem auſcultamus, ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἐνεστί θαυμαστὸν. *Principiò tyrones admonendi ſunt, ne decipiantur* ἀκυρολογίᾳ *& catachreſi autorum, qui ſæpe putrefactionem nominant, cum intelligunt macerationem vel digeſtionem; cùm tamen digeſtio propriè reſpectu generationis accipiatur, putrefactio autem reſpectu corruptionis, vt cuius finis eſt ſolutio vnitorum miſtione naturali. Digeſtio finis eſt aptitudo ſeu diſpoſitio ad miſti generationem. Nec propterea pugnandum cum ipſo iudicamus, qui digeſtionem vocat putrefactionem, quia quodque commiſtum ſuo apparet ordine, oleoſa & aerea innatant, terrea petunt fundum. Hic autem ſingulariter & indiuiduè rem quamuis putrefaciendam indicare, artis non eſt. Quapropter*

propter ſi tale artifices præſtare nequeant, non ſtatim ſuccenſendi ſunt, ſed potiùs arti addenda experientia, & ſufficiens particularium cognitio. Nam catholica ad particularia benè adhibita praxin dirigunt. His præmiſſis, putrefactionem definimus, quod ſit digeſtio, ſubſtantiam rei ex vaporum retentione, calidiq; externi acceſſione, ad rem præſtantiorem generandam diſſoluens. Aut eſt corporis concreti diſſolutio, per putredinem naturam in calore humido ſubſtantiam ipſam corrumpente; eiusq; penetralia reſerante. Dicimus putredinem naturalem: quandoquidem hic præcipuè natum cooperatur; à calore enim externo calor internus ſeu connatus excitatus, indeq; robuſtior factus, omnium partium reſolutionem molitur, quam tandem humore adiuuante, & corpus ſiccum exuperante, continuatis putrefactionum gradibus, abſoluit. Omnem enim rem putrefaciendam humore abundare, atq; adeò ſiccum terminans vincere oportet, cooperante calore externo; hinc calor innatus cum humido ſuo ſubſtantiali à miſtis ſegregatur, ſuamq; homogeneam conſeruans ſeorſim conſiſtit. Quibus omninò ita conſtitutis, facilior poſtmodum ſeparatio ab arte abſoluitur. Ad huius autem operationis μεταχείρισιν ritè, rectèq; complendam, canones ſequentes obſeruatione digni ſunt.

1. *Putrefactio est merè naturalis : curiosæ itaq; præparationes hic potiùs obsunt , quàm prosunt , quocirca solius naturæ cursui studendum.*

2. *Omnis putrefactio naturalis calore humido perficitur : Hæc itaq; artificialis præter B. vel ventris equini calorem nullum requirit.*

3. *Tota non facilè putrescunt. Non enim ab ambiente vincuntur facilè ; separata ergò esse oportet.*

4. *Omnis putrefactio fit in humore materiæ intrinsecus adiuncto : huius nimirum beneficio partium abiectio introducitur. Homogeneus estq; rei congenitus qualis est succus herbarum recentium ; aduentitius verò est eidem rei analogus , est plerumque aqua. Qualis qualis sit, imprimis, ne noxam inferat , cauendum : Satis enim est , si concluſa corporis clauſtra reseras , vt hoc modo in apricum producantur , quæ antea sub naturæ inuolcris latitabant. Hinc apparatus omnis putrefactionis enascitur talis ; aut corpora recentia, ceu sunt herbæ , flores, radices &c. incisa & conquassata , humore actuali & proprio , aut sicca pulueriſata, & contusa, analogo liquore perfusa , in ampullam putrefactoriam , vel cucurbitam, imponuntur, osculoq; benè obturato , ne quid peregrini inspiret, vel interni exspiret, in B. vel fimum equinum, ad putrefa-*

trefaciendum reponuntur. Putrefactionis tempus generaliter est mensis, sæpè tamen spacio suo non determinatus: siquidem res omnes putrefaciendæ eiusdem naturæ non sunt: hic igitur ars vnicuiq; rei, subiectæ natura sua putrefactionis, tempus commensurabile reddit. Vbi tamen inprimis obseruandum, ne resolutio fiat totalis: quæ enim præter tempus statutum facta, plus laboris faceſſet, & nonnullæ partes, alioquin conseruandæ, prorsus pereunt. In putrefactione herbarum, vel florum, ad eliciendum oleum copiosius, interdum adijcitur vel sal, vel vitriolum, vel alumen, vel tartarum: hoc enim modo putrefactio acceleratur, mistio citiùs absoluitur, materiaq; à putrefactione fœtida, quam inprimis vitare iubent artifices, vindicatur: in quem finem nonnulli portiunculam fermenti acris superaddunt.

Proprium autem putrefactionis est: & colores, & odores, & sapores rerum immutare, earumque natura veteri destructa, nouam producere. *Putrefactionis propriũ.*

Circulatio est liquoris, ab elementis depurati, in Pelicano, per varias circumuolutationes aut rotationes, quibus impuritates residuæ prorsus auferuntur, in gradum præstantiorem, conuersio siue exaltio. *Circulatio.*

Circulatio nihil aliud eſt, quàm ſpecies ſeu modus digeſtionis, atq; ita reipſa a digeſtione non differens. Hanc nonnulli etiam Pelicanationem, à vaſe, in quo perficitur, nominant; Vas enim Pelicanus dictum inſeruit aſcenſui & deſcenſui, atque ita reciprocis ſpirituum diſcurſationibus aptum. Habet nomen à Pelicano pectus ſuum fodiente, cuius imaginem, propter anſatos canales prope caput productos, & inter latera reflexos, repræſentat. Eius vices ſupplent alioquin alembici cæci, haud abſimili modo diſcurſibus ſpirituum inſeruientes, eosq; cohibentes. Eſt itaq; circulatio liquoris puri, per circularem deſtillationem in Pelicano, vel alembicis cæcis, agente calore, exaltatio. Vas hoc circulatorium Hermeticum quoq; nominari ſolet: ipſa ſignatura item Hermetica, qua adeò exactè clauduntur iunctura & foramina, vt ne ſubtiliſſimo quidem halitui poſſit eſſe tranſitus, idq; vel luto fit, vel ſtrictura ferri candentis. Inſuper aues Hermeticæ nihil ſunt aliud, quàm ſpiritus illi, inter ſphæram circulatoriam contenti, aſcendentes modò verſus cœlum, modò ſe contorquentes, & per gyrum in terram reuertentes. Inde tamen circulatio Chymica non eſt nuda vertigo: ſed coniuncta alterationi & generationi, cùm ex corrupto inferiore exiſtat prodeatq; tandem nobi-

lius.

lius. Diximus liquoris puri, hoc eſt, qui iam ab omnibus fecibus eſt depuratus, vt ſunt aquæ, ſpiritus, & olea deſtillata, quorum ſumma ſaltem quæritur ſubtilatio. Ita ſpiritus vini iam rectificatus circulatione in optimam, quam quintam nominant, eſsentiam tranſire dicitur. Inſtituitur autem circulatio, vel circa quintas eſſentias faciendas, vbi totalis ſit impuritatum ablatio, & tunc procedit digeſtio; vel etiam ad figendum vſurpatur, & tunc ſublimatione perficitur. Hinc facilè intelligi poteſt, qui ſit eius apparatus: Sumitur vas circulatorium, ſiue Pelicanus, ſeu vas Hermetis, ſiue aliud, quodcunque ei ſimile fuerit, impleatur liquore rectificato ad tertias, (nam in circulatione alicuius materiæ tantùm tertia pars vitri debet eſſe impleta) Hermeticè claudatur, ac in arena vel B. collocetur, ad medicam, aut etiam tertiam extantem, vt duæ tertiæ ſunt in foco, vbi calor eſt, vna verò extra focum in aere frigidiore, vt ibi fiat attenuatio, hic coagulatio. Ita finitur eò vſq;, donec quæſita exaltatio reſpondeat voto. Quocirca finis huius inuenti is, ni fallor, eſt, vt eſsentia ab elementari fece liberetur, quæ non tantùm puritate ſua, ſed & motu, cœlum repræſentare debet.

Fit

Fit ita : Sumitur liquor exaltandus, includiturque Pelicano, aut vaſi circulatorio, quatuor aut quinque eius partibus relictis vacuis; & ponitur in fimum vel balneum, ad altitudinem liquoris attenuabilis, vel paulò profundiùs ; adeò vt reliqua vaſis pars in aere frigidiore extet : vt à fundi & laterum calore fiat attenuatio ; à verticis verò frigore, coagulatio : detineturque ita dictum vas, in calore moderato & continuo : donec Artiſta finem ſuum ſit aſſecutus: fecibus, in fundo vitri, ſubſidentibus.

Fermentatio. Huc non immeritò referri poſſe videtur & FERMENTATIO : licet interdum per eam non tam fiat conſpicua ſalubrium partium à craſſioribus ſegregatio : quàm potiùs ad nobiliſſimæ eſſentiæ extractionem diſpoſitio.

Eſt autem exaltatio rei in ſubſtantia, per quam, mediante digeſtione, calor agens exuperat, inq; naturam ſuam vertit patiens.

Cæterùm quæ fermentantur, ſunt vel liquida ; vel ſolida. Quæ liquida ſunt ; vel talia ſunt ſimpliciter ; vt vinum, aqua : quæ etſi frigida eſt : tamen cùm corpus ſit ex quatuor elementis, non dubitandum eſt, quin etiam ſuum obtineat calorem : vel ſpiſſa & mollia : vt mel, ſapa. Liquida, quæ

ſunt

ſunt ſimpliciter talia, ſi ſint ſimul calida, per ſe fermentantur, vt vinum, pyraceum, pomaceum. Quæ autem frigida ſunt, vt ſucci expreſsi frigidi: opus habent additione rei externæ, vt fecibus vini, cereuiſiæ, ſale; vel aciditate aliqua, ad acceleratiohem ebullitiónis & fermentationis. Spiſſa autem & mollia ſequentem in modum fermentari poſsunt. Recipe, verbi gratia, mellis libras X. α his adde libras quinquaginta aquæ. Stent in calore moderato, per diem naturalem: deindè lento igne ſimul bullulant, & deſpumentur. Tertia pars exhalet: β vel cum liquor efferueſcit, ouum imponatur recens: quod ſi ſurſum fertur, perfectæ coctionis ſignum eſt. Tum liquor ab igne remotus, calidè, per duplicem pannum traijciatur, & ad ſolem, γ in vaſe idoneo, additis drachmis duabus ſalis tartari, vel ſalis communis, vel vncia vna alicuius aciditatis, ponatur: & ſic per quadraginta dies, aut circiter, donec liquor ſit clarus, vinique odorem referat, bulliat. Tunc enim vas claudendum, & hydromel in cella vſui reſeruandum. Quæ ſolida ſunt & dura: vt ſemina, tritici, fœniculum, auiſum, baccæ iuniperi, aromata, &c. comminui debent; ijsq; aqua affundi: & ſal proprius, vel

Hydromel vino ſum.

analo-

analogus, aciditas, vel feces cereuiſiæ, vinivè, ad fermentationis acceleration em addi: ita vt ad dolium rei fermentandæ pinta ♃ fecum adijciatur. Quæ verò duriſſima ſunt, vt lapides, prius calcinari, poſtea fermentari debent: vt in ſequentibus, de corallio & plumbo, dicetur.

α *Expeditior eſt ratio, ſi octuplum aquæ ad vnam partem mellis ſumatur. Hic notandum, quod Quercetanus ſemper tartarum crudum, diligenter autem purgatum, ad conficiendum hydromel ſumpſerit.*

β *imò media pars.*

γ *vel ad fornacem hyberno tempore.*

♃ *Hoc eſt, 240. libras.*

Extractio ſpecialiter ſic dicta.

Extractio ſpecialiter ſic dicta eſt, qua è miſto, partes ſubtiliores & nobiliores, à menſtruo aliquo apprehenſæ, elementari craſſitie in fundo relicta, extrahuntur: & in ſyrupi aut ſapæ conſiſtentiam, deſtillatione, vel euaporatione, coagulantur.

Fit: cum materia, tincturam habens, in menſtruo conuenienti infunditur, clauſoque vaſe ad digeſtionem ponitur. Poſtea, eo aperto, menſtruum coloratum per inclinationem ſeparatur: affuſoque alio, vas clauſum ad digeſtionem rurſus ponitur: idq; toties repetitur, donec menſtruum non

ampliùs

ampliùs tingatur. Porrò depletiones filtrantur, circulantur, & coagulantur; menſtruo ad olei formalẽ conſiſtentiam, vel etiam interdũ ad ſiccitatem, pro rei natura & vſu, detracto.

Vt res hæc Philoſophicæ Medicinæ initiatis magis innoteſcat, agedum exemplo quodam vulgari magis eam illuſtremus. Sumatur Rhabarbari quantum placet, illiq; pulueriſato tantùm aquæ endiuiæ, vel bugloſſæ, borrag. aut alterius conuenientis, affundatur, vt quatuor digitis illi ſupernatet, clauſoq; vaſe, per quatriduum, ad digeſtionem in B. collocetur, poſtea, aperto vaſe, per inclinationem liquor coloratus à radice ſeparetur, affuſoq; nouo liquore vas clauſum rurſus ad digeſtionem ponatur, idque tantiſper, donec liquor non ampliùs coloretur: Tunc enim omnis tinctura & eſſentia è Rhabarbaro extracta eſt. Porrò confuſis omnibus extractionibus, liquor, ſeu menſtruum, in B.M. abſtrahatur, reſiduaq; eſſentia in vitreo vaſe ad vſum reſeruetur, quæ in euacuanda bile, & alijs affectibus, plurimùm põt. Extractũ Rhabarbari.

CAPVT V.

De coagulatione.

HActenus dictum eſt de Solutione, eiuſq; ſpeciebus: ſequitur nunc de Coagulatione. Coagulatio

Coagula-

Coagulatio eſt principalis operationum chymicarum altera, qua res molles & liquoroſæ, è conſiſtentia tenui fluidaque, in ſolidam, per humiditatis priuationem, coguntur.

Hæc etſi ferè inſeparabiliter cum ſolutionis ſpeciebus, vti præcipitatione, amalgamatione, ſublimatione, deſtillatione, &c. cohæret: tamen ea peculiariter fit.

Primò exhalatione: qua humor a re coagulabili expirat.

Secundò coctione; qua res liquidæ ad ſolidiuſculam conſiſtentiam coquuntur. *a*.

a vt in culinis.

Tertiò congelatione: vt, cum ſalia in locis ſubterraneis cryſtalliſantur.

Quartò fixatione: qua res ignem fugientes & volatiles, vt in eo fixæ perſeuerent, aſſuefiunt; id quod fit vel medicinæ fixæ additione; vel miſturis; vel ſublimationibus, cœmentis, &c. pro cuiusque rei natura.

Coagulationi ſæpe inſeruiunt exſiccatio, euaporatio, exhalatio, vt & digeſtio, ita vt pro euaporatione & exhalatione ſæpius ea accipiatur. Vnde & Geber, lib. 1. part. 4. ſumm. perfect. cap. 53. *definit coagulationem, quòd ſit rei liquidæ ad ſolidam ſubſtantiam, per humidi pri-*

di priuationem, reductio. Quæ definitio veræ & chymicæ coagulationi competit : siquidem excludit congelascentia & generationi dicata. Nam coagulatio, vt nomen habet à coagulo, est, quo lac cogitur, separatis partibus humidis, determinatis verò & consistentibus siccis terreis. Quapropter cum in aqua coagulanda humidum non tollitur, aqua non tam coagulatur, quàm congelascit. Sic cum spiritus in corpus redeunt, id propriè est sublimationis & destillationis opus, fitq; generatione, non coagulatione. Coagulatio duobus modis absoluitur : alia fit separatione & segregatione, & hæc propriè sibi coagulationis nomen vendicat ; alia verò fit comprehensione relicta separatione, quæ impropriè, & ad generationem magis spectat. Coagulatio per separationem est, cum id, quod est consistentiæ tenuis fluidæque, ad solidam redigitur. Ex quibus liquet, coagulationem semper sequi dissolutionem, siue illa fuerit in menstruo aliquo, vt in Mercurio; siue sine menstruo, vt in deliquio salium. Huius coagulationis maximus & frequens est vsus in corporum depuratione & purgatione, vtq; ab ijs peregrina discedat humiditas, corpusq; in solidam substantiam conuertatur. Porrò coagulatio alia peragitur calore, quo diuaporat seu exhalat paulatim humor, qui erat causa fluoris; idque

ratione

ratione humoris, vel pauci, vel copioſi. Inſtrumenta huic operi varia adhibentur, vt olla, ahena, ſartagines, pro re nata. Quædam etiam ſimo includuntur. Hic probè obſeruandum eſt vt liquor priùs ſit purè filtratus, quod ſi aliquid impuritatis coagulo adhæret, abluitur celeri manu. Alia verò frigore, cum res in calido reſolutæ in frigido coagulantur. Huius apparatus E.G. talis eſt. Sal vitrioli in aqua purâ diſſoluatur, diſſolutio filtretur, ad medias vel tertias partes, prout diluta eſt, coquitur, in cella deinde frigida ponitur, (ſi fuerint coagulabilia, vt hoc vitrioli ſaccharum, inijciuntur bacilli lignei, quibus coagulatum adhæret; ſi verò non, vt in ſalibus bacillos ligneos imponere non eſt opus) vſque dum totum coagulatum fuerit. Si verò aliquid in mẽſtruo ſit relictum repetatur, vt priùs. Tandem ea coagulatio, quæ per comprehenſionem fit, eſt, cum totũ ſimul cõprehẽſum remiſtumq; ad vniformem ſubſtantiã coagulat. Et hoc potiſſimùm perficitur modis ab autore in textu expreſſis.

CAPVT VI.

De Lutatione.

ORdinis ratio poſtularet, vt nunc fornaces, vaſa, variamque ſepellectilem chy-

chymicam, vt & ignium diuerſorum regimina deſcriberemus. Verùm cùm hæc oculari inſpectione potiùs, quàm præceptis & regulis addiſcantur: ſilentio illa, breuitatis cauſa, prætereunda; & pauca tantùm de lutamentis Philoſophicis ſubiungenda duximus.

Pro fornacibus conſtruendis.

Recipe terram pinguem, cuiuſcunque coloris ſit: miſce eam & ſubige cum arena, fimo equino, & aqua ſalſa.

Pro retortis loricandis: quamuis ego nec vitreas, nec terreas vnquam lutare ſoleam: ſeu deſtillem per arenam: ſeu per ignem nudum; ſeu per reuerberium clauſum; ſeu ignem ſuppreſſionis.

Recipe argillam figulinam, ſtercus equinum lotum & exſiccatum, farinam laterum, & ſquamam ferri; miſce, & cum aqua communi ſubige.

Vel fiat tale: Recipe luti mundati & exſiccati part. X. cinerum locorum part. ij. ſimi equini part. iij. ſcobis ferri part. i. pilorum bubulorum vel iumenti part. ij. M. cum ſanguine bubulo vel ouillo.

Lutum ſapientiæ, ad ſpiritus ſubtiliſſimos arcendos: a

a *non eſt.*

Fac lutum ex calce viua, & albumine oui, in aquam redacto, simul ea miscendo, & citò applicando; quia facilè exsiccatur. ß.

ß. *Postea super alutam, vel laciniam lineam, extensa fracturis applica.*

Pro vitris hydrijs fractis consolidandis.

Recipe boli Armeni, minij, ceruſſæ, ana partes æquales: reduc in puluerem subtilem, & cum oleo lini, vel vernice liquida tempera.

Pro vitris simul lutandis.

Vsus sum feliciter vsque in hanc horam vesicis porcinis, vel bouinis, pro alembico cum cucurbita lutando, tam in destillationibus aquarum, quàm spirituum acrium & acidorum.

Pro rostro alembici cum recipiente lutando.

Recipe ceræ vnciam j. resinæ, colophoniæ, ana drachmam j. liquescant simul in fictili: quibus adde modicum olei oliuarum, miscendo baculo, vt incorporentur: postea

poſtea ollam, ab igne remotam, imple frigida, & etiam manibus ſubige.

Pro retortis cum recipientibus colluendis, in deſtillatione ſpirituum acrium.

Lutum pro retortis loricandis ſubige cum aqua ſalſa; vel miſce cum colophonia puluerisata & applica.

Recipe lutum commune, diſtempera cum aqua ſalſa, vel etiam cum ſanguine bouillo, ſubigendo exactè, adde poſtea pilos iumentorum, diligenter priùs cum baculo concuſſos, & à fecibus purgatos. Demum adde particulam capitis mortui aquarum, quæ ex vitriolo, ſale petræ & alumine ſint, & exactiſſimè puluerisatam cum toto miſce. Eſt fortiſſimum lutum ad commiſſuras pro retortis tùm loricandis, tùm & pro commiſſuris vaſorum, ne exhalent ſpiritus, muniendis.

TYROCINII CHYMICI

LIBER SECVNDVS.

ACtum eſt, ſuperiori libro, de Solutione & Coagulatione corporum miſtorum in genere: ſequitur nunc de operationum illarum effectis, ſiue, vt à quibuſdam appellantur, ſpeciebus Chymicis; quæ ſunt vel liquidæ, vel molles, vel duræ.

Ad liquidas referri poſſunt: aquæ ex floribus, herbis, radicibus, corticibus, ſeminibus, lignis: aquæ fortes, ſpiritus; acetum: olea; tincturæ liquidæ. Ad molles: balſama, extracta varia, tincturæ molles. Ad duras: ſales, flores, magiſteria, calces, croci, tincturæ ſiccæ.

CAPVT I.

ANtequam verò ad ipſas liquidorum formas, quæ vt plurimùm deſtillatione fiunt, parandas nos accingamus: generales quidam canones præmittendi videntur; quorum hic eſt.

I.

Vaſa, in quibus deſtillatio fit, non ſint plum-

uæ eſt corroſio metalli per mercuriu
æ ſit per aquas fortes:
æ etiam cementatio dicitur. Eſtque
iendo ſtratum ſuper ſtratum: cui affi
dum cum pulueribus corroſiuis com
mum Mercurij vel Saturni, per aqu
abilium & animalium:
euerberij igne viuo.
, vt in ſale, vitriolo, alumine.
ſubtilio-
eleuatio:
tium hu-
uatio at-
Recta, quę fit per alembicum aut veſicam:
Obliqua, quæ fit per retortam.
Tritorium:
Chartam emporeticam:
Manicam Hippocratis:
Laciniam.
n.
am Maceratio dicitur, fitque, quan
lo, coquuntur ſeu maturantur.
ando miſtum per putrefactionem na
te, & externo calore fortiùs operante
eſt liquoris ab Elementis depurati i
rotationes, quibus impuritates re
ntiorem conuerſio ſiue exaltatio.
Huc refertur Fermentatio, q
tia, per quam, mediante
rat, inque naturam ſuam

analogus, aciditas, vel feces cereuiſiæ, vini-vè, ad fermentationis acceleration em addi: ita vt ad dolium rei fermentandæ pinta ♃ ſecum adijciatur. Quæ verò duriſſima ſunt, vt lapides, prius calcinari, poſtea fermentari debent: vt in ſequentibus, de corallio & plumbo, dicetur.

α *Expeditior eſt ratio, ſi octuplum aquæ ad vnam partem mellis ſumatur. Hic notandum, quod Quercetanus ſemper tartarum crudum, diligenter autem purgatum, ad conficiendum hydromel ſumpſerit.*

β *imò media pars.*

γ *vel ad fornacem hyberno tempore.*

♃ *Hoc eſt, 240. libras.*

Extractio ſpecialiter ſic dicta.

Extractio ſpecialiter ſic dicta eſt, qua è miſto, partes ſubtiliores & nobiliores, à menſtruo aliquo apprehenſæ, elementari craſſitie in fundo relicta, extrahuntur: & in ſyrupi aut ſapæ conſiſtentiam, deſtillatione, vel euaporatione, coagulantur.

Fit: cum materia, tincturam habens, in menſtruo conuenienti infunditur, clauſoque vaſe ad digeſtionem ponitur. Poſtea, eo aperto, menſtruum coloratum per inclinationem ſeparatur: affuſoque alio, vas clauſum ad digeſtionem rurſus ponitur: idq; toties repetitur, donec menſtruum non

ampliùs

ampliùs tingatur. Porrò depletiones filtrantur, circulantur, & coagulantur; menſtruo ad olei formalẽ conſiſtentiam, vel etiam interdũ ad ſiccitatem, pro rei natura & vſu, detracto.

Vt res hæc Philoſophicæ Medicinæ initiatis magis innoteſcat, agedum exemplo quodam vulgari magis eam illuſtremus. Sumatur Rhabarbari quantum placet, illiq; pulueriſato tantùm aquæ endiuiæ, vel buglo ſſæ, borrag. aut alterius conuenientis, affundatur, vt quatuor digitis illi ſupernatet, clauſoq; vaſe, per quatriduum, ad digeſtionem in B. collocetur, poſtea, aperto vaſe, per inclinationem liquor coloratus à radice ſeparetur, affuſoq; nouo liquore vas clauſum rurſus ad digeſtionem ponatur, idque tantiſper, donec liquor non ampliùs coloretur: Tunc enim omnis tinctura & eſſentia è Rhabarbaro extracta eſt. Porrò confuſis omnibus extractionibus, liquor, ſeu menſtruum, in B.M. abſtrahatur, reſiduaq; eſſentia in vitreo vaſe ad vſum reſeruetur, quæ in euacuanda bile, & alijs affectibus, plurimùm põt. *Extractũ Rhabarbari.*

CAPVT V.

De coagulatione.

HActenus dictum eſt de Solutione, eiuſq; ſpeciebus: ſequitur nunc de Coagulatione. *Coagulatio.*

Coagula-

Coagulatio eſt principalis operationum chymicarum altera, qua res molles & liquoroſæ, è conſiſtentia tenui fluidaque, in ſolidam, per humiditatis priuationem, coguntur.

Hæc etſi ferè inſeparabiliter cum ſolutionis ſpeciebus, vti præcipitatione, amalgamatione, ſublimatione, deſtillatione, &c. cohæret: tamen ea peculiariter fit.

Primò exhalatione: qua humor a re coagulabili expirat.

Secundò coctione; qua res liquidæ ad ſolidiuſculam conſiſtentiam coquuntur. α.

α *vt in culinis.*

Tertiò congelatione: vt, cum ſalia in locis ſubterraneis cryſtalliſantur.

Quartò fixatione: qua res ignem fugientes & volatiles, vt in eo fixæ perſeuerent, aſſuefiunt; id quod fit vel medicinæ fixæ additione; vel miſturis; vel ſublimationibus, cœmentis, &c. pro cuiusque rei natura.

Coagulationi ſæpe inſeruiunt exſiccatio, euaporatio, exhalatio, vt & digeſtio, ita vt pro euaporatione & exhalatione ſæpius ea accipiatur. Vnde & Geber, lib. 1. part. 4. ſumm. perfect. cap. 53. *definit coagulationem, quòd ſit rei liquidæ ad ſolidam ſubſtantiam, per humidi pri-*

di priuationem, reductio. Quæ definitio veræ & chymicæ coagulationi competit : siquidem excludit congelascentia & generationi dicata. Nam coagulatio, vt nomen habet à coagulo, est, quo lac cogitur, separatis partibus humidis, determinatis verò & consistentibus siccis terreis. Quapropter cum in aqua coagulanda humidum non tollitur, aqua non tam coagulatur, quàm congelascit. Sic cum spiritus in corpus redeunt, id propriè est sublimationis & destillationis opus, fitq; generatione, non coagulatione. Coagulatio duobus modis absoluitur : alia fit separatione & segregatione, & hæc propriè sibi coagulationis nomen vendicat ; alia verò fit comprehensione relicta separatione, quæ impropriè, & ad generationem magis spectat. Coagulatio per separationem est, cum id, quod est consistentiæ tenuis fluidæque, ad solidam redigitur. Ex quibus liquet, coagulationem semper sequi dissolutionem, siue illa fuerit in menstruo aliquo, vt in Mercurio ; siue sine menstruo, vt in deliquio salium. Huius coagulationis maximus & frequens est vsus in corporum depuratione & purgatione, vtq; ab ijs peregrina discedat humiditas, corpusq; in solidam substantiam conuertatur. Porrò coagulatio alia peragitur calore, quo diuaporat seu exhalat paulatim humor, qui erat causa fluoris; idque

ratione

ratione humoris, vel pauci, vel copioſi. Inſtrumenta huic operi varia adhibentur, vt olla, ahena, ſartagines, pro re nata. Quædam etiam ſimo includuntur. Hic probè obſeruandum eſt vt liquor priùs ſit purè filtratus, quod ſi aliquid impuritatis coagulo adhæret, abluitur celeri manu. Alia verò frigore, cum res in calido reſolutæ in frigido coagulantur. Huius apparatus E.G. talis eſt. Sal vitrioli in aqua purâ diſſoluatur, diſſolutio filtretur, ad medias vel tertias partes, prout diluta eſt, coquitur, in cella deinde frigida ponitur, (ſi fuerint coagulabilia, vt hoc vitrioli ſaccharum, inijciuntur bacilli lignei, quibus coagulatum adhæret; ſi verò non, vt in ſalibus bacillos ligneos imponere non eſt opus) vſque dum totum coagulatum fuerit. Si verò aliquid in mẽſtruo ſit relictum repetatur, vt priùs. Tandem ea coagulatio, quæ per comprehenſionem fit, eſt, cum totũ ſimul cõprehẽſum remiſtumq; ad vniformem ſubſtantiã coagulat. Et hoc potiſſimùm perficitur modis ab autore in textu expreſſis.

CAPVT VI.

De Lutatione.

ORdinis ratio poſtularet, vt nunc fornaces, vaſa, variamque ſepellectilem chy-

chymicam, vt & ignium diuerſorum regimina deſcriberemus. Verùm cùm hæc oculari inſpectione potiùs, quàm præceptis & regulis addiſcantur: ſilentio illa, breuitatis cauſa, prætereunda; & pauca tantùm de lutamentis Philoſophicis ſubiungenda duximus.

Pro fornacibus conſtruendis.

Recipe terram pinguem, cuiuſcunque coloris ſit: miſce eam & ſubige cum arena, fimo equino, & aqua ſalſa.

Pro retortis loricandis: quamuis ego nec vitreas, nec terreas vnquam lutare ſoleam: ſeu deſtillem per arenam: ſeu per ignem nudum; ſeu per reuerberium clauſum; ſeu ignem ſuppreſſionis.

Recipe argillam figulinam, ſtercus equinum lotum & exſiccatum, farinam laterum, & ſquamam ferri; miſce, & cum aqua communi ſubige.

Vel fiat tale: Recipe luti mundati & exſiccati part. X. cinerum locorum part. ij. ſimi equini part. iij. ſcobis ferri part. i. pilorum bubulorum vel iumenti part. ij. M. cum ſanguine bubulo vel ouillo.

Lutum ſapientiæ, ad ſpiritus ſubtiliſſimos arcendos: a

a *non eſt.*

Fac lutum ex calce viua, & albumine oui, in aquam redacto, simul ea miscendo, & citò applicando; quia facilè exsiccatur. ß.

ß. *Postea super alutam, vel laciniam lineam, extensa fracturis applica.*

Pro vitris hydrijs fractis consolidandis.

Recipe boli Armeni, minij, cerussæ, ana partes æquales: reduc in puluerem subtilem, & cum oleo lini, vel vernice liquida tempera.

Pro vitris simul lutandis.

Vsus sum feliciter vsque in hanc horam vesicis porcinis, vel bouinis, pro alembico cum cucurbita lutando, tam in destillationibus aquarum, quàm spirituum acrium & acidorum.

Pro rostro alembici cum recipiente lutando.

Recipe ceræ vnciam j. resinæ, colophoniæ, ana drachmam j. liquescant simul in fictili: quibus adde modicum olei oliuarum, miscendo baculo, vt incorporentur: postea

poſtea ollam, ab igne remotam, imple frigida, & etiam manibus ſubige.

Pro retortis cum recipientibus colludandis, in deſtillatione ſpirituum acrium.

Lutum pro retortis loricandis ſubige cum aqua ſalſa; vel miſce cum colophonia pulueriſata & applica.

Recipe lutum commune, diſtempera cum aqua ſalſa, vel etiam cum ſanguine bouillo, ſubigendo exactè, adde poſtea pilos iumentorum, diligenter priùs cum baculo concuſſos, & à fecibus purgatos. Demum adde particulam capitis mortui aquarum, quæ ex vitriolo, ſale petræ & alumine ſint, & exactiſſimè pulueriſatam cum toto miſce. Eſt fortiſſimum lutum ad commiſſuras pro retortis tùm loricandis, tùm & pro commiſſuris vaſorum, ne exhalent ſpiritus, muniendis.

TYROCINII CHYMICI

LIBER SECVNDVS.

ACtum eſt, ſuperiori libro, de Solutione & Coagulatione corporum miſtorum in genere: ſequitur nunc de operationum illarum effectis, ſiue, vt à quibuſdam appellantur, ſpeciebus Chymicis; quæ ſunt vel liquidæ, vel molles, vel duræ.

Ad liquidas referri poſſunt: aquæ ex floribus, herbis, radicibus, corticibus, ſeminibus, lignis: aquæ fortes, ſpiritus; acetum: olea; tincturæ liquidæ. Ad molles: balſama, extracta varia, tincturæ molles. Ad duras: ſales, flores, magiſteria, calces, croci, tincturæ ſiccæ.

CAPVT I.

ANtequam verò ad ipſas liquidorum formas, quæ vt plurimùm deſtillatione fiunt, parandas nos accingamus: generales quidam canones præmittendi videntur; quorum hic eſt.

I.

Vaſa, in quibus deſtillatio fit, non ſint plum-

uæ eſt corroſio metalli per mercuriu
æ fit per aquas fortes:
æ etiam cementatio dicitur. Eſtque
iendo ſtratum ſuper ſtratum: cui affi
dum cum pulueribus corroſiuis com
mum Mercurij vel Saturni, per aqu
abilium & animalium:
euerberij igne viuo.
, vt in ſale, vitriolo, alumine.
ſubtilio- { Recta, quę fit per alem- { bicum aut veſicam: {
eleuatio:
tium hu-
uatio at- { Obliqua, quæ fit per retortam.

{ Tritorium:
Chartam emporeticam:
Manicam Hippocratis:
Laciniam.

n.
am Maceratio dicitur, fitque, quan
lo, coquuntur ſeu maturantur.
ando miſtum per putrefactionem na
te, & externo calore fortiùs operante
eſt liquoris ab Elementis depurati
rotationes, quibus impuritates re
ntiorem conuerſio ſiue exaltatio.
Huc refertur Fermentatio,
tia, per quam, mediante
rat, inque naturam ſuam

Digitized by Google

plumbea α. Hæc enim qualitate maligna liquores inficiunt, eos vomitiuos ſæpe β reddunt, ſapores immutant natiuos, & non nunquam ipſamet à vaporibus acribus, ex re deſtillanda exſpirantibus, corroduntur. Et ſi Galenus, alijque Medici ſapientiores, aquam, quæ per canales plumbeos fluit, improbant, propter malignitatem, viſceribus internis valdè infeſtam, quam inde contrahunt: de aquis, per vaſa plumbea deſtillatis, quid ſentiendum ſit, patet: præſertim, cùm non rarò, quando per aliquot dies eiuſmodi ſtillatitij liquores immoti ſteterunt, infundo ceruſſa, ex plumbeo alembico abraſa; inprimis ſi, experiundi gratia, guttam vnam aut alteram ſpiritus vitrioli infundas, reperiatur. Quod autem de plumbeis vaſis dictum: pari ratione & de ſtanneis æneis ferreisque γ intelligi debet: niſi fiat deſtillatio in veſica ænea, vbi, quæ deſtilantur, citò effluunt.

Canones ad deſtillationis doctrinæ neceſſarij.

α *Sæpius tamen aceta per vaſa plumbea deſtillanda veniunt, in quibus dulciora euadunt.*

β *non ſemper: aquæ enim deſtillatæ per ſe non facilè vomitiuam vim attrahunt ex vaſis plumbeis aut alijs.*

γ *non pari ratione vaſa ferrea ac plumbea prohibentur.*

II.

Vitra, quò altiora, eò meliora. ♂ Sic enim vna deſtillatio plus præſtat, quàm tres rectificationes. Sint autem cucurbitæ vt plurimùm altæ duos cubitos. ε.

♂ *Scilicet in deſtillationibus & ſpirituoſis rebus; quæ verò ſunt fixa, vt oleum ceræ, & alia, non opus habent vitris altioribus, neque etiam conducunt.*

ε *Id eſt pedes tres.*

III.

In omni deſtillatione vaſa non nimis refarcienda, Tutiùs operaberis: ſi cucurbitas ex quarta parte; & retortas ex media aut circiter; veſicam verò æneam ex tribus α patribus repleueris.

α *ex tertia parte potiùs.*

IV.

Res flatulentæ, vt cera, β reſina, & ſimilia, ſicut & ea, quæ facilè ebulliunt, minore imponantur quantitate, & magnis γ vaſis deſtillentur; & quidem ſale, aut arena, aut ſimilibus additis. ♂.

β *Cera, reſina, & talia permiſcenda ſunt cum arena, cineribus, &c. tùm ob flatuum aliqualem repreſſionem; tùm ob partium diſlocationem; fluida enim & pinguia in ſe conſidentia non facilè adſcendunt.*

γ am-

γ *amplis*.

δ *vt, cinere; bolo, farinâ laterum, pumice calcinato; argilla, ſcobibus ferri*.

V.

Deſtillatio per balneum conuenit rebus leuioris compagis. Cauendum tamen in herbis, maximè calidis: α vt in abſinthio, ſaluia, roremarino & ſimilibus, ne nimis leni calore vtamur; & non tam eſſentiam, quàm phlegma inutile proliciamus. Sed in lactuca, endiuia, & ſimilibus tenuioris ſubſtantiæ, calor moderatus adhibendus: & ſufficit interdum balneum roris, quod neque empyreuma imprimit, neque partes aereas tenuiores diſſipat.

α *ſcilicet propter earum olea*.

VI.

Deſtillatio per cineres, vel arenam, competit rebus conſiſtentiæ ſolidioris; vt ſeminibus, lignis, radicibus, &c.

VII.

Per veſicam, non tantùm tenuia deſtillantur; ſed & alia, quæ ſunt firmioris texturæ, in ſuo tamen menſtruo adpropriato β præmacerata.

β *Vel proprio, vel analogo, v. g. ſemen aniſi macerari poteſt, vel in aqua aniſi, vel in in aqua communi*.

VIII.

Deſtillatio per retortam, non tantùm ſpiritus grauiores è mineralibus elicit, ſed etiam è tenuioribus, vt lignis, ſeminibus, radicibus, gummi, reſinis, &c. aquas & olea extrahit.

IX.

Herbæ recentes ſucculentæ cum deſtillandæ ſunt, tundantur, ſuccusque exprimatur; qui poſtea calore Balnei, ex cucurbita alta, deſtilletur.

X.

Herbæ, vel ſua α temperie, vel tempore ſiccæ, tundantur; & aqua communi, vel propria vel rore Maiali, vel vino irrorentur. Copia autem menſtrui tanta ſit, quæ macerationi ſufficiat: ſin plus affundatur, tota quantitas non abſtrahenda. Facta maceratione ad placitum, per balneum deſtilletur: aut ſi per veſicam deſtillationem inſtituere volueris: adde ad quamlibet libram herbarum, libras ſex β aquæ, (maior enim aquę quantitas requiritur in deſtillationibus per veſicam æneam, ob periculum aduſtionis herbarum; quàm per vaſa vitrea ex Balneo) & deſtilla, vt artis eſt.

α *vt Satyrium, Serpillum, &c.*

γ *potiùs libras iij.*

XI. Eo-

XI.

Eodem modo per veſicam, quicquid eſt aromaticum, ſiue ſint radices, ſiue cortices, ſiue ligna, ſiue ſemina, ſiue folia; ſiue flores, deſtillantur; & oleum ſimul cum aqua elicitur.

XII.

Sunt quædam, quæ vehementem ignem poſtulant: ſed tamen ea non nimis violento α vrgenda ſunt: ne natura eorum prorſus corrumpatur.

α *in principio: in laboribus enim chymicis ſemper gradus ignis obſeruandus eſt.*

XIII.

Detur opera, ne lutum, β quo vaſa deſtillatoria conglutinantur, exſpiret, & liquorem aliena qualitate inquinet: præſertim, cum ignis maior adhibendus.

β *Ideo confectio luti ſuprà tradita eſt obſeruanda.*

XIV.

Acidorum α deſtillatio hoc peculiare habet: quòd ignobilior pars ſemper priùs egreditur, & nobilior vltimò. Vnde in eorum rectificatione, quod primò elicitur, tanquam phlegma ſeparandum.

α *vt vitrioli, aceti, &c. vtpote quorum natura per putrefactionem, ex qua fiunt, ſit*

velu-

veluti inuerſa. Et quamuis acetum ex natura vini prodeat ; (vnde acetum vinum mortuum vocatur) nihilominus deſtillatio eorundem eſt planè diuerſa, vtpotè cùm in vino primùm ſpiritus exeat ; in accto verò poſteriùs ; & vinum phlegma ſuum poſt ſe relinquit , acetum præmittit , quòd probè obſeruandum. Æſtimamus autem hoc fieri propter naturam fixam.

Nota BARTHII.

Phlegma ab aciditate nimeralium , per deſtillationem , primò ſeparatur ; ſicut & phlegma aciditatis lignorum durorum. Sed aciditas herbarum , ſucci limonum , citriorum, aurantiorum , vuarum immaturarum , nunquam per deſtillationem ſeparari poteſt : quia ſal armoniacum eiuſmodi acidorum eſt imperfectè vnitum cum aquea ſubſtantia , quæ leui calore euaporat , ſale in imo vaſis remanente.

XV.

Si aquæ ß empyreuma , ſeu fomitem quendam igneum , valdeque calidum , per exiguas partes diſperſum, redoleat: corrigitur illud : ſi vitrum apertum in locum frigidum y humidum collocetur.

ß non vt aquæ , ſed vt adhuc de oleo participantes , empyreuma poſſunt contrahere.

y vel

γ *vel in arenam humidam frigidam.*

XVI.

Cum liquores, per B. M. deſtillati, inſolatione rectificandi ſunt: δ tum vitra ex duabus, vel ad ſummum tribus partibus, repleantur, & membrana, qua ea claudi conſueuerunt, acu pertundatur: vt, factis perſpiraculis, phlegma inutile exhalet: præſertim ex aquis frigidis; quæ niſi ita inſolentur, paulò poſt corrumpuntur, & ſedimentum acquirunt.

δ *in cella per æſtatem aperta.*

ε *non tàm facilè, potiùs ne vaſa, ob denegatum ſpiritibus ſpatium, rumpantur.*

XVII.

Deſtillatio tam diu continuetur, donec liquor egrediens non redoleat, aut ſapiat ampliùs rem impoſitam.

CAPVT II.

De Aquis Ex Floribus, herbis, radicibus, corticibus, ſeminibus, lignis.

AQVA ROSARVM.

1 *Modi, aquam roſarũ deſtillandi, varij.*

VArijs hæc præparatur modis. Alij ſumunt roſarum q.ſ. eaſque per triduum in balneo digeſtas, vapore aquæ calidæ deſtillant,

2. ſtillant. Alij abſque digeſtione præcedanea, aquam ex ijs in alembicum concoctis
3. liciunt. Alij per cineres deſtillant: vbi tamen maximà opus eſt cautione & circumſpectione, ne empyreumate liquor ſtillatitius
4. inficiatur. Alij lucro magis, quam valetudini hominum, intenti, eas integras, vt decerptæ ſunt, cum magna aquæ copia, per veſicã æneam deſtillant; ac ex triginta roſarum libris, centum aquæ odoratæ venalis extra-
5. hunt. Alij flores tuſos, α abſque menſtruo, β aut eo ſaltem tam pauco, vt ad irrigationẽ ſufficiat, modico balnei calore deſtillant: & ad vim refrigerantem tantò expeditiùs euocandam, vna deſtillatione, quàm irrigatio ex aqua communi vel roſacea veteri præceſſerit; aut ad virtutem confortantem & fragrãtem prolectandam, pluribus in deſtillata aqua infuſionibus vtuntur. Nos γ ita eam
6. parandam ducimus: diſtinguendo inter roſas albas; & incarnatas. δ Ex illis enim vt plurimùm vis refrigerans petitur: ac propterea, pauca aqua pluuiali ε irroratæ, in mortario marmoreo contundendæ ſunt: inde torculari ſuccus exprimendus & deſtillãdus. Incarnatæ, abſque irrigatione contuſæ, reponuntur in magno vaſe vitreo, in cellam: poſt triduum ſuccus exprimitur, qui per

bal-

balneum deſtillatur. Hæc aqua eſt fragrantiſsima, quæque vel multos annos odoris ſui ſuauitatem conſeruat. ζ Nonnulli recrementis eius aquam puram ſuperfundunt, & ita per octiduum maceratam, vel balneo, vel veſica deſtillant. Aqua, quæ inde reſultat, vulgari Pharmacopolarum viribus & efficacia non cedit. 7.

α *non in mortario æneo; ſed aut marmoreo, aut ferreo.*

β *ſcilicet proprio.*

γ *Eſt optimus acq. roſarum refrigerantem deſtillandi modus.*

δ *ad quas etiam referuntur roſæ caninæ, ſeu agreſtes, quæ hortenſibus albis præſtant.*

ε *vel rore maiali.*

ζ *in cucurbita vitrea, vel fictili vitreata.*

AQVA † ROSARVM ARDENS.

Sicut ex alijs rebus omnibus, præſertim autem alimentoſis, aqua flagrans & flagrans, fermentationis beneficio, educi poteſt: ita etiam ex roſis, quæ tamen vulgò ſtatuuntur frigidæ tantùm.

Porrò recipe roſas incarnatas, cœlo ſereno, cum rorido madore deſtituuntur, colle-

collectas : eas tere accuratissimè , & in cucurbitam vitream immitte : quæ postea, benè clausa, in cella vinaria, per mensem vnum , duos , vel tres , vt ibi fiat earum fermentatio , relinquatur . Cum iam acidum α quiddam redolere videntur : sume de floribus tritis q. v. & per balneum destilla : aquam inde extractam super affunde parti rosarum alij; & rursus destilla ; similem in modum pergendo ; donec omnis rosarum fermentatarum quantitas per alembicum transierit ; fecibus , quæ in fundo remanere solent , semper segregatis . Tandem omnem aquam , ex rosis elicitam, per balneum destilla : β & duodecimam saltem partem, aut circiter, abstrahe; eamque, si vis , rectifica : Sic aquam habebis γ gratissimam & odoratissimam, quæque non minùs promptè , quàm spiritus vini , flammam concipiet .

† *Est spiritus magis quàm aqua .*

α *Acor est fermentationis sufficientis nota .*

β *in phiala alembico adiecto magno recipiente : per phialam enim fit facilior & melior operatio .*

γ *spiritum potiùs .*

Ad hunc modum spiritus quidam rosarum

rum compositus parari potest, speciebus sequentibus adiunctis, confortatiuum quoddam insigne & regium, quod tale est : Recipe ambræ gryseæ recentis partes VIII. moschi odoratiss. Alexand. part. 1. adde sacchari candi albissimi aliquantulum : tere subtilissimè, ac puluerem postea cum spiritu rosarum diutiùs contere, vt totum quasi pulmentum fiat. Reconde sigillo Hermetis munitum in phialam, vel cucurbitam aptam, eamque in terram defodiendo per mensem vnum serua, donec totum fiat homogeneum ; quo elapso tempore, iterum cum spiritu rosarum recenti terendo distempera, & rursus priori modo repone, postea serua ad vsum. Dosis est instar pisi minoris, qui omnium viscerum confortatiuum maximum, imprimis verò vim generandi promouet. Spir. rũ co.

AQVA CICHORII.

Recipe herbarum & radicum Cichorij, medio Maio collectarum, libras XII. tunde vel minutim incide ; vsque affunde aquæ communis libras viginti ; &, postquam per triduum maceraris, ex vesica libras saltem octo destilla.

Ex floribus etiam cæruleis de cichorio secreta quædam aqua ophthalmica parari potest, qua si in affectibus oculorum tantùm palpebræ externæ singulis diebus illinantur, albugines, nube- *Aqua cichorij ophthalmica.*

nubeculæ, vngues, ſuffuſiones, caligo, imò ipſa quandoque cæcitas, mirifice tolluntur. Eius autem præparatio fit hoc modo: Collige flores cichorij, quando Sol Ω principium obtinet; recentes in vitrum inde, & illud replendo, & fortiter, quantum fieri poteſt, comprimendo; poſtea orificium diligenter claude, (ſubere vel veſicula quintupla) & circumcirca applica farinam ſubactam, ex qua panis pinſitur, ita vt tres vel quatuor digitos æquet. Tandem in clibano pinſe, inſtar alterius panis; ſed tantùm maſſa illa eſt ſuper aſſerculum in clibano ponenda, (ne rumpatur vitrum) & pro coctione fortiori relinque, donec panis eximatur, proſpice tamen, vt hæc maſſa bene cocta ſit. Exime & exprime; & inuenies flores in aquam rubentem & pinguiuſculam conuerſos. Hanc, vt ſeruari poſſit, per alembicum ex B. deſtilla. Vel

R. flor. cichorij q. v. colligantur ante ortum Solis, Sole ſignum Ω modò ingreſſo: Contundantur bene in mortario: admiſc. pulu. ſacchari candi albi quarta pars: indantur vitro, ponantur ad Solem; & reſoluentur in liquorem.

AQVA FOENICVLI.

Recipe ſeminum fœniculi, craſsiſculè contritorum, libras quatuor: aquæ communis libras viginti quatuor: & adde tartai, vel ſalis communis, vncias duas; maceraque in

loco

loco calido. Deſtilla poſtea per veſicam æneam, cum refrigeratorio. Sic aqua cum oleo tranſibit, quod ab illa ſeparandum.

AQVA CINAMOMI. †

Recipe Cinamomi optimi craſsè triti libram vnam: cui affunde aquæ roſaceæ, & vini albi, ana libras tres: macera in calore congruo fimi, vel eius vicarij α q. ſ. β. deinde deſtilla per balneum, ſeparando aquam primam, quæ eſt optima: ſecundam item ſeorſim; vt & tertiam colligendo. Secundæ vſus eſſe poteſt, ad macerationes, pro menſtruo. γ Tertia eſt phlegma vtile.

† *Huc referendus modus aquam & oleum Cinamomi proliciendi, quem habet Crollius* part. 168. *qui cæteris præſtantior eſt.*

α *Balnei ſcilicet.*

β 14. *dies.*

γ *tùm ſubiecti proprij, tùm aliarum rerum extrahendarum.*

AQVA ACIDA QVERCVS, Iuniperi, Guaiaci, Buxi.

Recipe ſerraturam Quercus, aut ſcobem Iuniperi, Guaiaci, aut particulas Buxi: deſtilla in retorta α vſque ad ſiccitatem: ſepara poſtea oleum ab aqua, per chartam emporeticam: aquam rectifica in arena, ſuper

colcothar, β aut ſalem marinum, aut proprios cineres; poſtea phlegma ab acido liquore ſepara deſtillatione: γ tertiam ſaltem eius partem, aut circiter, vltimò aſſeruando.

Vſus eius eſt, in corallis perliſq; diſſoluendis, & tincturis extrahendis.

Sed & intra corpus ad ſudores ciendos tuto exhiberi poteſt. Acida enim per accidens diaphoretica ſunt; per ſe verò diuretica.

α *ex igne balnei ſicci, vel reuerberatorij clauſo.*

β *hoc eſt, vitriolum ad rubedinem calcinatum.*

γ *per balneum.*

AQVA CINAMOMI Compoſita.

Macera & deſtilla Cinamonum, vt ſuprà additis radicum dictamni Cretici, angelicæ, ana vncijs duabus. Poſtea in hac aqua diſſolue ſaccarum album, quantum poteſt, & digere per diem naturalem: Tandem aquam ſuperfluam deſtillatione ſegrega, ad ſyrupi conſiſtentiam; cui adde aquæ vitæ rectificatæ vncias duas; & probè miſce. Eſt virtutis admirandæ in peſte & partus difficultate.

Modus

Modus hanc Cinamomi aquam compoſitam conficiendi conuenientior eſt ſequens: Macera Cinamomi lib. ſ. rad. dictamni Cretici, angelicæ, ana drac. ij. in vini maluatici lib. iij. per triduum, ad lentum ignis calorem, poſtea colatur. In colatura diſſolue ſacchari albiſſimi lib. 1. & tandem lentè omnia coque, adſyrupi conſiſtentiam. Huic miſce aliquid ſpiritus vini. Confortat cor, & ſpiritus vitales mirificè. Doſis eſt ad drac. iij. vel per ſe, vel cum alijs.

Aqua Cinamomi cõpoſita.

AQVA ANTEPILEPTICA QVERCETANI.

Qua curauit Typographi Geneuenſis filium.

Recip. Antimonij crudi pulueriſati, cruſtarum panis bis cocti, bene toſtarum, & pulueriſat. an. q. v. Pone in retorta in arenam. Primò da ignem lentum infrà, pòſt etiam ſuprà: & vtrumque vrge, donec omnis aqua prodeat, etiam cum fœtore. Aquam deſtillatam effunde, & adde rad. pæoniæ, ſp. vitrioli, & ſp. vini, pro libitu. Pone in retortam, in qua colchotar rubrum contuſum poſitum ſit; & viciſſim deſtilla per cineres. Aquam deſtillatam ſerua vſui.

VEL.

Recip. hepatis antimonij, cortic. panis tosti & pulueris, ana libram vnam: rasuræ cornu Cerui vnc. quatuor. Misce: & destilla per retortam: deinde rectifica. *Dosis gut. X, XX, XXV.*

AQVA OPHTHALMICA.

Recip. aquæ Rosarum, Fæniculi, ana lib. semis: vitri Antimonij pulueris drach. vnam. Bulliant per quadrantem horæ; stentque in B. M. per octiduum. Colentur: & colaturæ limpidissimæ addatur olei Saturni drachma semis.

Vsus. Valet contra omnes oculorum affectus externos, etiam in cœcitate, & cæteris vitijs, probatissima. Vsus talis est. Manè, meridie, vesperi, æger supinus iaceat, & imponat, in oculum læsum, tres, quatuor, quinq; guttas aquæ ophthalmicæ, & deinceps eadem aqua totus oculus lauetur, & ita quadrantem horæ supinus iaceat, linteolumque aqua illa imbutum ipsi oculo imponat. Repetatur aliquot dies, donec malum cesset.

AQVA THERIACALIS.

Recip. cortic. Citri lib. vnam: aquæ pluuialis destillatæ lib. VI. Digerantur in fimo equino, dies sex vel septem. Destillentur postea,

poſtea, & exiſtillantur libræ quatuor. In his infunde Theriacæ Andromachi antiquæ vnc. octo, aut nouem, aut lib. vnam, & deſtilla ex B. M. per alembicum. Aqua deſtillata reaffundatur fecibus, & deſtilletur denuo.

AQVA ZEDOARIÆ.

. Recip. Zedoariæ lib. vnam; flor. Sambuci manipul. tres. Concidantur, conquaſſenturq́; omnia, & cum vino albo Rhenano fiat maſſa non nihil liquida. In vaſe terreo operculo probè lutato, ponatur in fimum equinum, dies triginta. Deſtilletur poſtea, & reaffundatur fecibus, quod deſtillatum eſt: ſemelq́; adhuc deſtilletur.

Vſus. Hæ duæ aquæ inſignem vſum habent in compreſſionibus ventriculi, flatibus, venenis, affectu hypochondriaco, vteri ſuffocatione, & ſimilibus. Doſis vnc. vna & ſemis.

AQVA SVDORIFICA.

extrinſecùs vſurpanda.

Recip. Mercurij ſublimati, optimè pulueris. vnc. vnam & ſemis: Euphorbij ſcrupul. vnum: aquæ Vitæ bene rectific. Roſarum, ana libr. vnam; Miſta & infuſa, in matracio colli longioris, probè obturato, horas duas vel tres, lento igne, degerantur demum bulliant circiter quadrantem horæ. Liquorem

frigefactum, & per inclinationem à fecibus separarum, reconde in vas vitreum.

Vsus Tollit mirabiliter dolores neruorum, præsertim si causam habeant frigidam. Foueatur pars affecta, fotu conuenienti, & semper ante fotum humectetur hac aqua, præsertim ad introitum lecti. Vbi semel atq; iterum ea vsus fuerit; cessabunt dolores. In doloribus morbi Venerei mira est hæc aqua. Nam ad sudorem prouocandum, spina dorsi hac aqua madefiat, vel carpi saltem in debilioribus: sic copiosum sequetur sudoris profluuium. Curat quoque Ischiadicum, & alios articulorum dolores.

NOTA. Cum Ischiadicus quidam, ex vsu huius aquulæ, nonnihil leuaminis sensisset, & subitò à dolore, & incedendi impotentia, liberari cuperet: non satis cautus; diutiùs, quàm par erat, aqua ista partem affectam quotidiè fouit. Vnde cutis tandem contrahi & tendi cœpit, atque alter clunium, summo cum dolore, adeo inflammari, vt ex ea innumeræ, & prægrandes vesicæ pullulascerent; quæ discissæ, plurimum, aquæ feruidæ & acris profundebant.

ALIA.

Recip. Florum Antimonij alborum dulcoratorum, & realgare priuatorum vnc. tres

Helle-

Hellebori albi, Cyclaminis, ana vnc. duas: Baccarum Lauri contuſar. vnc. vnam. Miſce: & in funde in pinta ſpiritus vini Gallica: digere longo tempore: & cola per manicam, ne quid terreſtre ſimul exeat. Fex enim terreſtris corrodit.

Vſus. Inunge hunc liquorem plumis mollibus; non linteo: aliàs excoriat. Quod ſi corroſio fiat: occurritur: ſi vino rubro eluatur, aut puluere aliquo conſpergatur ſiccante, vel creta, vel bolo, ſulphure, quod egregium eſt in hoc caſu, aut duobus inter ſe miſtis; ſi ſimplex, vel ſit vehementius; vel non ſatis operetur. Siccant etiam ceruſſa, lythargyros, gleba etiam pinguis per ſe ſiccata; non calcinata. In nõnullis corporibus ſiccioribus, prę-mittuntur interdũ fomẽtationes, quæ cutem præparant, ad ſudorẽ tãtò faciliùs emittẽdũ.

(Etſi hæ duæ poſtremæ aquæ non ſint deſtillatę, tamen cùm ingredientia habeãt Chymica; & ſummo cum fructu, in praxi Medica, vſurpari poſſint; nec ſimiles, ab vllo authore, quod ſciam, in vſum Medicum prolatę ſint: volui eas, hoc loco, publici iuris & vtilitatis facere; nec, quod multis hodie ſolenne, eſt, imitari barbarum illum Indũ, in vrbe Poſto: qui, vt Petrus de Oſma & Xarayzeio in epiſtola ad D. Nicolaum Monardis, refert,

cum ſolo cuiuſdam plantæ ſucco, artubus & parti affectæ illito, ſanguineos ſudores excitaret, &, hac ratione, morbos planè deſperatos curaret feliciter: nec pretio, nec precibus, nec minis adduci potuit: vt eam plantam Hiſpanis monſtare dignaretur.

CAPVT III.

De Aquis Fortibus.

AQuæ fortes, quæ & cauſticæ, & chryſulcæ, ſeparatoriæ, & gehennæ nuncupantur, igne fortiſſimo, ex atramento α ſutorio, halinitro, β ſale Armoniaco, ſtibio, γ Mercurio ſublimato, alumine, cinabari, δ &c. conficiuntur: quarum ea, quæ vim obtinet omnium maximè cauſticam & corroſiuam, STYGIA; illa verò, quæ aurum ſoluit, REGIA dicitur.

α *Vitriolo.*

β *id eſt, ſale petræ.*

γ *Antimonio.*

δ *ſale communi, ſale alkali, ſale gemmæ, &c.*

AQVA FORTIS COMMVNIS.

Recipe vitrioli exſiccati libras duas, ſalis petræ repurgati libram vnam.

Tere

Tere ſimul & miſce: deinde impone retortæ, optimo luto loricatæ, & collioca in fornacem α reuerberij, apppoſitoque recipiente amplo β deſtilla per gradus, ſpatio viginti γ horarum. Cum ſpiritus albi & nebuloſi in receptaculo diſſipantur: finis adeſt: δ Sine igitur pedetentim refrigeſcere: aquam exemtam clarifica ε per argentum, hac ratione. Cape quartam ζ partem iſtius deſtillati: inijce puri argenti drachmam vnam, & ſolue η ſuper prunis: ſolutionem infunde alijs tribus partibus; θ & albæ euadens inſtar lactis: ſine reſidere, & purum effunde. ι Si Regiam cupis: in vncis quatuor huius aquæ communis, diſſolue vnciam vnam ſalis Ammoniaci, vel ſalis communis exſiccati: atque ea aurum ſoluet.

Modus hic, à me deſcriptus, vulgaris eſt, quo nunquam vtor. Spacio enim decem, vel ad ſummum, duodecim horarum, aquam validiſſimam, ex retorta vitrea non lutata, deſtillo: caputq; mortuum facillimè poſtea abſq; vitri fractione educo; ita vt illud, vel vigeſies adhuc, eidem operationi inſeruire poſſit. Quod ſi quis ex cacabo ferreo, quem exactè claudat limdel terreum forte, aquas fortes deſtillandas eſſe, contendat: næ ille, non tam fortes; quàm debiles, inde eliciet.

Nam

Nam ſicut ferrum exteriùs ab igne reuerberij calcinatur : ita idem interius à calcanthi & ſalis petræ ſpiritibus corroditur : vnde aquas debiliores reddi non eſt dubium. Taceo, quòd nec Germania, nec Gallia, tale aludel terreum excoquere poſſit, quòd ab eiuſmodi ſpiritibus corroſiuis non penetretur.

α id eſt, in ignem apertum.

β intus tantum aquæ ſimplicis continente, quantum deperditum eſt ab exſiccatione.

γ potiùs viginti quatuor horarum.

δ paulatim ſubſidentibus ſpiritibus rubris.

ε aquæ fortes clarificatæ dicuntur Germanicè gefellet, *aqua fort.*

ζ vel ſaltem vnciam vnam atq; alteram.

η in cucurbita alta.

θ reliquis tribus partibus.

ι & in vitro probè munito ſerua.

Aquæ fortes omnium optimè deſtillantur ex cacabo ferreo in furnum aptè collocato, quem ad marginem ſuperiorem, poſtea quam iam materia indita eſt, exactè in peripheriam ſuam claudit aludel terreum forte, cum alembico roſtrato coniunctum & munitum; hac enim ratione, & aquæ fiunt fortiores, & capita mortua faciliùs ex cacabo ferreo eruuntur, minorq; fractus vaſorum fit, vnumq; vas infinitis deſtil-

latio-

lationibus ſufficere poteſt ; cùm è contrà admentem autoris , ſingulæ deſtillationes ſingula requirant, vaſa ; quòd probè notandum.

AQVA FORTIS PERPETVA, & modus faciendi Cinabarim.

Diſſolue mercurium in aqua forti; adde ſulphuris partem α æqualem, deſtillà per retortam : & habebis aquam fortiorem, β quàm antea ; & cinabarim γ ad collum retortæ.

α potiùs tertiam partem ; aut ſummum dimidiam.

β magiſque gradatoriam, ac fixatoriam.

γ Vbi ignis in fine vehementior excitatus fuerit, elcuatam habebis cinabarim.

AQVA PHILOSOPHICA, ſiue REGIA. †

Recipe Nitri repurgati , ſalis Armoniaci , ana vncias duas: Simul tere ; α miſce: & impone retortæ amplæ , cui appone magnum vas recipiens, commiſsuras retortæ cum recipiente leniter lutando : deinde deſtilla ex cineribus , β (igne non admodum lento ; ſed tertij gradus : alioquin ſpiritus , ſi igne ſecundi gradus vtaris , non egrediuntur , aut tardiuſculè) donec omnes fumi magna violentia egreſsi fuerint , nec guttæ virtutis ex retorta decidant.

Tunc

Tunc retortam ita calentem exime, & materialia ſuprà dicta noua in eadem doſi repone, & miſce cum capite mortuo, deſtillando, vt ſuprà. γ Ex vncijs ſex ſalium accipies vncias tres aquæ Philoſophicæ.

† *Dicitur etiam aqua pugilum, quòd nitrum & ſal armoniacum, cùm ſint infenſiſsimi hoſtes, primò ſtatim congrediantur contactu. Regia autem dicitur, quia aurum ſoluit, quod eſt Rex inter metalla. Hinc etiam ſal armoniacus Aquila vocatur, quia Ganymedem ſeu aurum ſecum eleuat, qui deinceps facilè ſeparetur per aquam.*

α *cum tertia parte ſilicis vel pumicis calcinati.*

β *igne admodum leni.*

γ *aqua enim regia non eſt adhibenda, niſi ſit defæcatiſſima.*

Aquæ regiæ præparatio ſecũdum alios.

Nonnulli eandem aquam deſtillant per retortam poſtica parte turbulatam. Nam cum retorta talis in igne reuerberij poſita (præmiſſo recipiente capaci) & paulatim ignis ſubminiſtratus fuerit, donec nempe retorta paululùm incandeſcat, ac poſtea per tubulum iſtius materiæ iniiciatur cochleare vnum, ac tubulus diligenter argilla clauſus fuerit madida, cum impetu procedit aqua, cuius ſpirituoſioribus partibus ſubſidentibus denuo noua materia

ria injciatur per tubulum, atq; ita procedatur, donec ſufficiens quantita aquas prolecta fuerit.

CAPVT IV.

De Spiritibus.

SPiritus participant partim de aquâ, partim de igne, & prout ſunt vel aquoſiores, vel magis oleaginoſi: pro eo etiam vel aqua, vel oleum dicuntur. Qui tamen è mineralibus prolectantur, olea vt plurimùm vocantur.

α Inter Spiritus autem animalium excellit ſpiritus ſanguinis humani; vegetabilium, ſpiritus vini; minerabilium, ſpiritus vitrioli.

α κατάχρησικῶς.

Spiritus ſunt menſtrua è re ſimplici, ſed acri, producta, ignei halitus naturam habentia. Menſtrua dicuntur, quia plerumq; horum loco vſurpentur halitus ignei; ipſorum enim pars potiſſima eſt halitus igneus, mixtus parte vaporoſa: hinc ergò conſiſtentiam habent aqueam.

SPIRITVS VINI.

Digere vinum generoſum α in fimo, vel eius vicario, in vaſis circulatorijs, β iuſtæ amplitudinis, per octo vel decẽ dies: poſtea,

vaſa

vaſe refrigerato, effunde illud in cucurbitas altas, γ quibus ſuperpone alembicos roſtratos, iuncturas veſicis porcinis, vel bouinis, benè muniendo, deſtilla, vt artis eſt, per B. M. Primò egredietur ſpiritus, (qui quadrageſima plus minùs pars eſt vini generoſi.) Reliquum enim eſt aqua ardens; quæ à ſpiritu, ſapore gratiore, quem ea habet, diſtinguitur; oleum, ſal, caput mortuum δ quem ſepara, mutato recipiente: deinde vrge phlegma vſque ad mellis liquidi ſpiſsitudinem: feces per retortam deſtilla; dando ignem per gradus: & accipies oleum pingue. Ex capite mortuo ſal elicies, phlegma ſuperfundendo, digerendo, filtrando & coagulando. Quod ſi præſtantiorem ſpiritum vini deſideras: rectifica eum, ε deſtillationibus ſæpius repetitis.

α *quale eſt Creticum vel Hiſpanicum.*

β *Vaſa circulatoria ſunt cucurbita cum alembicis cæcis.*

γ *ſecundum Canonem deſtillationis ſecundæ.*

δ *qui ſexta pars eſt vini generoſi, vel octaua vini Rhenani optimi, reliquum eſt phlegma inutile.*

Spiritus vini recti

ε *Rectificatio ſpiritus compendioſior & melior eſt hæc: Inijciatur ſpiritus rectificandus in phialam,*

phialam, ita vt pars ventris eius ſit vacua, a- *ta ficatio ge-*
poſtea alembicum roſtratum, iuncturis benè *nuina.*
munitis, cum veſicis porcinis vel bouinis; roſtro verò applica receptaculum capaciſsimum, quod tamen in latere colli ſit fiſtulatum; (cuius fiſtulæ interioris orificium perfectè interius tangat, ipſum roſtrum alembici in vas recipiens immiſſum.) Huic verò fiſtulæ applica cucurbitam aliam, ac vtrobique iuncturas benè claude ac muni; balneo paulatim efferueſcente, videbis ſpiritum defæcatiſsimum aſcendere per collum phiola, eiuſque vaporem, per roſtrum alembici, tranſire in receptaculum ſpiritualiter; Quod verò cum quadam aquoſitate ſimul eleuatur, quod tamen admodùm paucum eſt, illud ex alembici roſtro in fiſtulam lateralem recipientis cadit, & ab excipulo, eo loci applicato, excipitur. Perge ita, donec nihil ampliùs prodierit, ſemper leniter ebulliente balneo, & relinquetur in ventre phialæ ſubſtantia aquea planè ſine viribus, aut, ſi non poteſt recipiens magnum taliter fiſtulatum haberi, inter roſtrum alembici & collum recipientis interferitur tale vas tricollatum, quorum vni inſeritur roſtrum alembici, reliqua duo inſeruntur, inferius quidem excipulo minori, poſterius collo recipientis maioris. Vas tale eſt.

Compen-



Spiritũ vini conficiendi modus elegans.

Compendium autem generoſiſſimi ſpiritus vini eliciendi ſic ſe habet: Recipe ſpiritus vini, vel alcohol eiuſdem rectificatiſſimi, quod eſt ſine phlegmate, libras ij. vel etiam, ſi vis, plures: miſce cum vini generoſi antea digeſti & circulati lib. VI. vel IV. Deinde deſtilla, & per alembicum non plus minusvè lento balnei calore euoca, quàm quantum fuit alcoholis vini antea affuſum. Idem hac vice prolectum ſecundò cum recenti vino generoſo, priori menſura, miſce, ac denuò eandem quantitatem ſimili deſtillatione euoca; atque ita perge ad 9. vel 10. coniunctionem nouam recens deſtillati ſpiritus cum generoſo vino, cauendo ſemper, ne vnquam plus minusvè inde deſtilles, quàm iunctum fuerit. Habebis hoc modo ſpiritum generoſiſſimum, & verum alcohol, ſine omni aquoſitate, tenue admodum & fugax (cuius guttula in aerem effuſa terram non attingit; ſed euaneſcit) aerem & ignem, tanquam formalia principia, referens vini, ideoq; ad efficiendum validiſſimum.

SPI-

SPIRITVS TARTARI. †

Recipe Tartari albi puri α (non cremori tartari; quia in tartaro ipso plus est aciditatis, vt ex sequentibus patebit) libras quinque: ponè in retortam vitream, eique in ignem cinerum β collocatæ recipientem satis capacem adapta. γ Dato igne per gradus, primò δ spiritus egredietur, postea oleum: ε quæ rectificari ζ debent, addito sale tartari, & pòst ab inuicem separari.

Est egregium aperiens: η vnde in menstruis retentis, ϑ paralysi, ι ictero, κ & similibus affectibus mira præstat. Vtuntur etiam in hydrope, λ cum aquis alijs hydragogis: in lepra: μ morbo indico: ν pleuritide: ξ angina: & exhibent à scrupulo vno ad duos, in aquis conuenientibus. *Vsus.*

† *Paracelso astrum vini dictus.*

α *vel cremoris Tartari, quem docet autor infrà cap. 17. Tartarus autem Austriacus huic operi non inseruit, quia pleraque vina Austriaca nascuntur in locis petrosis, vnde eorum tartarus multum fœculentiæ secum trahit.*

β *potiùs arenæ.*

γ *& luta.*

δ *cum fumis albis.*

ε *fœtidum.*

ζ *Rectificationem quære ex Crollio p. 159.*

Vbi tamen notandum, quòd melius ſit, ſimul cum eodem ſpiritu ſal ſpirituale reddere, quàm ſaltem ab eodem rectificare,

n præſertim is, qui cum vitriolo ſit, præparatus.

ϑ in aqua artemiſiæ, vel infuſo flor. borag. & bugloſſ. cum violis, aut cum vino ſabinato.

ι Si ter quotidiè exhibeatur in aq. vel potiùs arcano meliſſæ multum facit; totum enim corpus penetrat, neruos à pituita, & viſcida putrilagine liberat & roborat, quæ in hoc morbo maximè requiruntur.

κ in decocto fragariæ.

λ cum aq. ſoldanellę & ebuli: præſtat autem in hoc caſu reliquis ſpiritus tartari cum vitriolo confectus.

μ Initia duntaxat leprę profligat in vino ſumptus.

ν Si turbith minerale aliquoties præcedat; poſtea verò ſpiritus tartari in aq. vel arcano hydropiperis, extremo Septembri, vel Octobri collecti, exhibeatur.

ξ pleuritidi, vt & anginæ prodeſt in aq. cardui mar. & rhocadis.

NOTA.

Paracel ſi diapho reticum in per a- entis.

Paracelſus in Conſil. Medic. extant. V. Tom. edit. germanicæ in quarto pag. 128.

facit

facit mentionem alicuius diaphoretici in peracutis; cuius rudimenta etiam in lib. de Peſte ad Sterzingenſes 3. tom. pag. 116. & 127. eiuſdem editionis. *Quod ſanè eſt magnarum virtutum, propterea que non negligendum. Nonnulli hodierni practici vocant mixturam ſimplicem: eſt enim medicamentum compoſitum per ſe ex tartaro, ſpiritu vini, theriaca, myrrha, & ſpiritu vitrioli; ſed quòd poſtea ad alias mixturas varias, quorumlibet aliorum miſcibilium, alijs morbis vtilium, tanquam baſis, vſurpari & miſceri poſſit, eius reſpectu vocatur ſimplex.*

SPIRITVS TEREBINTHINÆ. †

Recipe terebinthinæ claræ q. p. Inde in veſicam æneam cum refrigeratorio, aqua propemodum repletam. Sic elicietur ſpiritus, qui aquæ innatabit, & per B. M. commodiſſimè rectificari [a] poterit, atque repetitis deſtillationibus, inſtar ſpiritus vini, exaltari; prout Vigenerius, vir de re Chymica meritiſſimus, in ſuis commentarijs docet.

Ex libris tribus terebinthinę accipies ſimplicis ſpiritus vncias octo.

† *Lorchet Paracelſo dictus.*

[a] *aut, ſi placet, cum aqua communi coniunctam terebinthinam ex B. M. per alembicum deſtilla, & non opus erit rectificatione.*

Doſis à guttis 6,8, 12. ad 20. Vſus eius in medicina multiplex eſt: Tuſſim, & α phthiſin β curat: venenis peſtilentialibus reſiſtit: γ ventriculum ab illuuie ſordida & viſcida mundat; vrinam δ prouocat, odorem inſtar violarum: ε calculum & arenas pellit: ζ ſtranguriam & vlcera veſicæ ſanat: η neruoſas partes aperit & confortat: vaſa ϑ ſpermatica calefacit, & libidini ſtimulos addit; ſanguinem ι coagulatum diſſoluit: κ vterum purificat, ac propterea ſuffocationi matricis valdè vtilis eſt. Extrinſecus etiam in λ contuſionibus maximus eius vſus.

α *cum aq. plantag. vel equiſeti.*
β *cum lacte ſulphuris.*
γ *cum aq. menthæ.*
δ *cum vino.*
ε *cum aqua alkekengi.*
ζ *cum lacte chalybeato.*
η *in aq. chamædryos.*
ϑ *in vino maluatico.*
ι *in aqua chærefolij.*
κ *in aq. artemiſiæ.*
λ *illinitione cum vnguento populeo.*

Balſamus pectoralis pretioſus

Ex ſpiritu terebinthinæ, balſamico tempore collectæ, & floribus ſulphuris, conficitur balſamus pretioſus, ad exulcerationes pectoris & pulmonum mirificè faciens, qui ſit commendatiſſimus;

tissimus ; & est talis : Colligatur terebinthina in diebus Veneris, quando Luna est in Cancro (quod singulis annis ferè ter, aut quater contingit) eaque statim recondatur, ne nempe aeri multùm subijciatur ; postea ex ea destilletur spiritus lentissimo B. tenuis & sincerus, priùs tamen affuso, in æquali quantitate, rore maiali destillato. Deinde recipe flores sulphuris ; ceu docebit autor infra cap. 18. *eosquè præpara cum aleo myrrha & thure, ad mentem Crollij* pag. 232. *Horum vncias duas mise cum vncijs totidem spiritus terebinthinæ balsamicæ, incucurbita parua, ac vase probè munito, in igne arenæ fac, vt leuiter ebulliant inuicem : sit extractio florum instar rubini. Huius extracti guttæ* 15. *ad* 10. *manè & vesperi, in decoctis pectoralibus, præmissis tamen vniuersalibus, præsertim vomitorijs, aliquandiu, donec sanatio fuerit absoluta, exhibitæ, mirificè & salutariter quoslibet affectus pulmonum tollunt. Cauendum tamen est, ne prohibeat huius vsum febris quædam maligna.*

ALIVS SVBTIISSIMVS.

Recip. Terebinthinæ Venetæ simplicis q. p. destilla eam per se, leniſſimo balnei vapore, obstructis probè omnibus foraminibus. Exsudabit ita spiritus longè subtilissimus, vtpote qui in manu exhalare possit.

Ex libra vna terebinthinæ, vix vnciam ſemis accipies; reliquum auctiori igne deſtillatum; ad vulgares vſus aſſeruandum. Spiritus verò prolectatus eximium remedium in gonorrhæa. Diureticum enim inſigne eſt: abſtergit: purulenta educit: ſarcoticum eſt, & balſami veri vires æmulatur.

SPIRITVS TALCI.

Recip. Talci q. v. Calcina in reuerberio, ſorti igne, per horas decem. Adde ſilicum alborum, in pollinem redactorum, tantundem. Irrora aqua, ſiue ſpiritu vini, & pone in cellam, per aliquod tempus. Poſtea per retortam deſtilla, vti ſpiritum vitrioli, magno appoſito recipiente, & exit, in fumo, ſpiritus, qui ſeruetur.

Vſus eius eſt, in fuco, parti corporis alicui inducendo. Sumitur ſpiritus huius q.p.& additur tantundem aquæ roſarum fragrantiſſimæ, atque hac miſtura locus fuco ornandus lauatur.

SPIRITVS SVLPHVRIS.

Ponatur ſub campana α vitrea, vas terreum cum ſulphure, quod accendatur. Ita verò vas ſubiectum ad campanam adaptetur: ne fumi egredientes flammam ſuffocent; ſed vt liberè in illam ſubuecti in liquorem denſentur, qui in ſcutellam appoſitam

β deſtillet. Ex libra vna elicio vnciam vnam, γ imò drachmas decem, & nunquam minus quatuor, tantæ efficaciæ, vt Leonhardus Fiorauantus eius, intra δ corpus aſſumti, vires non ſatis admirari poſſit.

Dari verò poteſt, cum aquis appropriatis, aut ſyrupis, ad guttas quatuor, quinque, ſex: & commiſceri cum electuarijs, & pilulis, tam in morbis ε calidis, quàm frigidis. Exteriùs etiam prodeſt ad dentium dealbationem: vlcera luis Venereæ, gingiuarum: verrucas; ani & cæterorum membrorum fiſtulas. ζ Appellatur etiam oleum: ſed καταχρηστικῶς.

α *vel retorta ſubtus foraminata.*

β *Si retorta ſupra fuerit; partim ex eadem retorta, partim in vas adiectum è roſtro retortæ.*

γ *Non eſt κατὰ παντὸς: interdum vix drachmæ duæ, interdum etiam plus vncia vna prodire viſum eſt.*

δ *Huius ſpiritus ſulphuris vſus intra corpus non eſt vſq; quaq; tutus.*

ε *Deſtillatæ ſunt hermaphroditicæ naturæ, & chymici potiſſimùm non reſpiciunt ad qualitates primas.*

ζ *Quibus affectibus conducit ſpiritus vitrioli, ijsdem etiam ſpiritus ſulphuris.*

Spiritus ſeu oleũ ſulphuris per campanã quid nam.

Spiritus ſeu oleum ſulphuris per campanam nihil eſt aliud, quàm ſpiritus vitrioli acidus, qui ſola alteratione ab illo differt; vitriolũ enim crudum; quod aſſumptum à ſulphure communi in eodem digeſtum magis eſt, nec aliunde prouenit hæc aciditas, quàm à vitriolo ſulphuris; dum enim ardet ſulphur, fumus eius in locum frigidum, ad condenſationem aptum, ſublatus, ilico hoc vitriolum tollit. Id igitur ibidem in campana condenſatur, ac in aciditatem abit; ſed quia hoc vitriolum eſt par; aliquota ſulphuris, tantum id, quod ipſius eſt, in aciditatem hanc ſpiritualem abire poteſt, non verò totum ſulphur.

SPIRITVS VITIRIOLI.

Natura vitrioli; & eius ſpecies.

Tres vulgo habentur vitrioli ſpecies: viridis, alba, cœrulea: a participantes de natura ſalium, aluminum, ſulphurum, ſecundum magis & minùs: prima quidem magis de ſale; altera de alumine; tertia de ſulphure: Conſtantque ex parte aquea, terrea & intermedia, quæ, teſte Riplæo *in pupilla Alchymiæ*, ſeparari non poteſt à ſuis extremitatibus, aquea & terrea; niſi mediante mercurio, qui, adſtipulante Gebero, quod naturæ ſuæ eſt, retinet, alienum reſpuens, & igni exponens. Hæc ſubſtantia intermedia diaphana per ſublimationem exaltatur in

cando-

candorem niueum, occultè in ſe ſemen ſulphureum continentem inſtar vermiculi rubicundiſſimum: Vnde in Turba dicitur: *Mirati ſunt Philoſophi, rubedinem in tanta albedine exiſtere.* De hoc ſulphure ita loquitur Geber, 28. *cap. ſummæ:* Per DEVM altiſſimum idipſum illuminat β & rectificat omne corpus: γ quoniam eſt alumen & tinctura. Hæc eſt illa aqua vitæ, aqua ſicca, quæ manus non madefacit, aqua congelata, ſal animatum, de quo Raimundus Lullius, poſt Alphidium: Sal non eſt niſi ignis, nec ignis, niſi ſulphur, nec ſulphur, niſi argentum viuum, reductum in illam preciosam ſubſtantiam cœleſtem, in corruptibilem, quam nos vocamus Lapidem noſtrum. Vnde etiam quidam, ad literas VITRIOLVM, ita alluſit: Viſitando Interiora Terræ, Rectificando inuenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.

α *reperitur & lucidum; præſertim Goſlariæ.*

β *ſplendore Solis & Lunæ.*

γ *metallicum,*

Porrò valdè inter artifices Chymicos controuertitur: vtrum, inter tam varia vitrioli genera, primas obtineat. Has alij α Cyprito deferunt: alij Romano: β alij Hun- *Quod vitriolum optimũ.*

Hungarico, Cyprium & Romanum meritò ſuſpecta eſſe debent: quòd ſint ferè adulterata, ſophiſticata, varia, diuerſorum ſcilicet colorum, formarum, virtutum. Quod ad Hungaricum verò attinet, & Galli & Germani mercatores, qui nobis vitriolum quoddam cæruleum, diaphanum. aliquando, ſubuiride, pro genuino, & ex ipſa Pannonia allato, vendunt, impudenter mentiuntur, γ Cum enim anno clɔ lɔ CXI. eò locorum me contuliſſem: vt auri argentique fodinas, quæ Schemnitij viſuntur, intrarem, & mineralium, metallorumque notitiam perfectiorem ex ipſa αὐτοψία compararem; illuſtris ac generoſus Dominus de Bloenſtain, generalis minerarum regni Hungarici Præfectus, pro humanitate ſua eximia, & fide omnibus nota, mihi certo confirmauit: quòd etſi duo vitrioli genera, album vnum, valdè aluminoſum, ex quo aquas chryſulcas & conficiunt; alterum cæruleum, longè præſtantius, reperiantur: huius tamen minera, quamuis fertiliſſima, planè non colatur: eò quòd nunquam ſint mercatores, qui tale vitriolum coemtum in alienas terras aſportare dignentur. Idem & de Antimonio profitebatur, quod in auri fodinis reperitur copioſiſſimum. Illud autem iure meritoq; cenſeri

Antimoniũ Vngaricum rarò in alias regiones adfertur genuinum.

ſeri debet optimum & præſtantiſſimum, quod è Venere elicitur, aquæ beneficio, vt poſtea ε dicetur. Huic bonitate ſuccedit illud: quod cæruleum eſt: plus Solis in ſe continet: plus Martis in Venerem tranſmutat: & quod diutius ignis examina ſuſtinet, antequam vltimos reddat ſpiritus, vndecunque id afferatur.

α *vt Quercetanus*, in Tetrade pag. 356.

β *Romanum nullum ortum eſt. Romæ enim nullum foditur ſed* κατ' ἐξοχὴν *ſic dicitur, quia Roma mundi caput habita eſt.*

γ *Autor falſi inſimulat mercatores.*

δ *hoc eſt, fortes regias.*

ε *cap.* 17. *ſcilicet.*

Huius ergò vitrioli recipe libras duodecim: calcina in vaſe terreo, igne moderato: donec omnis humiditas abſcedat. Vaſe refrigerato, maſſam, quæ erit ſeptem circiter librarum, reduc in puluerem ſubtilem, α cum libra vna circiter particularum eiuſdem teſtæ: & impone retortæ firmæ lutatæ: ita tamen, vt tertia ad minimum pars ſit vacua. Eam in fornacem colloca reuerberij: adhibito receptaculo amplo, collique breuis, deſuper lutato; & commiſſuris retortæ cum recipiente, luto ſalſo diligenter munitis. Dein paropſidem terream latam, pedē

vnum

vnam altam, & infundo quadrangulariter perforatam, retortæ, vt æqualiter os fornacis claudat, superstrue: atque ad extremitates fornacis, cuiuscunque illa sit formæ, quadratæ, rotundęvè, lateres, altitudine paropsidem adæquantes, adapta: spatiumque inter lateres & paropsidem, quod intercedit, cineribus vsque ad ſummum obrue. Tunc fac caminum ex quatuor laterum particulis, super testæ foramen quadrangulare, vt flamma, mediante tali vehiculo, liberiùs, cum tempus fuerit, queat euolare. Orificium camini, sicut & cineritij ostiolum ita claudantur, primis quatuor horis, vt carbones furno impositi saltem ardeant, & non extinguantur: quò paulatim & successivè retorta calefiat. Exinde sequentibus quatuor horis, calor augeatur: foramina suprà & infrà paulatim & successivè aperiendo: donec flamma per superiora incipiat erumpere, & retorta vndique candeat. Quod cum fit: cineritio & camino omninò apertis, per octodecim vel viginti horas ignis intendi debet, donec omnes spiritus egressi fuerint. Post biduum, lutum salsum & valdè induratum, quod retortæ collum cum recipiente tenet colligatum, linteo madido, per horam, donec recipiens, absque vitri fractione, abstrahi pos-

hi poſſit, humecta: & poſtmodùm phlegma à ſpiritu, deſtillatione, per balneum, aut blanna cinerum, ſepara. Sunt, qui poſt phlegmatis ſeparationem, ſpiritum ſuper corallijs β trita ex arena rectificant: talemque vitrioli ſpiritum coralliſatum appellant.

Spir. vitrioli coralliſatus.

Vſus. Spiritus hic in febribus ardentibus, cum aquis appropriatis miſtus & hauſtus, refrigerat: ſitim extinguit: humorum putredini reſiſtit: per vrinas γ & poros cutaneos operatur: phlegma conſumit: craſſos & viſcoſos humores incidit: languentem appetitum excitat: & ſuccos roſarum, violarum, aliorumque florum pulcherrimè tingit. δ.

α *In calcinatione vitrioli vt plurimùm exhalat pars dimidia. Sic libras viginti vidimus redactas ad libras decem cum dimidia.*

β *ita paratus eſt ſine omni corroſione.*

γ *renes à mucilaginibus feliciter expedit.*

δ *non ipſe tingit, ſed tinctturam ſaltem euocat.*

Hiſce apponere lubet ſpiritum vitrioli Crollij pag. 186. *ſed correctum, qui ſanè admodùm probus eſt & genuinus. Eius præparatio eſt talis: Recipe vitriolum Hungaricum, ſolue in aqua deſtillata, vel rore Maialis: & ſolutum cola, poſtea collocetur in digeſtio-*

Spiritus vitrioli præparatio iuxta Crollij.

nem

nem cinerum, vel arenæ vel ſimi, in alembico negligenter ſaltem obturato, quia nil euaporat: ſtet per menſem, tunc ad ſuperficiem eiiçit feces ſeparandas: Iterum ponatur in digeſtione tam diu, donec nullas feces ampliùs reiçiat; poſtea coletur, &, quod clarum eſt, in lento igne balnei, vel arenæ, deſtilletur vſque ad cuticulam: in frigido denuò concreſcunt lapilli, toties colligendi, quoties id fieri poteſt. Huius lib. V. vel VII. ex cucurbita probè loricata, igne aperto, per alembicum deſtilletur; ſpatio aliquot horarum, duarum, vel trium phlegma egreditur, quod auferendum eſt, poſtea ſequuntur ſpiritus (vbi hi incipiunt aſcendere; id guſtando poteris deprehendere; ſenties enim aciditatem, & videbis, vt in diſtillatione aquæ vitæ fieri ſolet, ſtriarum inſtar, vt ſignum ſpiritus volatilis, in alembicum aſcendere) qui, mutato vaſe recipiente, ſeorſim colligendi ſunt. Hic ſpiritus vitrioli ad odoris ſuauitatem, & dulcis aciditatis gratiam reductus, in quo nec ſenſibilis corroſio in lingua apparet, nec tarda auſteritas, ſed ſpiritualis aciditas, vtile eſt medicamentum & curationibus neceſſarium. Eiuſdem imò plenè melioris vſus eſt ſpiritus vitrioli noſter Philoſophicus, cuius deſcriptio genuina non niſi paucis conceſſa: mirabilia enim præſtat in Medicina, & quia

Spiritus vitrioli Philoſophicus.

corro-

corrosiuus non est sola austeritate gratus, eius virtutes euidentiores censentur. In superiori autem processu qui volet vlteriùs persequi destillationem, auctiore igne oleum profluens ad suos vsus seorsim colliget, & huius rectificati olei partem vnam, cum quatuor vel sex partibus spiritus vini adcobolizati, id est, sine omni phlegmate, in balneo roridο, per aliquot menses, digeret, & postea destillabit; habebit oleum vitrioli, supernatans aquæ, suauissimi odoris, & iucundi saporis: separetur per tritorium, antequam acidæ guttæ prodierint; alioquin hoc cùm illis remiscetur.

Nota BARTHII.

Spiritus vitrioli refrigerat.

Multi sunt ex doctis, qui spiritum vitrioli, non tam frigefacere; quàm calefacere; aut, si refrigerandi vires obtineat, illas saltem accidentales esse, (quatenus nempe spiritus hic tenuissimarum subtilissimarumq; partium cum aqua simplici fontana, aut alijs liquoribus destillatis frigidis, commistus, eorum vim & qualitatem frigidam ad corporis interiora transfert, ijsq; quasi pro vehiculo est) opinantur. Verùm hic illud tenendum est, quod ab omnibus Chymicis statutum & receptum: Vitriolum, & reliquos sales omnes minerales, compositos esse, ex parte terrestre, aquea & ignea; eosq; tantò calidiores esse, quantò terrestreitas est subtilior,

tilior, & in ſuo humido magis decocta. Acrimonia ipſorũ ab igne, qui in illis continetur; cõſiſtentia & ſoliditas à terra; liquabilitas ab aqua oritur. Vt autem partes iſtæ, perfectè, aut imperfectè, inter ſe mixtæ ſunt; ita ſpiritus ex iſtis, facilè aut difficulter, educuntur: qui ſpiritus tantùm ſunt pars aquea & ignea, imperfectè mixtæ; & quæ ſimul iunctæ extremam progenerant aciditatem; eam, quæ in malis citrijs eſt, tali quidem proportione ſuperantem: vt, ſi hanc in primo gradu frigidam conſtituas, ſpiritus vitrioli acidus futurus ſit in octauo; quod exinde facilè deprehendes: ſi partem vnam ſpiritus vitrioli cum ſeptem partibus aquæ communis miſeas. Aciditas enim, quæ hinc reſultabit, ſimilis planè futura eſt illi, quæ in citrijs reperitur. Cùm autem, ſecundùm Galenum & Meſuen, omnia acida frigida ſint per ſe, & non per accidens: quidni & ſpiritus vitrioli? Et ita quidem de reliquis etiam cæterorum ſalium ſpiritibus ſentiendum. Verum enimuerò cùm omnes mixtorum ſapores oriantur à ſalibus, volatili nempe, quem, per analogiam, armoniacum appellamus, & qui ſemper eſt in mercurio; eſſentiali, qui eſt in ſulphure; & fixo, qui ex parte terreſtriore elicitur; iſtiq; ſales à ſuo humido elementari ſeparati ſemper calidi exiſtant: fit inde, quòd omnia acida, tam inter mineralia, quàm vegetabilia, cùm

ſint

ſint compoſita ex humido craſſiori indigeſtoque, & ſale armoniaco magis aut minùs ſubtili, calorem occultum obtineant: cuius rei experientia fieri poteſt, hoc modo. Recipe minerale aut vegetabile acidum, quodcunque volueris, & deſtilla illud, cum ſale tartari, per alembicum, in B.M. Sic videbis id, quod effluxit, omni ſapore ſpoliatum eſſe; ſalemque tartari ponderè, propterea, quod ſal armoniacus acido ineſſet, auctum, ſaporemque immutatum. At inquiunt: ſpiritus vitrioli pannum corrodit, & carnes ipſas adurit. Verùm ſi ſuccus citri, qui ab omnibus frigidus ſtatuitur, margaritas & coralia corrodit: quis mirabitur; ſpiritum vitrioli, quem octauo gradu frigidum, comparatione cum ſucco citri factâ, conſtituo, pannum & carnem corrodere? Et nonne, vt Poeta ait.

Penetrabile frigus adurit?

SPIRITVS SALIS COMMVNIS.

Sal conſtat ex partibus diuerſis: terrea, aquea, ignea. Acris eſt, γλυκύπικρος, inciſiuus, ſubtilis, penetratiuus, purus, fragrans, incombuſtibilis, & alia à corruptione præſeruans, diaphanus, aeris inſtar, per reiteratas præparationes, diſſolubilis in humido

Natura ſalis.

mido, liquabilis in igne, inſtar metallorum; eſtque ceu anima in corpore, ſecundum Plinium, α qui ſecundum Stoicos: ſalem datum eſſe carni porcinæ, ſua natura quaſi mortuæ, pro anima. Hic enim in modum fermenti, corpus, cui miſcetur, modo id penetrare poſſit, in ſuam naturam conuertit, & omne humidum viſcidum, putredini obnoxium, conſumit. Raimundus Lullius vocat humorem vrinalem, omnem liquorem ſalſuginoſum, per corpus diſperſum: Paracelſus mumiam.

Sunt autem varij, à Chymicis excogitati, modi ſpiritum ſalis præparandi. Aliqui ſal decrepitatum, per ſe diſtillant, abſque additione rei alicuius externæ. Sed cum ſal facilè fundatur; & cum in vnum coierit, ſpiritus foueat contumaciſſimos: β poſt deſtillationem viginti quatuor horarum, omnibus refrigeratis, retortam frangunt: maſſam ſalis terunt: & nouæ retortæ imponunt, cum liquore deſtillato: idque toties repetunt; donec totum ſal in oleum reſoluatur, quod octaua aut nona deſtillatione γ fieri ſolet. Tædioſa nimis operatio. δ.

Alij ſal commune calcinatum, in cella vinaria, aut aqua pluuiali diſſoluunt, & cum argilla figulina cribellata impaſtant, indeq; orbi-

orbiculos vel globulos formant, quos exsiccant: retortæ indunt, & spiritus eliciunt.

Ego verò sic parare soleo. Accipio libras duas salis marini calcinati: & miſceo cum sex libris farinæ laterum, vel terræ rubræ, vel boli communis: impono retortæ firmæ & amplæ, & vt tertia ad minimum pars vacua remaneat: adhibitoque recipiente amplo, in quem priùs aquæ stillatitiæ libram infundo, destillo, horas triginta: seruatis ijsdem ignis gradibus, de quibus in destillatione spiritus vitrioli dictum. Post separationem aquæ, & phlegmatis, accipio viginti ad minimum vncias spiritus acerrimi, qui rectificari debet.

Vsus, Vires exerit potentissimas, cùm interiùs, tùm exteriùs sumtus. Renouat totum hominem, & præseruat ab omnibus morbis; si in generoso vino, aut aqua vitæ vsurpetur. Cum sale absinthij, mistus, & in vino, aut aqua absinthij vsurpatus, hydropem tollit. Curat epilepsiam, icterum, febres, calculum, lumbricos. Inunctus sanat membra luxata, contracta, paralytica, apostemata, dolores item podagricos mitigat, si cum oleo vel terebinthinæ, vel ceræ, vel chamomillæ misceatur.

Calcinat etiam omnia metalla, lapides, vitrum ipſum, artis opus perfectiſſimum. θ

α *Plinius hæc non habet.*

β *Imò ſal fuſum nullum planè ſpiritum de ſe mittit, niſi viciſſim diſcontinuetur.*

γ *vix duodecima.*

δ *ſed valdè bona.*

ε *id eſt, decrepitati.*

ζ *terreæ.*

η *Non opus eſt effuſione aquæ, quia per ſe etiam phlegma deſtillat.*

ϑ *doſis à gutt. 4.5.6.*

Spiritũ ſalis dulcem conficiendi ratio.

Glorioſa eſt apud Chymicos admodùm de ſpiritu ſalis dulci oſtentatio, ſed quæ nunquam demonſtrari poteſt: talis enim ſpiritus ſalis dulcis à ſale ipſo nulla deſtillatione prolicitur, abſque ſpiritu vini. Hic itaque ſolus eſt, qui eandem dulcedinem procurat, ſiue ab initio cum ſale deſtillando coniungatur, ſiue poſtea ſpiritus ſalis cum eodem ſæpius cohobando ſubtilietur: ſic enim, & non alio modo, omnem acrimoniam à ſpiritu ſalis auffert, eumque ſubdulcem reddit, ſimili modo in cæteris ſpiritibus efficiendo. Apparatus eius eſt talis: ſal ſoluatur aqua pluuia deſtillata, filtretur & coaguletur, poſtea calcinetur igne moderato, ſemper mouendo, ne fluat, idq; fiat decies, quinquies, vel ſæpius: poſtea idem ſal extrahatur cum vini

ſpiritu

ſpiritu optimo, quo particulatim ablato ſal lapieſcat (id eſt, biz zur Gryſtallen vird, oder biz ſie anſchieſſen) *Ex iſtis cryſtallis, cum argilla vel terra ſigillata, cruſta impaſtatis, fiat more vſitato ſpiritus dulceſcens, vlteriùs cum alcohole vini coniüngendus, & ſæpius cum eo per cohobia deſtillandus.* Nec Crolliana p. 149. *ſpiritus ſalis præparatio vilipendenda, quam ita correctam damus: Recipe ſalis Cracouienſis natiui, id eſt, ſalis gemmæ, vel ſalis marini exſiccati, vel calcinati ſaltem, ſcilicet decrepitati,* lib. 4. *affundendo aquam pluuialem, impaſta vel malaxa, cum albæ argillæ figulinæ recentis, & per ſetaceum cribratæ, libris duabus (vel, quod meliùs, argillæ loco ſumatur matrix, ſi haberi poſſit, ſeu cortex terram ſigillatam inuoluens, & proximè ambiens, & è qua terra ſigillata, & tanquam nucleus, eruitur; ſic enim efficaciorem liquorem ad vſus medicos habebis) inde facias orbiculos, hoc eſt, paſtillos rotundos ſeu oblongos, quos retrò fornacem ad duritiem exſiccatos impones retortæ terreæ luto obductæ, vix ad dimidietatem impletæ: iungatur recipiens ſatis capax, luto tenaci connexum, & ſeruatis ignis gradibus, donec phlegma egreſſum eſt, vltimò pelle forti & indeſinenti igne aperto continuando, donec ſpiritus albi omnes egreſſi ſunt. Sic ſal marinum cum*

Crolliana ſpiritus ſalis præparatio correcta.

terra ſigillata cruda, tripla, vel quadrupla proportione, miſtum, &, ad præſcriptum autoris, deſtillatum, ſpiritum reddit elegantiorem.

Spiritus ſalis cũ ſalo communi antipathia unde.

Spiritus hic ſalis dicitur habere antipathiam, ac naturam contrariam, quòd tamen non aliunde dependet, quàm ratione miſtionis. Sal enim, tanquam miſtum corpus, habet in ſeſe partes diuerſas, quarum ſingulæ alias atque alias habent qualitates, ac alios effectus: Coniunctim verò id oſtendunt, quod mixti corporis eſt. Ita ſal commune excitat ſitim ſpiritus, hic pellit eandem, quod manifeſtò apparet in hydropicis, in quibus ſitim ſedat, & quidem tam fortiter, vt, poſteaquam ſpiritus ſalis, præſertim verò compoſiti, vſum aliquandiu continuauerim, in poſterum non ſitiam; quod tamen aliàs in ſale reſoluto micro, coſmico, cuius eſt hydrops, perpetuum & quaſi inſeparabile eſt. Eſſentialem enim humiditatem, quæ multùm exhauritur in hydropicis, ſpiritus ſalis adiuuat, & ventriculum cæteraq; viſcera corroborat; ſal verò, tanquam miſtum corpus, eſſentialem humiditatem non promouet, ſed eam auffert: Sitis itaq; à ſale ſumtò non minuitur, ſed promouetur. Tandem elegantium virtutum eſt ſpiritus ſalis compoſitus, ex ſale nempe petræ, & ſale communi confectus, qui hic apprimè commẽdatur, nec immeritò, ſiquidẽ eo Medicus verus cõmodè carere nequit.

Spiritus ſalis cõpoſitus.

Nota

Nota BARTHI.

Destillatur etiam spiritus salis cum anâ limaturæ chalybis, per retortam, modo vulgari, rubicundissimus & ad multos morbos chronicos feliciter percurandos præcauendosq; vtilissimus.

SPIRITVS NITRI.

Nitrum, siue sal petræ, misceatur cum tribus partibus boli communis: α & destilletur per retortam, β obseruato eodem ignis regimine, vt in præcedentibus dictum, spatio decem vel duodecim horarum. Ex libra vna salis petræ, accipies libram vnam spiritus: si benè operatus fueris.

Vsus. Spiritus hic, secundum Quercetánum, est verus ignis γ naturæ balsamicus: & prodest in colica, δ pleuresi, angina, febrib°. ε.

α *vel terræ figulinæ.*

β *igne reuerberij.*

γ *Sic vocat eum Quercetanus, quia mortificat omnes spiritus corrosiuos.*

δ *miscetur cum anâ spiritus vini, ac dantur de illa mistura scr. iij. vel 3.i. Spiritus verò non debet esse purus, sed adhuc cum suo phlegmate: priùs tamen soluenda est aluus. Nam si vini & nitri spiritus puri confunderentur, facilè fieret inflammatio. Aliàs optimè valet in colica, scil. flatulenta.*

ε *Datur in febribus cum aquis endiuiæ, portulac. cichor. ad extinguẽdum calorem, à guttis 6. ad 16. Eſtq; hic ſpiritus in febribus præſtantior lapide prunellæ.*

Croüius, in præparatione huius ſpiritus, pag. 153. *priùs globulos oblongos efformat, dein ad opus eos adhibet; aſt meliùs procedit operatio ſine globorum efformatione, ſi nempe ſaltem terra benè admiſceatur pulueri ſalis nitri, ac tandem ipſa deſtillatio inſtituatur.*

SPIRITVS ARDENS SATVRNI.

Calx Saturni, ſiue minium, aceto deſtillato, vel eius ſaltem phlegmate perfunditur: α poſtea per diem naturalem, ſæpiùs agitando, ne in fundo vaſis concreſcat, β digeritur; menſtruum detrahitur: γ aliudq; donec omnis ſalſedo ♂ abſtrahatur; ſubſtituitur. Depletiones filtrantur, & ex duabus circiter partibus euaporantur: cryſtalli loco frigido expectantur, ſeparantur: in nouo aceto ε diſſoluuntur, filtrantur: & toties, vt ſuprà, coagulantur: donec ſufficienter ſale, aceti armoniaco, tanquam proprio fermento, imprægnentur. Tali calore balnei, per menſem, digeruntur: vt perpetuò inſtar olei in liquorem ſoluantur. Deſtillentur poſtea per retortam, in arena: ſeruatis ζ ignis

gradi-

gradibus, adhibitoque recipiente amplo: η quod nisi diligentissimè cum retorta lutetur tanta & tam suauis fragrantia, totum laboratoriũ replens, deperit; vt firmiter credere non dubitem: eam omnium vegetabilium odoratorum simul congestorum & mistorum odores longè superare. Post destillationem, omnibus frigefactis: caput θ mortuum reperies nigerrimum, nullius momẽti. E liquore egresso separabis ι oleum flauum supernatans, (quale, præparato nuper hoc Saturni spiritu, in rei huius testimoniũ asseruo) & oleum sanguinis instar rubicundum, fundum petens, Phlegmate per reiteratas destillationes, κ ab aqua ardente separato: Seruabis spiritum Saturni odoratissimum, tanquam balsamum pretiosissimũ, ad varios morbos, tàm intra, quàm extra corpus, vtiliter adhibendũ.

Cœterùm non è Saturno tantùm, arte Chymica, spiritus eiusmodi fragrans elici potest; verùm etiam ex omnibus alijs metallis, mediante aqua illa viscosa minerali, quæ solius Vulcani beneficio, absque vllius rei externæ additione, breuissimo temporis spatio educitur, & de qua Rhodianus *in tractatu trium verborum*: Mutatur iste spiritus fumosus, aquosus, & adustiuus, in nobilissimum corpus, & non fugit amplius ab igne;

sed

ſed currit, vt oleum, &c: Recipe enim omnes qualitates metalli, cui, induſtria ſagacis artificis, immiſcetur, odorem nempe, colorem, ſaporem, cum conſeruatione facultatis vegetantis: Et ſicut Rhaſes dicit: prout mutatur, mutat. Vnde apparet: quam turpiter rerum phyſicarum ignari ſint vulgares miſochymici, qui odores, ſapores, & virtutes reliquas medicas ſolis vegetabilibus vendicant, & metallica, tanquam humano corpori infructuoſa, cane peius & angue fugienda exiſtimant.

α ad eminentiam trium digitorum, ſeu ad libras iij. minij, accipe libras quatuor aceti deſtillati.

β lento calore.

γ depletur.

δ dulcis.

ε deſtillatio.

ζ excipiatur primò phlegma inſipidum: quod ſi poſt hoc ſpiritus albicantes prodire videris, &c.

η excipiantur illi.

ϑ quod ſimul atq; aeri exponitur, flamam concipit.

ι magis ad ſenſum & experientiam ita ſcribendum: ſeparabis oleum ſanguinis inſtar &c. demtis ſuperuacaneis.

κ *in phialis.*

λ *Spiritus ardens Saturni non vſquequaque tutò intra corpus ſumitur ; virilitatem enim deſtruit & emaſculat ; in febribus tamen ardentibus & malignis ; prætereaque in peſte, eius vſus ſæpiſſime profuit; nec à ſcopo aberrant, qui, bezoartici loco, in tali caſu propinant, guttulis videlicet duabus ; aut ad ſummum tribus, in aquis cordialibus.*

Spiritus ardẽs Saturni nõ adeò tutò intra corpus ſumitur.

Inter deſtillationem huius ſpiritus ſimul prodit oleum rubrum, in guttis rubris, exindeq; quod prolectum eſt ; rubeſcere videtur. Quod ſi ergò rectificatur, habebis quatuor diuerſa menſtrua : ſpiritum nimirum ardentem ; qui primò prodit; deinde oleum flauum, quod ſecundò prodit ; tertium eſt phlegma ; quartum verò eſt oleum, quod in rectificatione in vaſe manet.

Oleum Saturni.

CAPVT V.

De Aceto,

ACETVM DESTILLATVM.

ACetum ſine digeſtione, eodem modo deſtillatur, quo & vinum : niſi quòd phlegma, vt in omnibus acetoſis alijs, primò egrediatur: ſpiritus autẽ vltimò. Oleum α & ſal pari ratione, vti de vino dictũ, eliciuntur.

α *fœteus.*

Inſunt

Inſunt enim illi omnes iſtę partes, quicquid etiam Miſochymici blaterent, qui neque aceti anatomiam vnquam viderunt, neque, quod Galenus, *lib. 1. de facult. ſimpl. medic. cap. 18.* de aceto pronunciat, legerunt. Atque ego ſanè, inquit, non multum abeſt, quin illorum laudem ſentẽtiam, ad eamque promptè accedam, proque hac aſſertione & opinione pericula omnia ſubeam, ſi quam artem aut machinam inuenire queam, ſicut in lacte, contrariarum partium ſeparationis; ita hic quoque. Quibus verbis ille indicat; ſe non ſolùm in aceto diuerſas ſtatuere partes; ſed etiam, ſe hanc ſententiam confirmaturum, ſi eſſet inuenta ars ſeparandi partes aceti, vti partes lactis ſegregare poſſumus, ac caſeum à ſero & butyro diſtinguere. Iſta autem ars, Galeno incognita, eſt Chymia noſtra: cuius ſi vir ille diuinus notitiam aliquam habuiſſet: nullus dubito; quin remedia excellentiſſima inueniſſet, & vſui noſtro reliquiſſet. Quòd ſi idem etiam nunc temporis reuiuiſceret; videretque, quàm illi, qui ſe, à nomine ipſius, Galeniſtas appellitant, inuentis frugibus, veſci tamen glandibus malint: vtique hanc ingratitudinem, & turpem ignorantiam ſuorum diſcipulorum, vix probaturus eſſet.

Mirum

Mirum autem eſt: acetum deſtillatum non eſſe tam acre, atque ſimplex, & interim tamen eſſe penetrantius; crebrioresque tandem deſtillationes vires eius, non tam augere; quam retundere.

ACETVM † ALKALISATVM, ſiue radicatum.

Aceto, ad mellis liquidi conſiſtentiam ♃ deſtillato, ſuperfunditur aqua communis, vt ad palmæ altitudinem ſuperemineat: digeritur in balneo per biduum; ♃ (nec opus hic, vt filtretur, & ad tertiam partem euaporando deſtilletur: cùm ſine filtratione & euaporatione cryſtalli formentur) ponitur in locum frigidum, vt cryſtallos producat: aqua per inclinationem effunditur, aliaque, ♃ donec omnis oleaginoſitas abſceſſerit, ſuperfunditur. ♂ Tum cryſtalli (abque præcedanea noua digeſtione, filtratione, euaporatione, & cryſtallorum repetita collectione) ſæpius ſoluuntur in aqua bulliente, & coagulantur in frigido, vt omninò diaphani fiant: acetumq; quartò (nam ante quartam deſtillationem non liberatur à feccibus terreis, quæ vim ei penetrandi minuunt) deſtillatum, & ab omni phlegmate depuratum, ♃ ijs ſuperfunditur: ita vt ad vnam libram

bram cryſtallorum, addantur quatuor aceti; ex arena, per retortam, dando ſub finem ignem ſatis fortem, deſtillantur. Quo facto: ζ feces ν calcinantur: (nam abſque calcinatione, vt quidam volunt, ſal fixum poſſe elici, impoſſibile mihi videtur) fixum ſal ϑ elicitur: acetumque, ſale eſſentiali animatum, rectificatur; & dein à ſale fixo, igne ſatis forti deſtillatur, reaffundendo toties ſuper id, quod in fundo remanet: donec totum ſal per alembicum aſcenderit. Tandem acetum, hoc ſale proprio imprægnatum, per balneum bulliens, bis κ deſtillatur: (ob feces, quas deponit, & vt magis ſpirituale reddant) accipiturque acetum, ad duriſſima lapidum cryſtallorumque corpora calcinanda, validiſſimum.

† *Id eſt, cum proprio ſuo ſale coniunctum; vocatur alias acetum radicatum.*

α *quæ eſt fœcum, à deſtillationibus multis aceti, in reſiduo manentium, continens in ſe & oleum, & ſal.*

β *filtratur, & ad tertiam partem euaporando deſtillatur.*

Crebriores aceti deſtillationes vim eius retundunt.

γ *ſuper feces reliquas.*

δ *digeritur, filtratur, euaporatur, & colliguntur cryſtalli.*

ε *quod acerrimum. Nam crebriores deſtilla-*

ſtillationes aceti vim potiùs retundunt, quàm augent: itaq; ſatis eſt habere acetum fortiſſimum, quod omnibus ablatis aquoſitatibus, primò egredientibus, vltimò deſtillatur. Oportet igitur in aceti deſtillatione primas deſtillationes admodum eſſe lentas in balneo, ne, ſi fortibus vrgeatur, cum phlegmate, etiam ſpiritus aceti ſimul tranſeat; quod benè notandum.

ζ ex fecibus reſiduis.

η deleantur illa verba; feces calcinantur.

& cum phlegmate aceti, vel aqua communi.

ι quod prima hac deſtillatione ſimul cum aceto transijt.

κ ſufficit ſemel.

Sal aceti, vt & vini; duplex eſt; volatile vnum, quod & armoniacum vocant, & fixum. Volatile ſemper tranſit cum aceto, ſuper ſalem proprium deſtillato, fixum verò manet; quod vt ſimiliter cum aceto coniungatur, vtere compendio illo, quod ad ſpiritum tartari ſupra eſt oſtenſum. Sic igitur procede: ſume illum ſalem fixum; ſolue in aceto, priùs cum ſale ſuo volatili animato, quantùm poteſt; agere aliquandiu, poſtea cum terra figulina, vel bolo, impaſtæ, vt globuli fiant, qui per retortam in vas recipiens magnum, Sal aceti duplex.

igne

igne nudo, per gradus deſtillati, omnem ſalem de ſe ſpiritualiter emittunt, eundemque in acetum transferunt. Hæc igitur ſola deſtillatione efficies id, quod vel multis cohobijs præſtari nequeat. Huc pertinet etiam acetum radicatum; Huſcro quondam terebinthinatum dictum; à Crollio verò, in Baſil. Chymici pag. 167. deſcriptum, cuius apparatum, caſtigatum tamen, hic annectere licet, qui talis; Recipe, exempli gratia, lib. 2. vel 3. vel 4. terebinthinæ, affunde vltimæ medietatis aceti deſtillati, id eſt, ſpiritus aceti, libras duas, & deſtilla, ſecundum artem, in arena; primò lento igne, donec acetum cum ſpiritu terebinthinæ egreſſum ſit, poſtea auge ignem, & exibit oleum flauum, & aqua rubicunda acerrima; quando oleum rubrum vult ſtillare; ceſſandum eſt à labore. Separa poſtea ſpiritum terebinthinæ, & oleum ab aceto, per tritorium, & ſolum acetum per ſe rectifica, bis vel ter, donec nullas feces poſt deſtillationem relinquat; ſed omninò puriſſimum euadat. Rectificatio autem debet fieri per ſe, vt diximus; non ſupra zingiber, ea ratione; quia zingiber ſuam aciditatem non deponit in acetum, vt apparet zingiber in cibis: quia illa aciditas eſt à ſale volatili, atque ita ſenſibilis minimè redditur. Poteſt etiam phlegma ipſius terebinthinæ, per ſe in ſpiritum deſtilla-

Acetum terebinthinatũ.

ſtillatæ, aſſeruari, aliquoties rectificari, & tandem cum aceto forti deſtillato coniungi, ad ſimiles operationes ſolutione perficiendas; ſed prior modus potior eſt & melior.

ALIVD.

Deſtilla bonam quantitatem aceti vini, ſeparatoq́; phlegmate, effunde ſpiritum, qui vltimò egreſſus eſt, ſuper feces, in retortam, & deſtilla, reuerberio clauſo, dando ignem fortem, per horam vnam, & tantùm circa finem, vt retorta candeſcat. Separato dein oleo: cohoba trinis vicibus, dando ſemper ignem magnum, circa finem, vt priùs. Tandem rectifica, per balneum bulliens, & habebis acetum vini bene alkaliſatum.

ALIVD.

Recip. mellis libr. vnam, ſalis communis lib. ſemis. Miſce: & coque in olla ferrea, vſque ad conſiſtentiam nigram & ſpiſſam, eamq́ue ſæpiùs moue. Deinde effunde ſuper tabulam madefactam: &, cum refrixerint, pulueriſata pone in retortam, affuſis duabus libris boni aceti vini deſtillati, abſque phlegmate: dein deſtilla reuerberio clauſo: bis cohoba: & tandem deſtilla, in balneo bulliente, ſicut ſupra. Sic habebis acetum vini radicatum, ad eliciendas metallorum & mineralium tincturas.

CAPVT VI.

De Oleis,

OLeum proprijſſimè dicitur de oleo ex oliuis expreſſo, omnis excedentis qualitatis experte: de reliquis vero, non niſi per ſimilitudinem. *a* Omnia autem olea inter aeris & ignis naturã ambigunt: & quò acriora ſunt, eò magis ignea; quo minus acria, eò magis ætherea & aerea cenſentur.

a ſcilicet ob viſcoſitatem.

Olea in ſua eſſentia puriſſima cõſiderata minimè ſunt cõbuſtilia.

Quæſtio eſt nobiliſſima, num olea in ſua natura, ſeu eſſentia puriſſima ſint combuſtilia? id quod negamus, ex fundamento anatomiæ vitalis, in qua elicitur eſſentia ita ſpirituoſa, omnique ſua heterogeneitate liberata, vt nullam imprimat inflammationem; quin potiùs eandem ſua facultate tincturali extinguat. Hoc apparet abundè in affectibus inflammatis, vbi, maxima cum vtilitate, oleoſa eiuſmodi ſpirituoſa adhibentur. Sic oleaginoſa perlarum ſubſtantia eſt confortatiuum, in cordis & reliquarum partium affectibus præſtantiſſimum. Quapropter concludendum, ſerioque ſtatuendum, cùm inflammationem anatomia effata ignoret, tam craſſo cuidam, atque narcotico, fœtidoque

ſulphuri

ſulphuri adſcribendum. Sic empyreumata oleis imprimuntur, non ſpirituoſis & puris; ſed craſſis, fœculentis, atque multum virtutis narçoticæ poſſidentibus, quibus ſi exuta ſunt, nullum ſanè empyreuma recipiunt. Simile exemplum eſt in anatomia ſalis; quæ nullam proprietatem ſitim inducendi agnoſcit; ſic & in alijs quàm plurimis.

OLEVM EX VITELLIS OVORVM.

Vitellos ouorum coctos ad duritiem, & α comminutos, in ſartagine frige, igne temperato; donec rubeſcant & oleum remittant, continuè ſpatula lignea vel ferrea mouendo; ne adurantur. Oleum poſtea calide exprime; & cum magna aquæ β ſtillatitiæ quantitate; per menſem, in B.M. digere. Aliqui frixos ſic vitellos, in linteo, oleo amygdalorum dulci madefacto, includunt, & ſub prælo γ exprimunt.

Vſus. Matthiolus, in Dioſcoridem ſcribens, hoc oleum commendat ad aſperitatem cutis, impetigines, fiſſuras labiorum, manuum, pedum, dolores vlcerum, articulorum δ & omnium locorum neruoſorum. Preterea vtile eſt locis igne ambuſtis, & in membranis cerebri vulneratis. Vlcera maligna cicatriſat ε & pilos generat. ζ

α coctos.

β rosarum, aut alterius: additur autem, vt oleum corrigatur, nec facilè rancidum fiat.

γ Hoc modo oleum ex ouis anatum expressum, & postea illitum, & cum particulis laterum, per retortam, ex arena actum, ad herniam intestinalem penitùs sanandam mirè commendatur. Sic oleum vitellorum anseris ad dolores luis Venereæ inueteratos in articulis valde proficuum censetur.

δ Valet etiam egregiè ad artuum dolores oleum lumbricorum, in hunc paratum modum. Recipe butyri, & lumbricorum, ana lib. j. Commisceto, & ponito in olla vitreata, cuius fundus aliquot foraminibus pateat, impositio operculo, &, suppositia alia olla, collocato in furno pistorio cum pane: destillabit oleum in ollam inferiorem; id eximito, & in eo decoquito, flor. verbasci, chamæmeli, cheyri, hyperici, herb. melissæ perfoliatæ, betonicæ, baccar. & fol. paridis, ana Mi. Vna & altera ebullitione facta, monicè exprimitur oleum, & reseruatur. Aqua verò ouorum sic fit: Recipe album; ouorum coctorum q. v. adde puluerem putaminum ouorum, & destilla ex alembico; per retortam; igne ad extremum vehementiore, prodit cum oleo fœtido etiam aqua, quam se-

Olei lũbricorũ præparatio.

Aquæ ouorũ destillatio.

para-

paratam aliquoties, nimirum ſexies vel ſepties, deſtilla per ſe, donec clara, & à ſenſibili fœtore libera, futura ſit.

ε cum pauxillo ſalis Saturni.

ζ ſi cum muſcis iunctum fuerit.

OLEVM SALVIÆ.

Recipe magnam ſaluiæ α quantitatem, eamque per duas aut tres ſeptimanas in vmbra relinque, & cum ſ. q. aquæ communis macera: poſtea per refrigerium deſtilla: & accipies aquam, quæ rectificari poterit; & oleum flauum. β

Vſus. Prodeſt γ in omnibus cerebri neruorumq; morbis; paralyſi, apoplexia, conuulſionibus & ſimilibus; ventriculum etiam calefacit, & corroborat, menſesq; ducit.

α efflorescentis.

β Hic communis eſt modus omnium vegetabilium olea eliciendi.

γ Olea herbarum adeò proſunt, atque ipſæ plantæ.

OLEVM CERÆ.

Liquefac cerã, igne moderato: & ſine ſtare tamdiu in fuſione: donec bullas vlteriùs non producat. Tùm amotæ ab igne commiſcè duplum ſui ponderis ſalis decrepitati, & deſtilla per retortã, α igne moderato. Ex libra vna cerę extrahesuncias duodecim olei. β

Vſus. γ Reſoluit: attenuat, penetrat; ẽmollit; diſcutit: ac propterea vtile eſt apoſtematibus duris,& tumoribus frigidis. Sanat fiſſuras papillarum in mammis mulierum, & dolores earum mitigat. Vulnera etiam recentia conſolidat: ſi ea bis de die mungas. Confert & in ambuſtis,commiſtum cum oleo ouorum.

α *Rectificetur bis vel ter, ſi præſertim, quod plerumq; fit, craſſiuſculè tranſierit.*

β *circiter duodecim olei.*

γ *Intus ſumptum, à tribus guttis ad ſex, in aq. petroſel. aut vino maluatico. Exteriùs præterea, vbi dolores vehementiùs vrgent, loco dolorifico, cum oleo ſcorpionum & de lateribus, ana miſtum,& inunctum, calculum & vrinam feliciter mouet ſuppreſſam. De vſu & efficacia huius olei plura qui deſiderat, conſulat* tractat. 7.met.deſtill.part.1.*Conradi Khunraths.*

Eleganter modus olei ceræ conficiendi eſt hic. Recipe ceræ elegantis libram j. oſſium calcinatorũ quorumcunq; libras duas;miſce & deſtilla per retortam, vel curcurbitam non nimis altam; prodit oleum & aqua, quò tardior deſtillatio, eò melius fit oleum. Ex lib. j. vnciæ ſex vel ſeptem olei prodeunt, quod fœtet quidem; ſed ita corrigitur: Recipe ceræ nouæ duas partes, olei ceræ iam deſtillati vnam partem;

ceram

ceram finde in particulas paruas, & miſce cum oleo; deſtilla per retortam, igne cinerum lento; & oleum prouenit, calorem & odorem ceræ repræſentans. Phlegma verò ex hoc oleo per ſe nil facit, vt & in reliquis; aſt ſi huic oleo acetum addatur, poſtea valet hoc acetum terebinthinatum egregiè ad corallia diſſoluenda.

OLEVM TEREBINTHINÆ.

Recipe medullam, ex deſtillatione ſpiritus terebinthinæ reſiduam; eamq; per ſe, ex cineribus, in retorta, deſtilla. Sic vbi oleum extractum fuerit, reſtabit in fundo retortæ colophonia. Si digeras poſtea in balneo: vt de oleo vitellorum ouorum dictum eſt: omni empyreumate ſpoliabitur.

Vſus. Calefacit, emollit, diſcutit, aperit, purgat, atque exteriùs, loco veri balſami, α vſurpari poteſt in omnibus vulneribus, vlceribus cacoetheis, inſanabilibus, fœtidis, vti fiſtulis, lupo, & ſimilibus phagedænicis, parotidibus, fracturis, contracturis, &c. β Præſtat autem hæc non ſemper, per ſe, & ſolùm vſurpatum; ſed requiritur inſuper, vt cum alijs, affectui curando idoneis, conuenienter miſceatur.

Balſam⁹ ex ol. terebinthinæ confectus.

α *Si hoc oleum leniter in ſcutella aperta euaporauerit, reducitur in colophoniam, inſtar rubini tranſlucentis, quæ pulueriſata, & cum ſpiritu vini extracta, remoto poſtea per deſtillationem ſpiritu, relinquit balſamum admodùm vtilem in doloribus nephriticis, regione renum tantùm cum pluma aliquoties inuncta.*

β *Terebinthina etiam aluum per ſe feliciter mouet, præſertim verò, vbi impuritates renum ſimul ſunt exterminandæ. Exhibitio eius eſt talis. Recipe terebinthinæ vnciam ſemis, diſſolue cum oleo tartariſato, id eſt, cum eo ſpiritu, qui ex tartaro calcinato, vel ſale tartari, rubedinem extraxit; adde aquam communem deſtillatam: & albeſcit inſtar lactis, quam ſolutionem hauriendam exhibe; vel recipe terebinthinæ vnciam ſemis, diſſolue cum vitello ouì crudo, benè inuicem commiſcendo, adde ſacchari albiſſimi vnciam j. Hoc totum compoſitum diſſolue in hauſtulo vini, & ieiuno ſtomacho propina bibendum. Sic D. Schroderus*, in Conſil. Vvittichij, conſ. 30. *pilulas de terebinthina format, cum in modum: Rec. Terebinth. Cypriæ lotæ diligenter in acq. hyſſopi, drac. iiij. poſtea addatur aquæ hyſſopi libra vna, & in vaſe vitreo mundo ad conſumptionẽ aquæ ebulliat: poſtea inijciatur in vas frigidum, &*

Pilulæ de terebinthina.

aquam

aquam hyſſopi frigidam terebinthina hæc, & cum incipiat frigefieri, manibus malaxetur, & addatur pulueris ireos drachma vna. Et ita ſemper, ſubinde manus immittendo in aquam, pilulæ formentur, forma cicerum rubeorum, & exhibeantur pro doſi drachmæ duæ. In Orthopnœa valdè proficuæ; nam aluum ita non mouent, vt vires proſternant, dilatant pectus & abſtergunt, & per vrinam (quod maximè in hoc caſu competit) promouent. Hactenus D. Schroterus dicto loco. Apparatus autem varios huius olei, quod Paracelſus Germaniæ balſamum appellare non dubitauit, vt & eiuſdem vires præſtantiſſimas, vide apud Conrad. Khunradt, in Medull. deſtillat. tom. 1. tract. 22. p. 583. *& ſeq. alijs multis.*

OLEVM CARYOPHYLLORVM.

Recipe caryophyllorũ groſsè tuſorum α libras quatuor, aquæ fontanæ libras quadraginta. Miſce, & macera in loco calido, atque adde tartari β vncias duas; deſtilla poſtea per veſicam æneam, cum refrigeratorio: & habebis olei vncias octo. Eodem modo deſtillantur macis, piper, ſemina aniſi, coriandri, &c.

α *aromata deſtillanda in pulueremminimè ſunt redigenda, quia oleum aromatum in forma*

ma pulueris quaſi figitur, & in feces abit, atq; illis ſe inſinuat.

β crudi.

Vſus. Quanti oleum hoc Theophraſtus fecerit, Chirurgia ipſius ſatis oſtendit. Confortat cerebrum, & cor, ac omnes ſpiritus: melancholicos diſſipat, & craſſos clarificat. *α* Intemperiei ventriculi frigidæ alterandæ, ex voto ſuccurrit: concoctionem promouet, & lentos viſcidosq; humores conſumit. Confert etiam diarrhęæ à cauſa frigida: vt & hepati frigido. Extrinſecus vulnera *β* recentia ſanat, & vices veri balſami obit.

α memoriam acuit, lypothymias ſoluit, inprimis verò apoplexiæ medetur. Doſis à guttis duabus ad ℥ I, in aquis conuenientibus.

β præſertim capitalia.

Olei cinamomi deſcriptio genuina.

Crollius aliter oleum elicit caryophyllorum, pag. 169. *ſicut oleum cinamomi. Quoniam autem hoc oleum cinamomi inter efficaciſſima confortantia ſpagyrica refertur, eius deſcriptionem genuinam hic docebimus: Primò Cinamomum in fruſta confringatur, modicumq; contudantur, contuſum ita craſſo modo ſelectiſſimum cinamomum in retortam vitream immittas, & in balneo ſicco, lento calore, deſtilles: tunc exit aqua, quod ſi in fine fortiùs vrſeris, oleum fœtidum prodibit, quod ab empyreuma-*

te,

te, *in modum olei tartari à Crollio factum* fol. 158. *liberandum. Illam aquam recenti ligno vel cortici affunde, & perge in deſtillatione; quam ſi continuaueris aliquoties dicto modo, habebis magnam copiam aquæ & olei, fæces in fundo omninò aridas, ſubnigras & inſipidas, ſali tamen inde conficiendo perquam vtiles. Præſtantius eſt oleum ex Caſſia lignea, malè à quibuſdam inter canellam & cinamomū relata: Habet enim in ſe lentorem quendam & mucilaginem, ipſa maſticatione deprehenſibilem; quæ in cinamomo non deprehenditur; prætera ſapor eius cum acumine fortiori, & magis oleaginoſo; quamobrem oleum quoque, ex ea deſtillatum, fortius, maioriſq; virtutis eſſe, maximè conſentaneum eſt. Hic notandus quoq; venit balſamus vulnerarius hunc in modum confectus; Recipe caryophyllorum, traſſiuſculè tritorum ac contuſorum, q.p. ex retorta per arenam, igne primò leni, poſtea forti, deſtilla; & prodibit oleum craſſum ac fœtidum; relinque aliquandiu in aere aperto, loco frigido & humido; donec euaporet empyreuma. Huius craſſi balſami gutt. 10. immiſce ſacchari Saturni grano quatuor, ac vtere ad vulnera; tùm recentia, tùm antiqua: mirabiliter conſolidat. Idem, & quidem præſtantiùs, intra 36. ad ſummum horas præſtat balſamum ex oleo nucum, præſertim cum mumia commiſtum.*

Caſſia lignea malè à quibusdam inter canellam vel cinamomum relata.

Balſamus vulnerarius egregius.

OLEVM

OLEVM SACCHARI SIMPLEX.

Recipe ſaccari albi groſsè tuſi vncias quatuor: aquæ vitæ vncias octo. Aquam vitæ ſuccende in ſcutella argentea vel figulina vitrea: in quam ſaccharum inijce, continuè ſpatula agitando, donec flamma ceſset. Tum adde aquæ roſaceæ vncias duas Miſce. *α*.

Vſus. Eſt ſuauiſſimi ſaporis: corroborat: & tuſſi, à materia lenta & craſsa, laborantibus certò experimento opitulatur. *ß* Incidit enim iſtam materiam, abſumit eam, lenit pectus; catharros nonnihil ſiſtit; & ventriculi concoctionem promouet.

α dosis cochleare ſemis.

ß aſthmati, raucedini & pectoris affectibus medetur.

OLEVM SACCHARI COMPOSITVM.

Recip. ſacchari albiſſimi lib. vnam: Pulueriſa bene, irroraque aceto ſquillitico, & rurſum exſicca igne lento, idque tertiò repete: Dein recipe Iridis Florent. pulueris, enulæ campanæ, ana vnc. vnam: pulpæ dactylorum, paſſularum purgati ana drachmas tres: cortic. Aurantior. ſiccat. Benzoin i, ana drachmas duas; croci Orientalis drachmam vnam.

main. Infundantur ſpatio bidui, in ſpiritus vini, ſæpiùs rectificati, libris duabus. Hinc fiat ſeparatio per inclinationem. Separato liquori adijce ſaccharum, vt ſuprà, præparatum. Incendatur ſpiritus vini, tamdiu agitando, donec, ſponte exſtincta, flamma, omnia in oleum craſsum & ſpiſsum, inſtar ſyrupi, abierint: cui admiſce olei ſulphuris q. ſ. ad pauxillum aciditatis introducendum.

Vſus. Prodeſt egregiè in tuſſi eliminanda, modo febris abſit. Expectorationem enim ſtrenuè promouet, & aſthmaticos imprimis iuuat, eclegmatis inſtar aſſumtum: prout de ſuis etiam oleis ſaccharaceis celeberrimus Medicus, Theodorus Maiernius Turquetus, olim Chriſtianiſsimi Galliarum Regis: nunc verò ſereniſsimi magnæ Britanniæ Regis Conſiliarius, in ſua apologia, ad cuiuſdam anonymi calumnias, hiſtoria prima, teſtatur.

OLEVM HERACLINVM.

Paratur hoc ex Corylo; dum floret, non aliter ac oleum ex ligno Guaiaco, & vtiliſsimum eſse creditur ad epilepſiam percurandam, dentium dolores ſopiendos, & vermes è corporibus profligandos.

OLEVM

OLEVM TARTARI.

Oleum hoc, præter modum ſuperiùs, in ſpiritu eius, traditum, fit etiam per deliquium, α ponendo tartarum ad albedinem calcinatum, β in cellam vinariam, vel alium locum humidum; donec reſoluatur in oleũ; quod poſtea filtrandum. Parari etiam poteſt: ſi tartarum, poſt calcinationem, in aqua communi diſſoluatur; filtretur, coaguletur; & in locum humidum, donec reſoluatur, collocetur.

Vſus. Optimum eſt remedium in omnibus ſerpiginibus, vlceribus, præſertim autem venereis, tinea, ſcabie, verrucis. Faciem erugat & cutem reddit teneram. γ

Qui verò id exhiberi voluerit intra corpus, neceſſe habet; vt ſaltem diſſoluat, in conuenienti aliqua aqua deſtillata, quæ magis proderit, quàm humiditas loci alicuius ſubterranei, qua ille ſal aliàs in liquorem ſolui conſueuit.

α id eſt, per reſolutionem ab aere humido frigido.

β vel ſaltem eius, qui docetur infrà c.16.

γ Eſt porrò huius olei tartari elegans vſus in extractis vegetabilium purgantium conficiendis: eius enim guttæ 4.5.6. cum menſtruis miſtæ, ilicò tincturas vegetabilium extrahunt.

De

De hoc oleo tartari per deliquium obiter & incidenter docet Crollius, in ſua Baſilica, ſub tartaro vitriolato, pag. 116.

OLEVM SVCCINI.†

Digere libram vnam ſuccini triti, in vini albi α libra vna. Tum adde manipulum ſalis præparati; & deſtilla per retortam: β ſeruatis ignis gradibus Rectificatur, γ bis deſtillando, cum ſale tantum.

Vſus. Sacrum hoc oleum olim appellatum fuit; ob vires eius eximias, quas cum per ſe; tùm cum alijs mixtum, præſtat: in epilepſia, apoplexia, melancholia, ſpaſmo, vertigine; peſte, calculo, frigidis capitis defluxionibus, cordis palpitationibus, animi deliquijs, ictero, difficultate reſpirandi, dyſuria, partu δ difficili, vteri ſtrangulationibus, mẽſium retentionibus, fluore matricis albo, vermibus. ε

† *præſertim alibi.*

α *Crollius, pag. 190. addit aquam roſarum & betonicæ,*

β *in arena vel calce mortua. Hoc eſt, addantur priùs fragmentis ſuccini arena alba pura, aut oſſa combuſta; vel etiam ſilices calcinati. Hæc enim omnia ea poteſtate pollent, vt ſuccinum ebulliens quaſi ſupprimant, nec idem permittant, niſi per retortam in recipiens dila-*

dilabatur vel fluat; quæ ſanè ratio eſt accommodatior, & ad deſtillandum oleum ſuccini ſecurior.

γ Antequam oleum ſuccini rectificetur, benè abluatur priùs in aqua communi, voluendo ſæpiùs, poſtea rectificetur lentè in B. M. per aquam roſarum, vel maioranæ.

Nonnulli tantùm per retortam diſtillant, ſine vlla additione; ſaltem obſeruantes olea diuerſa prodeuntia; qua ſigillatim colligunt. Primùm prodit album, quod optimum eſt; hinc flauam; deindè rubrum. Cæterùm inter deſtil-
Sal ſuccini. *landum, in collo retortæ & receptaculi, eleuatur ſal volatile ſuccini album, quod colligendum eſt, & iuxta mentem Crollij, pag. 191. purificandum, eſtque diureticon præſtans, docente eodem pag. 149. Doſis à gr. iiij. ad ℈ I. Quod ſi ex capite mortuo ſuccini, in reuerberio in cinerem reuerberato, per aquam communem ſalem elicueris, & huic ſali volatili miſcueris, ciuſq; compoſiti ſcrup. j cum ſcrup. ij. viſci querni pulueris in aq. pæoniæ bis vel ter in morbo adſcendente exhibueris, id quemlibet caducum morbum tollere creditur.*

♃ Si ſcil: olei ſuccini gutt. ℈ III. vel IX. imponantur in vmbilicum & guttæ 5. vel 6. cum pauxillo vini bis intra horam bibantur, ſiue mortuum ſiue viuum educet ſtatim.

Vſus elegantes plures vide apud Crollium, pag. 191. & ſeqq. *(exinde enim autor hos deſumſit) vt & apud Anshel. Boet. Boodt*, de gemm. & lapid. lib. 2. cap. 16.

Externus eius vſus poteſt eſſe talis: Recipe olei ſuccini drac. j. mellis lib. ſalis communis drach. ij. Miſceantur, & emplaſtri loco ſuper vlcera ardentia ponantur; ardorem extrahit, dolorem ſedat & ſanat. Huius olei drach. j. cum opodeldch. lib. j. diligenter miſta, adeò illud confortat, vt vlcera ab omnibus accidentibus, præſeruet & defendat: extrahit etiam ex vulneribus oſſicula, feſtucas, turundarumque particulas, per imprudentiam Chirurgi profundiùs illapſas. *Externus olei ſuccini vſus.*

Quod ſi album ſuccinum haberi nequit: (eſt enim rarius & pretioſius flauo;) hoc æquè præſtat; niſi quòd priùs artificio quodam ad albedinem reducendum ſit. Id præſtabis hoc modo: Recipe ſuccini flaui e.g. lib. j. pone in cucurbitam terream validam; ſuperadde ſalis marini, vel, ſi eo cares, ſalis gemmæ, aut ſalis communis optimi, libras duas; ſuperfunde aquæ fluuiatilis tantum, quantum ſatis eſt ad ſoluendum ſalem: quo ſoluto, inſuper affunde recentem aquam fluuialem, ebulliant poſtea ſuperimpoſito alembico cæco, ad dies 14. integros, continuo igne, & tandem ſuccini particulam exemtam *Succini albi præparatio artificialis.*

fractamque examina. Quod si satis alba sit, desistendum est ab opere coctionis; sin minùs, diutiùs insistendum, donec nempe albedinem sufficientem ostenderit. Inter bulliendum prouidendum fuerit, ne aqua deficiat; itaque identidem alia feruens aqua superadijcienda.

OLEVM AD HEMICRANIAM COMPOSITVM.

Recipe Rutæ manipulum vnum. Bulliat in libra vna olei α oliuarum, in olla noua, per horam dimidiam. Deinde funde illud in retorta, eique adde terebinthinæ β Venetæ vncias duodecim: Colophoniæ vncias quatuor. Destilla in arena. Aqua clara, quæ primùm exit, & nullius momenti est, separetur: postea, igne per gradus aucto, oleum destillatione prolectetur, seorsim asseruandum.

Vsus. Præsente paroxysmo, parùm de eo ad ignem calefiat: & gossypio in eo humectato, frons & tempora, vt & ipsa pars dolens, cum cubitum eundum est, inungatur.

α *recentis.*

β *claræ scil: Additur autem propter penetrationem.*

OLEVM

OLEVM AD VTERI SVFFOcationem Compoſitum.

Recipe pulueris rutæ parum ſiccatæ libram vnam: caſtorei vncias duas: olibani, myrrhæ, ana vncias quatuor: olei lini libram vnam ſemis. Digerantur quatuor diebus, in ventre equino vel eius vicario: poſtea per retortam, in reuerberio clauſo, deſtillentur.

Vſus huius liquoris eſt, vt eo vmbilicus inungatur manè & veſperi.

OLEVM LATERINVM. †

Candefac particulas laterum, vel ſilicum, inſtar fabarum, in crucibulo: quas ita ignitas proijce in vetus oleum oliuarum: cooperi; α & relinque per noctem: poſtea lapillos cum oleo per retortam β deſtilla: ſecundò & tertiò rectifica oleum, deſtillando id cum ſale præparato. γ

† *aliàs Philoſophorum dictum.*

α *ne accendatur in catino.*

β *igne nudo.*

γ *Vſus olei laterini eſt in externis, præcipuè in gangræna, lupo, phægedænicis &c. In internis poſſunt de eo ſumi guttæ duæ vel tres, in liquoribus deſtillatis, vel decoctis conuenientibus. Oleum hoc ob præſtantiam dicitur etiam oleum ſapientiæ; & benedictum, & ſanctum,*

& diuinum à veteribus eſt nominatum, cuius virtutes à Diodoro Euchyont. lib. 2. de polychym. cap. 9. 44. *numero, & poſtea à Conrado Khunrath,* medull. deſtil. tom. 1. tract. 11. *recenſentur. Alij hoc oleum reddunt melius hoc modo: Recipe ſtoracis calamithæ partes tres, olei terebinthinæ partes duas, olei Philoſophorum partem vnam; digere aliquandiu; poſtea deſtilla per retortam, & ſerua.*

OLEVM SVLPHVRIS.

Recipe ſulphuris triti libram vnam, calcis viuæ libram ſemis; ſalis Mercurialis ſiue Armoniaci α vncias quatuor. Miſce, & per retortam oleum deſtilla: quod ad vulnera β & vlcera γ vtiliſſimum.

α *qui ſublimatur inſtar mercurij.*

β *ſcilicet antiqua.*

γ *maligna.*

Nota. Si per ſalem petræ vis deſtillare, ne propè admoueas igni, ſed altè in cineribus loces, donec diſcat ignem pati.

Olei ſulphuris præparatio ſecundum Penotum.

Penotus in hunc modum feliciſſimè elicit: Sulphur ter ſublimatum in vitreo perfunditur ſpiritu terebinthinæ, quantum ſatis ad ſoluendum. Stent in calore leni, quouſque colorentur vt ſanguis. Affunde optimum vini ſpiritum, ad tres digitos. Relinque, donec ſpiritus vini tingatur. Effunde reaffuſo alio, & extrahe

tinctu-

tincturam totam. Spiritum deſtilla in Balneo: quo extracto, muta receptaculum, & igni intenſiore exibit oleum ſulphuris rubicundum, non fœtens. Hinc nec Fincelij apparatus contemnendus, qui ſic operatur: Sulphuris libra infunditur ter aceto. Siccatum pulueratur. Puluis circulatur cum vini ſpiritu. Deſtillatur igne balnei, idque ter repetitur. Loco vini ſpiritus aquam roris ſumere potes. Pulueris tandem libra miſce ſpiritus, terebinthinæ q. ſ. & loco macerationis, quam autor vult, coque in vaſe clauſo; ita enim feliciter opus procedet. Affunde poſtea vini ſpiritum, & extrahe tincturam. Quam tandem deſtilla, & ſpiritus exibit prior. Auctiore igni excipies oleum rubeum; mutato receptaculo.

Fincelij apparatus.

PRIMVM ENS SVLPHVRIS.

Recipe ſpiritus vini optimi libras quatuor: in quo ſalis fuſi, quantum imbibere poteſt, diſſolue. Hunc ſpiritum vini florum ſulphuris, communiter paratorum, vncijs duodecim ſuperaffunde, atque in B. M. per octiduum digere, ita vt cucurbitam, alembico, cœco plano, non roſtrato aut curuato, munias: exinde demto priore alembico, & roſtrato impoſito, deſtillare incipias; dimidia autem parte detracta, eam reaffun-

das, atque quater idem repetas, totum ſpiritum vini abſtrahendo. Quod in fundo remanſit, indas vitreæ retortæ, atque ex arena propellas. Sic exibit liquor niueus, inſtar lactis: quem liquorem, ſi ſapor non eſt gratus, ſpiritu vini recenti edulcorare potes.

Vſus eius eſt in morbis pectoralibus & phthiſi: eſtque eo nihil præſtantius.

OLEVM SALIS COMMVNIS.

Funde ſal commune: & cum refrixerit, pone in locum humidum, vt per ſe diſſoluatur. Hinc toties filtra; donec nullas relinquat feces: & pone in ventrem equinum menſes duos. Poſtea fortiſſimo igne deſtilla; & phlegma; per B, à liquore vnctuoſo ſepara.

Quicquid corruptioni obnoxium, hoc liquore ſi imbuatur, multa ſecula incorruptum manet. Creditur illud formoſiſſimæ fœminæ cadauer hoc liquore fuiſſe conditum, quod referente Raphaele Volaterano, tempore Papæ Alexandri VI. in antiquo ſepulcro, prope Albanum adeò integrum, nullaque adeò corruptione contaminatum, repertum fuit, ac ſi eadem hora expiraſſet: cùm tamen ex ſcriptura marmori inſculpta,

l. 6. Geographi.

id

id vltra mille trecentos annos iacuisse ibi defossum constaret.

OLEVM VITRIOLI.

Dissolue vitriolum optimum in aqua communi: dissolutionem in leni balnei calore digere: postea filtra: & vapore balnei, in vase vitreo, aquam abstrahe, donec cuticulam contrahat. Tunc vase in locum frigidum posito, crystallos diaphanos producet: quibus separatis reliquam aquam euaporabis, donec nouam contrahat cuticulam, & nouos in frigido produxerit crystallos: quos omnes separatos dissolues: digeres: filtrabis: rursus in frigido crystallisabis: &, vt suprà, separabis, eundem laborem tertiò repetendo: donec vitriolum ab omni terreistreitate heterogenea sit liberum. Hoc vitriolum cucurbitæ altæ impone, & phlegma per balneum ad siccitatem abstrahe: reddendo toties proprię terræ α donec siccũ ebiberit totum humidum. Massam exime, & in puluerem subtilem tere: eumq; in retortam firmam immitte, cum octaua parte sui ponderis spiritus vini summè deputari: &, seruatis igni gradibus, per triduum omnes spiritus euoca. Vase refrigerato: quod in recipiente fuerit, redde alijs duabus libris colcotharis, vt suprà, præparati: & iterum per

triduum deſtilla. Tunc vini ſpirituſ, per balneum, in cucurbita alta ſepara: & ſpiritum vitrioli ex cineribus deſtilla, (in quo ſi corallia vel perlas diſſolueris: verùm antepilepticum ℘ habebis.) oleum inſtar ſanguinis rubrum, quod in fundo hærebit, rectificare poteris, deſtillando id per retortam, in arena, vel ſolum ☿ digerendo; fecesque terreas, quæ fundum petent, ab eodem oleo ſeparare.

Eius vſus eſt in metallicis potiùs, quàm medicina.

V E L.

Diſſolue Vitriolum electum, in aqua pluuiali deſtillata: diſſolutionem filtra, per linteum: & pone in locum calidum, vt parum euaporet, & cuticulam quaſi contrahat. Hinc, in vaſe mundo, colloca in locum ſubterraneum: vt cryſtalli generentur. Quod nondum in cryſtallos abijt, decanta: & fac rurſus, vt ebulliat parum, & pòſt in frigido cryſtallos producat, vti priùs: hocq; toties repete: donec omnia cryſtalliſentur. Hic calcina vitriolum, igne forti, ad rubedinem, aliquamq; duritiem: & pone in retortam: ignem per gradus gubernando: donec omnes ſpiritus proliciantur: quod intra tres dies & noctes perficitur. Pòſt ſpiritum

ab-

abſtractum reaffunde fecibus, & rurſus deſtilla, per retortam. Sic oleum flauum prodibit. Hoc rurſus imbibe feces: & adde ſpiritum vini, egregiè rectificatum: ac pelle per retortam. Sic oleum vitrioli habebis rubicundiſſimum & valde pingue.

α *quod ferè prima operatione continget.*

β *Fit hoc oleum antepilepticum præſtantius hoc modo: Recipe hunc ſpiritum vitrioli, funde ſuper corallia pulueriſata, & radicem pęoniæ quantum ſatis; calcinantur corallia & exalbeſcunt: relinque aliquamdiu, & corallia petunt fundum: aquam ſupernatantem decanta, quæ parùm aceſcit: cuius recipe cochleare vnum, & tantundem aquæ radicis pœoniæ, ac in eo ſolue ſalis verbenæ drachmam vnam. Da epileptico poſt paroxyſmum, ac repete per triduum vel quatriduum, manè ieiuno ſtomacho, abſtinendo ab omni potu, poſt ſumtum hoc, per 4. horas. Eo pertinaciſſimæ etiam epilepſiæ ſolui creduntur.* *Oleum antepilepticū ex vitriolo.*

γ *quod melius eſt.*

Operoſiorem autoris præparationem, quæ ſuo loco quidem haud inutilis fuerit, ſubleuat vitrioli, ſaltem ad flauedinem vſque, calcinatio: cui ſi miſceueris particularum ſilicis partes duas, & cum ſpiritu vino imbiberis, vt

fiat

fiat instar pultis, per retortam tandem destillatum rubicundum oleum prodit: a quo si auferatur per balneum phlegma; idem est, cum eo, quod autor hic proponit. Fit & oleum rubicundum vitrioli hoc modo: Recipe colcothar rubeum q. v. fac istud ebullire in vino albo generoso, ad colcothar duplo, vsq; ad siccitatem; postea tere, & ex retorta, igne aperto, destilla primò phlegma: postea applica receptaculum capacissimum, ac iuncturis benè munitis destilla more consueto oleum, instar sanguinis rubicundissimum. Potest etiam hoc oleum vitrioli fieri dulce (quod Crollio apud neminem adhuc videre licuit, vt de seipso testatur, in f. Basil. Chymica pag. 223.) *hunc in modum: Oleum hoc in sartagine ferrea noua cum aqua communi tàm diu coquatur, donec sal corrosiuum ad fundum sartaginis collectum fuerit, & tunc reliquum oleum dulcescit. Idem facit ferrum candens, in oleo vitrioli aliquoties extinctum. Sed ab hisce ἐφημεραι virtutes ipsius olei valdè imminuuntur, nec effectus medici inde sperantur. Videatur de oleo vitrioli dulci Triumph. Antimonij Basil. Valentini Monachi.*

Alia olei vitrioli praparatio cõpendiosior.

Oleum vitrioli dulce.

OLEVM ANTIMONII.

Recipe antimonij crudi, sacchari candi, ana vncias 4. aluminis calcinati, vnciam vnam. Simul tere & misce; destillaque

per

per retortam ; α igne valdè moderato. Sic accipies oleum rubicundum ; β ad vlcerum curationem aptiſſimum.

α ſatis capacem.

β prodit potius gummi nigrum ſeu ſpiſſum, loco olei.

γ Ex oleo illo antimonij cum aceto ad ſupereminentiam trium aut quatuor digitorum affuſo in digeſtione extrahitur tinctura ; quæ ſola manet poſt euocatum ſpiritum vini in B, rubicundiſſima & dulcis. Eius compoſitio ſequens laudatur ad Quartanam : Recipe iſtius olei vnicam ſemis : aloes ſuccocitrinæ drachmas duas ; ambræ gryſeæ drachmam vnam ; eſſentiæ croci drachmam ſemis : cum portione aliqua conſeruæ boraginis fiat maſſa Doſis ſcrupulus ſemis in principio paroxyſmi ; purgat per inferiora.

Tinctura antimonij.

Medicamentum ad Quartanam.

OLEVM EX CROCO METALLORVM.

Recipe croci metallorum, ſacchari albiſs. an. q. v. Miſce & irrora ſaltem optimo vini ſpiritu. Stent ita aliquamdiu: poſtmodumq; leniſſimo igne ; (alioquin vas, propter nitrum & ſaccharum ; diſſilit) deſtilla. Primùm exit aquoſitas : poſtea, aucto igne, oleum : quod aſſerua, tanquam theſaurum.

Eſt

Eſt panacea : non purgat, niſi circa veſperam, vel ſequenti die, ſedemq; mouet fortè vnam vel alteram.

Doſis 4.5.6.7.8. guttarum, in liquore, aut conſerua conueniente.

OLEVM ANTIMONII PVRGANS, Febrifugum & antepleuriticum.

Recipe reguli Antimonij, per parabolam, in ſole, ſiue per ſpeculum comburens calcinati, q. v. Pone in matracium, & ſuperfunde ſpiritus vitrioli rectificati tantum, vt ad digitum vnum ſupernatet. Deinde vaſe clauſo, digere per biduum : & poſt ſpiritum tinctum effunde : aliumque ſuperfunde : hinc digere : ſepara: & repete, ſicut ſuperiùs, donec omnis tinctura extracta ſit. Tunc deſtilla per B. ſpiritum tinctum : & in fundo remanebit oleum liquidum ; ſuper quod vini ſpiritum funde ; & per B. rurſus euoca.

Doſis à 3. ad 4. guttas.

Coronidis loco, antequam capiti huic de oleis finem imponamus, nonnullorum empiricorum verſutiam & impoſturam ; dum cum oleis aromatum præſertim deſtillatis aurum potabile (putabile potiùs) fabricare ſtudent, detegendum eſſe, neceſſariò duximus ; vt eiuſmodi ſtelliones à veris doctoribus Chymiatricis

& Medicis quilibet vir bonus discernere valeat. Thurneisserus, & post eum Huserus, ac ab illis aliquot multi, cum oleis aromatum destillatis, imprimis verò oleis garyophyllorum, cinamomi, thymi, & tiliæ, cum oleo camphoræ, quod vocabant, limaturam Solis, vel eius calcem, in coloratam quandam essentiam redigebant, ac pro auro potabili magno precio vendebant. Sed falsò. Processus est talis: Campbora priùs electa soluatur in aqua forti, ex nitro & alumine ana facta, ac paulò post innatabit aquæ camphora, instar olei flaui; quod separandum & seorsim seruandum est. Deinde sint in promptu olea garyophyllorum, cinamomi, thymi, & tiliæ, ac insuper calx Solis subtilissima. Recipe igitur olei garyophyllorum drachmas quinque, olei cinamomi & thymi drachmas duas, olei tiliæ drachmam vnam, olei camphoræ per aquam fortem resoluti drachmas quatuor, calcis Solis subtilissimæ drachmas tres. Hæc singula sigillatim in suis vasculis statuantur præsentia: celeriter enim res expedienda est: in promptu insuper sint duæ conchæ vitreæ, quæ, ad miscendum superiora, probè tersæ & idoneæ sint. Vna concha capit oleum camphoræ: in hoc calx Solis immittatur, & simul oleum caryophyllorum infundatur, statim omnia feruere & ebullire videbuntur. Extemplo itaque ex illa concha

Empiricorũ auru potabile fictitium cõficiendi ratio.

concha in alteram; hinc inde transuasando, totum mixtum fundatur, ac refundatur, vt, cum incalescere & ebullire visa sint, calx Solis simul cum illis misceatur, & inter bulliendum quasi soluatur: sunt enim omnia rubicundissima, & crassa, instar sanguinis. Dum hæc transuasando perficiuntur, deinceps etiam residua addantur olea, ac, identidem transuasando, misceantur omnia diligenter.

Nota Conchæ vitreæ, quemadmodum & olea ad hanc operationem requisita, debent planè esse siue omni phlegmate aquoso; alioquin res ipsa non succederet. Hanc ergò compositionem Thurneisserus pro magno secreto habuit, & admodùm carè vendidit. Atqui Philosophus Hermeticus hanc empiricam & crassam operationem vituperio dignam existimat: est enim fallax & nimis à veritate aliena. Camphora ab aqua forti redigitur quidem in oleosum liquorem: simul enim spiritus illius aquæ fortis in se continet: oleum itaque reuera non est. Iam igitur quando miscetur hic liquor cum cæteris oleis pinguibus, fit mutua ebullitio, quæ non aliunde est, quàm à salium aquæ fortis spiritibus, aliàs simili modo cum alijs oleis, propter contrariam naturam, pugnantibus: parum itaq; aut nihil de Sole simul soluitur, aut si quid soluitur, id à nullo oleorum fit; sed merè ab ipsis corro-

siuis

[Vnciam scilicet semis & 18. Imperialibus.]

ſuis ſpiritibus, inuicem cum oleis incaleſcentibus. Præterea eadem olea, ſine calce Solari, inter ſe, eo vt diximus modo, confuſa & miſta, deinceps craſſa fiunt & rubent: hæc igitur rubedo eſt ab ipſis, non protinus ab auro. Quid itaque de eiuſmodi fucis boni ſperandum ſit, modò liquet. Hæc obiter ſaltem monere voluimus, ne tantam ſtultitiam defendere videamur.

AVRVM POTABILE OLEI FORME.

Primò redigatur mediante Mercurio, drachma vna auri puri, & per antimonium fuſi, in puluerem ſubtiliſſimum: quem ſerua.

Deinde triduana deſtillatione, elice oleum vitrioli rubrum, vulgari modo: quod hac ratione dulcificandum.

Poſtquam ab oleo vitrioli, per retortam vitream loricatam, ſpiritus ſeparaſti; ab hoc quoque aliquoties ſpiritum vini tartariſatum abſtrahas. Sic euadet, inſtar mellis, dulce. *Ol. vitrioli dulce.*

Spiritus autem vini tartariſatus ita parandus.

Recip. tartarum ad albedinem calcinatũ, huic ſpiritum vini optimum ſuperaffunda;

atque

atque in B. M. ſalis tartari q. v. imbibere ſine. Quo facto, feces reſiduas abijce: atque ſpiritum vini probè per chartam bibulam traijce: quò ſæpiùs, eo meliùs. Deinde iterum in B. M. pone: atque ſpiritum vini, ad dimidium, ſexies vel ſepties abſtrahe: ſemper reaffundendo vinum ſeparatum. Tandem in arenam pone: atque ignem primò lentum, deinde fortiorem, ſubminiſtra. Sic ſpiritùs, ſale tartari impræg natus, per alembicum feretur.

Quando hunc ſpiritum tartariſatum ab oleo Vitrioli, quod aliquoties à ſuo capite mortuo deſtillatum, & ſale proprio impregnatum ſit, aliquoties abſtraxiſti: tandem oleum vitrioli, quòd aliàs difficulter altum petit, per roſtrum latum alembici, (cucurbita non ſit alta) in vas recipiens deſtillabit.

In huius olei vncia vna ſemis, facili negotio, per noctem, in calore, calx ſolaris ſuperiùs præparata, ad drachmam vnam; diſſoluitur, vt ſemper aurum ei immiſtum maneat.

Vſus. Vires exſerit inſignes in melancholia hypochondriaca cordis palpatione, febribus, morbo comitiali, attonito, pleuritide, hydrope ſincope &c. ad guttas 6. vel. 10. in conueniente liquore exhibitum.

NOTÆ

NOTÆ BARTHII.

I. Si calcem hanc Solis, in oleo Vitrioli dulci ita dissolutam, à Bezoartico minerali, lento ignis gradu, per cineres abstraxeris: antidotum habebis excellentem, in febribus malignis peste, exanthematis, à centro ad peripheriam corporis propellendis; ita vt etiam ipsis infantibus, satis tutò, ad grana duo, tria, vel quatuor, exhibere queas. *Bezoart. minerale aureũ.*

II. Efficies etiam ex oleo vitrioli dulci prestantissimum Antepilepticum, & Antapoplecticum: si in eiusdem vncia vna semis calcis Lunæ drachmam vnam (per nitrum calcinatæ, & aqua communi probè elotæ) dissolueris: vt priùs in auro factum.

CAPVT VII.

De tincturis liquidis.

TIncturæ vocabulo Chymici non intelligunt, vt vulgus opinatur, colores simplices, à misto separatos, vel exaltatos: sed colores essentiæ rerum & qualitatibus formalibus, à concreto corpore extractis, inhærentes: Vnde tincturæ interdum olea dicuntur, interdum spiritus, interdum quinta essentia.

Arcanum & tinctura reipsa non differunt; siquidem arcanum Paracelso propriè id *Arcanũ & tinctura reipsa.*

pen differunt.

vocatur remedium, quod alijs multis præcellit. Arcani itaque nomen quælibet medicina magnetica & virtuosa, cuiuscunque etiam speciei, meretur. Tinctura verò nihil aliud est, quàm arcanum specificum, cum essentia qualitatibusque formalibus etiam colorem rei habens, vt in sui similem naturam tingere possit. adstipulante etiam Libauio, lib. 2. Alchym. tract. 2. Hæc in medicina plurimùm ad valetudinis restaurationem & sanitatem firmandam adhibetur; ita vt ob validam virtutem etiam renouandi potestatem habere dicatur, cùm omnia membra, spiritus, sanguinem & colorem vsu sui reddat vegetum & valentem. Omnis autem tinctura cœlo sereno, & quidem sic est paranda, ne crasis substantialis cum colore viuo pereat. In hoc enim totum consistit artificium, & non nisi veris Chymiatris proprium, quibus exactè est nosse, num coloris menstruis additis; num verò ipsi rei tingendæ, sit adscribendus: menstrua enim non pauca in digestione per se sponte rubescere, obseruauit Crollius, in Basil. Chymica pag. 164. & 165. Huius variæ sunt differentiæ; aliæ enim passiuæ dicuntur, quæ extrahuntur, vt tinctura rosarum &c. aliæ verò actiuæ, quæ scilicet passiuas extrahunt, imò ipsas tincturas communicant, vt magisterium sapientum, crocus, &c. Item tinctura alia est naturalis,

alia

alia artificialis; quædam metallica, quædam animalis. Item aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Quæ interdum olea dicuntur; interdum ſpiritus; interdum quinta eſſentia, prout magis cum his participant, vel cum alijs.

TINCTVRA ROSARVM SICCARVM.

Impone vnciam vnam roſarum rubrarum exſiccatarum, in libras quatuor aquæ tepidæ, quibus adde drachmas duas aut circiter ſpiritus vitrioli, vel ſulphuris per campanam facti Miſce: & intra tres vel quatuor horas, aqua fiet rubicundiſſima, quæ filtrari debet. Atque in hac ſi diſſolueris vncias aliquot ſacchari egregium hepatis α refrigeratiuum habebis.

α In febribus, alijſque caloribus præternaturalibus, quos imprimis expedit, vſus eius eſt magnus, prætereaque ipſi hepati confortatiuum eſt, propter ſpiritum vitrioli, ventriculique ob id bonam digeſtionem promouet.

TINCTVRA VIOLARVM.

Flores contuſi macerentur in propria aqua, β vel ſacchari oleo ſuperiùs deſcripto: poſt exprimantur; expreſſum coletur: donec tinctura voto reſpondeat.

β poteſt & hic addi vitriolum, vt in tinctura roſarum monitum fuit.

VEL

Pone flores ad alembici roſtrum: vt propria aqua deſtillata, præterlabendo, tincturam ſecum abſtrahat.

Operatio melior eſt talis: fiſtula ventricoſa, inter roſtrum alembici, & vas recipiens poſita, capiat flores integros recentes. Ex floribus autem contuſis, in cucurbitam poſitis, deſtillando per eos flores tranſiens aqua, ſecum colorem flauum rapit. Quæ tamen tinctura non diuturna. Mullerus in miracul. Chemnic.

CAPVT VIII.

De Balſamis.

BAlſama Chymica nihil aliud ſunt; quàm olea compoſita, & aliarum rerum additione ſpiſſiora reddita. Conſtant ferè liquore triplici, ſpirituoſo ſeu aqueo, oleaginoſo, & craſſo, inſtar mellis: quibus interdum, pro rei natura, moſchus, ambra, zibettha, &c. addi ſolent.

Hoc eſt, balſama conficiuntur ex tribus, ſ. ex proprio oleo, tinctura & ſale. Hinc Paracelſus definit balſamũ, quod ſit res temperata, non dulce, non amarum, non ponticum; ſed liquor ſalis: nõ ſit ſal minerale; ſed ſal liquoris: ideò potentiſſimè præſeruat à putrefactione. de Tart. lib. 1. tract. 4.

Ad

Ad balſamorum verò compoſitionem an certum pondus principiorum per omnia obſeruari debeat, vel etiam poſſit, controuertitur. Nos negamus: quædam enim ſicciora ſunt, habentq; tincturam planè aridam, quale eſt cinamomum; quædam habent tincturas oleoſiſſimas, vt nux moſchata, macis, fœniculum, aniſum; quædam mediocrem obtinent naturam, vt zingiber. Prout itaque tincturæ ſunt aridæ vel ſiciores, pro eo etiam pondus olei informatur. In genere verò tantum ceræ admiſcetur, vt oleum exinde quaſi coagulari, poſteaque faciliùs cum tinctura permiſceri poſſit.

In balſamis conficiendis certũ põdus principiorum per omnia obſeruari nec debet nec poteſt.

Exempli gratia, in balſamo fœniculi hæc ponderum ratio obſeruetur: Recipe tincturæ vncias ſex, ceræ vnciam vnam, olei vnciam ſemis. Ceram itaquè benè mundatam, & raſam tenuiter, leni calore ignis funde, fuſæ adde oleum, & extra ignem ſpatula ferrea tàm diu agitando miſce, donec conſiſtat; adde poſtea tincturam cum ſpiritu vini extractam, & iterum miſce. Cum omnia iam ad conſiſtentiam ſuam perducta fuerint, vel refrixerint, adde ſalis fœniculi ad ſingulas vncias totius compoſiti drachmam ſemis, quæ faciunt drachmas tres cum ſemiſſe, atque ita reſeruetur vſui. Quia verò cera per vetuſtatem rancida fit, & hinc talibus compoſitionibus ingratum ſaporem conciliat;

Balſamum fœniculi.

insuperq; in vsu balsamorum externo à cera potiùs occluduntur pori, ne vis eorum rectè penetrare possit; igitur pro hoc incommodo euitando sapientiores Medici ex oleo nucis moschatæ expresso per spiritum vini tincturam extrahunt, donec corpus albissimum residuum fuerit; Quod cùm planè insipidum, nullius que qualitatis peregrinæ capax sit, id, loco ceræ, ad consistentiam balsamis conciliandam sumunt, oleo nempe & tinctura aromatum, cum eorundem sale, in istud magma immistis. Quercetanus, in Pharmacop. Dogmat, circa finem, *meminit artificij cuiusdam noui, sibi à Medico Germano communicati, oleâ scil: reducendi in essentias gratissimas & vtilissimas, quæ proprijs suis coloribus, odoribus, saporibusque nobilitantur: nulla accedente mixtione, quàm manna cœlesti optimè depurata, quæ harum rerum vires atque virtutes allicit, easque sua admixtione exquisitissimè corrigit, id quod hieroglyphicis tantùm verbis arcani huius descriptionem adumbrare voluit, & quidem meritò; prudenti enim & experto Chymico sat dictum. Quem modum elegantiorem à Quercetano etiam se didicisse profitetur Laurentius Hoffmannus, Medicus Hallensis eximius, & qui beneficio lorbæ omnis alienæ qualitatis expertis, & tincturæ vitalis perficitur. Hoc*

Inuentũ nouum olea in essentias reducendi.

enim

enim medio, ait, concinnanti balſami natiuum ualorem, odorem & ſaporem retinent, effectus exoptatiſſimos proferunt, & facili negotio, quod ſingulare habent, in tenuiſſimum pollinem redigi, atq; ad multos annos conſeruari poſſunt; de vſ. & abuſ. medic. Chymic. p. 79.

BALSAMVM CINAMOMI.

Componitur hoc ex tinctura, per ſpiritum vini (etiam non tartariſatum) extracta & inſpiſſata, oleo & ſale eiuſdem, nec non cera alba, in aqua roſacea probè ſoluta: lota: & ab omni acredine vindicata, quæ mediam dat conſiſtentiam; vel, quod melius, oleo nucis moſchatæ expreſſo, à quo priùs tinctura per ſpiritum vini ablata eſt, *a* Vel fit ex ſebo cerui aut veruecis diligēter mundato & loto: ita vt quodlibet per ſe; vel vnum ex iſtis, cum cera poſſit miſceri, & poſtea cum extracto, oleo, & ſale, ad iuſtam conſiſtentiam reduci. Ita parantur balſama ex garyophyllis, iunipero, ſaliua, roremarino, aniſo, & ſimilibus, quæ tam pro externo illitu, quàm interno vſu, ſunt efficaciſſima.

a Redduntur enim eo balſama durabiliora, nec illud tam facilè rancescit, quàm cera.

BALSAMVM SVLPHVRIS †

Recipe florum ſulphuris vncias duas: ſpir. terebinthinæ vncias quatuor: Miſce: & vi-

trum in arenam colloca, vt ſpatio octo horarum lentè bulliant, & inſtar ſanguinis colorentur. α Tum ſuperfunde aquam communem: & per alembicum β deſtilla γ oleum ſuperfluum, cum aqua. Sic manebit in fundo balſamum ſulphuris: à quo tincturam per ſpiritum vini extrahere potes, & coagulare.

Tinctura ſulphuris.

Vſus. Balſamum hoc δ ad vlcera maligna ſananda vtiliſſimum eſt. Siccat enim eximiè ſine morſu, & roborat. Pelliculas etiam internas, calloſitates, & cruſtas tartareas, in veſica atterit: penisq; doloribus, excoriationi, & vrinæ ſuppreſſæ medetur. Tinctura verò eius cum aqua hyſſopi, vel ſyrupo liquiritiæ, aut alijs ſpecificis, aſſumta tuſsim inueteratam eliminat. ε

† *Quercetano vocatur rubinus ſulphuris.*

α *Separa ſpiritum, & adde ad eminentiam 4. digitorum deſtillatam aquam: & per alembicum &c.*

β *in balneo.*

γ *ſpiritum.*

δ *in aqua vlmariæ, vel cardui benedicti ad peſtem valet; &*

ε *doſis à guttis 4. ad 7.*

Inſuper de hoc balſamo ſulphuris videatur etiam Penotus, in tractatu de vera præparatione, & vſu medicamentorum Chymicorũ.

Præ-

Præſtantiſſimus quoq; fuit Rulando Patri ex hiſce floribus cum oleo nucum balſamus ſulphuris confectus, quin in varijs & infinitis morbis ab ipſo fuit adhibitus, prout videre eſt Curat. 92. Cent. 1.; *Emplaſtro ſimul Diaſulphuris, ita vocato, eiuſdem ſuperimpoſito, cuius deſcriptio ea eſt. Recipe olei ſulphuris vncias tres, colophoniæ drachmas tres, ceræ vnciam vnam ſemis, myrrhæ ad pondus omnium. Ceræ, colophoniæ, oleoq; liquefactis ſimul, & benè commixtis, inſpergatur myrrha ſubtiliſsimè trita paulatim, igneq; lento coquantur, ſpatula ſemper agitando, donec benè permixta fuerint. Poſtea, ſcilicet poſt quartam horæ partem, ab igne deponantur, & paulatim frigeſcant. Habebis emplaſtrum præſtantiſsimum, certum & infallibile, in curandis omnis generis vlceribus, & vulneribus quibuſcunque.*

Balſamus ſulphuris Rulādi.

Emplaſtrū diæ ſulphuris eiuſdem.

BALSAMVM DIAKIBRIC QVERCETANI AD HERNIAS.

Recipe flor. ſulphuris vnc. tres: myrrhæ, mumiæ veræ, ana vnc. vnam: axungiæ ſerpentis vnc. vnam ſemis. Inde vaſi vitreo: & adde ol. terebinthinæ, ad duorum digitorum ſupereminentiam; benzoini drach. ij. Vas optimè claudatur; omniaq; bulliant, ad ignem cinerum: ſic, intra duos aut tres dies, omnia faceſſiunt in balſamum, rubi-

cun-

cundum, fœtidum. Cauendum autem diligenter; ne balſamum, inter coquendum aduratur.

Vſus. Præmiſſo manè & veſperi, per dies decem aut quatuordecim, ad callum peritonæi rupti emolliendum, balſamo malacticò, guttæ aliquot de hoc calidè loco affecto affricandæ ſunt; aut linteolum in balſamum dictum immergendum, complicatumq; emplaſtri inſtar applicandum. Quod ſi neceſſitas requirere videatur: pars affecta, antè inunctionem balſami Diakibric, fotu etiam conueniente fouenda: & poſt vnctionem emplaſtrum egregiè penetrans, ſiccans & conſtringens, adhibendum: quorum omnium deſcriptiones genuinæ nunc ſequuntur.

Balſamum Malacticum ita paratur.

Recip. viſci pomorum conciſi mar: ip. duos: axungiæ anguillæ, cuniculi, raxi, ana vnc. tres: œſypi humid. vnc. vnam ſemis: pinguedinis humanæ vnc. duas. Indantur in vas vitreum: & affunde olei lumbricorum vnc. tres: lauendulæ vnc. duas: terebinth: vnc. quatuor: ceræ vnc. ſemis.

Digerantur omnia in fimo equino, vaſe optimè clauſo: dein prælo exprimantur.

Sic

Sic balſamum habebis; quod, prout callus durus videtur, aliquamdiu continuandum, manè & veſperi.

Fotus talis eſt.

Recipe conſolidæ vtriuſque, ſigilli Salomonis, tormentillæ, ana vnc. tres: fol. thapſi barbati, centum nodij, burſæ paſtoris, ana manip. vnum: veronicæ, herniariæ, perfoliatæ, bruſci, ſaniculæ, piloſellæ, alchymillæ, ana manip. vnum ſemis: ſumach, balauſtiorũ, nucum cupreſſi, ſem. plantag. ana vnc. duas. Coque in æqua parte aquę chalybeatę, & vini rubri. F. fotus, quo partes ſæpe & diu fouendę.

Sequitur Emplaſtrum.

Recipe emplaſtri diuini vnc. quatuor: diacalcith de gratia Dei, ana vnc. vnam: croci Martis, lapid. calaminar. præparati, (pluries igitur & extinguitur in aceto roſarum, & poſtea tenuiſſimè pulueriſatur.) vna vnc. ſemis: axungiæ humanæ, ſerpentis, ana vnc. vnam ſemis: mumiæ veræ, myrrhæ ana, drac. tres: pulueris exuuiar. ſerpent. drach. duas ſemis: balſami ſulphur. vnc. vnam: ceræ parum. F. Emplaſtrum.

VEL

VEL pro pauperibus.

Recipe emplaſtri contra rupturam, olei myrtillorum, ana vncias duas. Miſce: & ſolue: atque deinde adde balſami ſulphuris vnc. vnam ſemis: ceræ q. ſ. F. emplaſtrum.

Etſi autem hæc remedia, per ſe, bona ſunt:, & magnum, in curatione herniarum inteſtinalium, vſum præſtant; tamen exiguo cum fructu adplicantur non adhibita decente ligatura: in qua, ego quidem, cardinem totius Θεραπείας conſiſtere, arbitror, cum Monarde: qui teſtatur: quendam Cordubenſem, ſola quadam ligatura artificioſa, nullis adhibitis braccis, nullis medicamentis, omnes hernioſos feliciter percuraſſe. Et talis quidem ligatura erat etiam Chirurgi illius, cuius opera Quercetanus p. m. in ramicum curatione vtebatur. Ea enim non tantùm adeò artificioſa erat: vt, licet trigeſies eam adhiberi ab ipſo conſpexiſſes; vſum tamẽ legitimum, ſi deſcriptionem eius priùs mente non fuiſſes complexus addiſcere non potuiſſes: tam etiam certa, & inteſtino, inter abdomen repoſito, firmiter retinendo, ad eò accommodata, ut, quicunq; hernioſus, ea ritè deligatus eſſet, violentiſſima quæque exercitia, cùm athletica; tùm equeſtria,

abſque

absque omni periculo, subire posset: prout hoc sæpius, etiam in illustribus personis, vidi. Descriptio autem istius ligaturæ hæc est.

Ligaturæ descriptio.

Vbi, reposito intestino, partem affectam balsamo conueniente inunxeris; eique emplastrum imposueris: rursum huic pannum lineum, septuplum aut octuplum, leuiter consutum, superimpone: & hunc alio simplo, qui in medio sit perforatus, & virgæ virili exitum præbeat, scotumque, ceu sacculus, stricte includat, tege. His peractis, ligamentum cape, ex panno lineo, latum duos digitos, aut pollicem magnum, pro magnitudine scilicet patientis. Huius extremitatem vnam pone super dextrum femur: & duc ligamentum super foramen peritonæi, per quod sese vasa spermatica traijciunt: & si in dextra parte fuerit ruptura, tunc quia illi foramini emplastrum est impositum, duc super emplastrum & pannos lineos, vt firmiter incumbat rupturæ. Deinde perge, ligamentum ducendo infra perinæum, vt à tergo redeat supra sinistrum os coxendicis, & ambiat ventrem, includens illam extremitatem, quæ posita est super dextrum femur. Hinc perge, supra dextrum coxendicis os: & duc à tergo, per perinæum,

rinæum, vt antrorsum redeat, & transeat supra peritonæi sinistrum foramen, ipsumque emplastrum, si ibi sit ruptura; dein rursum supra sinistrum coxendicem: ambiat dorsum: & supra dextrum coxendicem, imitetur priorem ligaturam: idque fiat sexies. Vinculum igitur illud sufficienter longum sit; vt sexies circum ire patientem, hoc modo, possit: quò tantò firmiùs intestinum repositum comprimat. Studendum autem semper inter deligandum: vt simplici isto panno lineo, per quem se penis traijcit, testes simul colligentur, vt, veluti in sacculo, vtrinque, liberè quidem; sed non laxe, propendeant.

BALSAMVM VVLNERARIVM præstantissimum.

Hoc paratur ex intestinis, neruis, arterijs, ligamentis, corio, venis cadaueris humani, aut canini; coctis ad mellaginis consistentiam: Vel paratur, cùm ex præcedentibus; tùm addito saccharo, & vesicis, quibus mercatores aloen, in longinquas terras deferre solent.

BALSAMVM SATVRNI.

Destilla duas partes aceti imprægnati sale Saturni, vt tertia tantùm pars supersit, Deinde recipe olei rosati vncias quatuor; aceti

aceti vero iſtius imprægnati vncias octo De hoc guttatim ſuper oleum infunde: & ſimul continuè miſce, in mortario æneo, α vt fiat inſtar vnguenti: quod confert inflammationibus, & podagræ à cauſſa calida. β Quod ſi idem acetum, ſale Saturni imprægnatum, mixtùm fuerit, Cum æquali parte aquæ communis, & applicatum calidè, cùm linteolis conduplicatis, ſuper contuſiones: in quacunque corporis parte, ſtatim ſedat omnem dolorem, & lituras earundem delet.

α *plumbeo.*

β *item cancro, & omnibus phægedænicis vlceribus.*

Sal ſaturni paretur hunc in modum. Recipe cinerem plumbi, aperto igne, ſine ſophiſticatione, ſiue alio adiecto, præparatum; ex illo ſalem, non aqua, vt habent irriti vulgarium deſcriptionum labores, ſed aceto deſtillato extrahas, quem poſtea à ſuo ſale, aqua pluuiali, ſoluendo, filtrando & leniſſimè in balneo euaporando, ſepties edulcora, & tandem in deliquio in liquorem ſolue. *Salis Saturni præparatio.*

NOTA BARTHII.

Balſama etiam parari poſsunt, citra additionem vel ceræ, vel ſebi, vel olei nucis myriſticæ vel ſimilium: Si nempe olea, ſpiritu vrinæ, ſecundò per alembicum prodeun-

deuntis, aut ſimili vim coagulandi obtinente, in vnguenti formam conquaſsentur. Atque hoc ſecretum tanti hactenus à quibuſdam inuidis auriſugis & ingenijs heteroclitis æſtimatum, vt id Pharmacopœis neutiquam reuelandum eſſe cenſuerint.

CAPVT IX.

De Extractis.

EXtracta ſpecialiter ſic dicta parantur ex genere animalium & vegetabilium, beneficio diſſoluentium, ſiue menſtruorum accommodatorum, qualia ſunt ſpiritus vini iuniperi, ſerum lactis, hydromel vinoſum, aqua pomorum rodolentium, fumiterræ, & ſimilium, vel aquæ ex ijſdem, ex quibus extracta concinnare animus eſt, deſtillatæ. Ex animalibus carnes, aut mumia, hepar, ſplen, pulmones, teſticuli, & ſimiles partes eliguntur: vndè vulgò inclaruerũt extracta ex cranio humano, ad epilepſiam: ex ſplene a bouis, ad mẽſes prouocandos: ex hepate vituli, ad hydropẽ & fluxum hepaticũ: ex pulmone vulpis, ad aſthma & ſimiles morbos. Ex vegetabilibus varia fiũt: vtpote ex herbis, floribus, radicib⁹, ſuccis, baccis, corticib⁹, lignis, aromatibus, ſeminibus, fructibus: vt videre

eſt

apud Quercetanum, *c. vlt. Pharmacop. Dogmaticorum restitutæ.*

An spiritus vini ad extracta, è purgantibus parãda, vsurpari debeat.

Cæterùm ad extracta purgantia præparanda multi hactenus alio menstruo non vsi sunt, quàm vini spiritu: qui tamen, quod is vim eorum catharticam, vt in sequentibus demonstrabitur, valdè infringat, ß promiscuè in omnibus non videtur vsurpandus. Adhiberi poterit interdum in hellebori, colocynthidos, scammonij extracto; in alijs autem substitui debent aquæ destillatæ, vtpote rhabarbaro accommodata erit aqua endiuiæ: folijs senæ Orientalibus, aqua pomorum redolentium, fumariæ, fœniculis: agarico aqua cinamomi: & sic porrò alijs aliæ. Et optandum esset: vt tales aquæ quater aut quinquies destillarentur; vt, quò sunt subtiliores, eò faciliùs possint euaporari, & ab extracto separari. Quod si autem talis aqua uitæ, proprio scilicet sale armoniaco priuata, uti Dariotus, & post eum, Iohannes du Val, Medicus Issoldunensis, Penotus quoque, *in tractatu de vera medicamentorum Chymicorum præparatione, p.* 192. in magisterio tartari, docent, daretur: præstantior, ad omnis generis extracta paranda, desiderari non posset. Verùm quamuis Dn. Mayaud, Vir in re Chymica longè

O exer-

exercitatiſſimus, & amicus meus ſingularis, ad illorum doctorum placita, menſtruum tale parare, mecum induſtriè tentauerit; tamen nunquam non in operatione hac oleum & operam perdidimus. Vnde conijcere quis poſſet; quòd, cum bonus ille Penotus, in ſupra citato magiſterio tartari, alios ad Dei timorem, & pro tam raro ſecreto gratiarum actionem moneat & inuitet: ipſemet Deum non ſatis timuerit, nec illi gratias egerit: quando tale magiſterium poſteritati conſecrauit.

Quòd autem is, in loco ſuperiùs allegato, aquam vitæ, proprio ſale armoniaco priuatam, (quod quidam negant, & mala me hic fide cum eo agere cauillantur) innuit; ex ipſiſſimis eius verbis facilè demonſtrabo. Inquit enim: huius ſalis (nimirum tartari ſummè depurati) accipe libram vnam; aquæ vitæ rectificatæ lib. quatuor. Miſce; & in B. M. deſtilla: duæ partes deſtillabunt ſine guſtu. Vnde ita argumentor: Quod ſi duæ partes illius aquæ vitæ deſtillabunt ſine guſtu, id eſt, ſine ſapore, & omnis ſapor à ſale: ſequitur neceſſariò: quòd Penotus modum parandi aquam vitæ, proprio ſale armoniaco priuatam, doceat.

Porrò conſtat: extracta purgantia,

tam

tam ſimplicia quàm compoſita, vulgari modo parata, vix alicuius vtilitatis aut fructus eſſe: propterea quòd vis ſimplicium purgatrix, quæ in ſale ipſorum armoniaco conſiſtit, ob longam digeſtionem, quæ fit, dum menſtruum ipſorum abſtrahitur, aut exhalet, aut pereat; imprimis, cum extractum per ſpiritum vini paratur. Is enim, quando deſtillatione ſeparatur, ſecum vna ſalem purgantis armoniacum aufert. Namque ſal ſali facilè iungitur, præſertim ſi ſint eiuſdem naturę, ac proinde ſal armoniacus ſpiritus vini facilè ad ſe ſalem mercurialem purgantis allicit; & in ſua aqua diſſoluit; id quod inde etiam facilè colligitur, contra opinionem cuiuſdam viri doctiſſimi: qui ſtatuit; ſpiritum uini eſſe ſulphureum, eumque non niſi uirtutibus, in ſulphure mixti uegetabilis reſidentibus, eliciendis accommodatum: cùm tamen is, mea quidem ſententia, non ſolùm ſulphureus ſit; ſed & mercurialis; ac priùs in mercurium agat, quàm in ſulphur. Si enim infundas rhabarbari unciam unam, horas uiginti quatuor, in aquæ ardentis communis, uel ſpiritus uini, non multùm rectificati, libris duabus, & poſtea per B. M. ferè bulliens, libram unam

Quomodo S. V. purgantium vini infringat.

aut circiter deſtilles: duo eius cochlearia æquè purgabunt; atque infuſio communis rhabarbari, quodque in cucurbitæ fundo remanebit, omni virtute purgante deſtituetur. Quapropter menſtruo opus eſt valdè ſubtili, & quod, tincturis ſimplicium imprægnatum, vel minimo calore euocari poſſit. Id autem tale eſt.

Mẽſtruũ cõcinnãdis extractis cõuenientiſſimum.

Recip. Vere, aut æſtate, aquæ pluuiæ, tunc, cum abſque magnis procellis & tempeſtatibus depluit, collectæ, menſuras centum: deſtilla per refrigeratorium, menſuras non niſi ſexaginta proliciendo, & reliquas, tanquam inutiles, effundendo. Quod prolectum eſt, eodem vaſe rectifica, & non niſi quadraginta menſuras euota, & tertia vice non niſi triginta: quas pone in alias cucurbitas vitreas, & deſtilla in ventre equino, aut eius vicario, prima vice, non niſi viginti menſuras: & ſecunda, decem; & vltima, quinque proliciendo: quæ magis inſeruient extractis purgantibus quibuſcunque concinnandis; quàm aqua vitæ, aut alia, quamcunque tibi imaginari poſſis.

Hepatis bubuli extractũ.

a Idem præſtat hepatis bubuli extractum, quod ſic fit: Recipe hepar bouis iunioris caſtrati, ſeca in particulas, eaſque in clibano exſicca & pulue-

pulueriſa, adde vinum aduſtum à fecibus ſuis craſſis deſtillatum, & cum eo extrahe ſubtiliorem ſubſtantiam iecoris, quantum eius fieri potest: ſi non ampliùs extractio procedit, pulueremhepatis exſicca, vt priùs & ſecundò cum ſpiritu vini, vt antea, extrahe, atque id repete etiam tertiò: coniunge omnes extractiones, & ad conſiſtentiam quandam deſtillando redige: adde tandem ſal proprium, ex capite mortuo hepatis cum aqua deſtillata extractum, & miſce. Eius vſus eſt; vt extracti ſplenis bouis; ſed longè promptior & expeditior.

Spiritus vini ad exrracta purgãtia eſt menſtruum minimè idoneũ, & quære.

ß *Vtrum ad extracta purgantia conficienda ſpiritus vini pro idoneo menſtruo adhiberi poſſit; poſt alios multos diſputat hic autor noſter. Exiſtimat autem, quod in nonnullis vis purgans, digeſtione per ſpiritum vini, infringatur: aſt committere videtur elenchum: non enim infringit, ſed eam ad ſe non trahit. Facultas enim purgantium hoſpitatur in ſale Mercuriali: ea itaque deſiderat ſimile menſtruum, cuius ſymbolum eſt idem cum eo, quod extrahendum eſt; ſpiritus autem vini eſt ſulphureus, naturamq; ſulphuris retinet: itaque ille attrahit ex rebus id, quod ſuæ naturæ eſt, nimirum ſulphur: ſales intactos relinquit: is itaq; potiùs ad eorum extractionem facit, quorum eſſentia conſiſtit in ſulphure, qualia ſunt diaphoretica; de pur-*

gnantibus non item. Nec hanc noſtram labefactare poteſt ſententiam eorum opinio, quæ contrarium perſuadere conatur, quòd ſcil. nulla vis purgandi in ijs relinquatur, quibus ſpiritus vini affunditur; dicunt enim, extrahi quidem vim catharticam à ſpiritu vini, ſed ab eo non facilè ſeparari poſſe, ſed, dum abſtrahitur, eam ſecum auferre. Verum diuerſum dictat experientia. Nam primò quomodo ſpiritus vini ad ſe trahere poteſt id, quòd non eſt ſuæ naturæ, vti modò dictum? Deinſi vim purgandi planè extrahat, qui fit, quòd, vbi eiuſmodi extractum, hoc menſtruo inquinatum, poſtea probè exſiccatum fuit, accommodatum aliud affuſum, vim catharticam, in ipſo adhuc delitescentem, optimè in apricum proferat? Et tandem quod additur, vim catharticam à ſpiritu vini non facilè ſeparari poſſe, huic itidem experientia manifeſtò reclamat. Qui enim negabit, quòd ſpiritus vini, mẽſtrui loco in extracto colocynthidis adhibitus, non facilè à tinctura purgãte ſeparari poſſit? Quocirca nec vis purgandi in vini ſpiritu figitur: magmata enim purgantium, à ſpiritu vini, extractionis miniſterio abſoluto, relicta; alijs menſtruis poſtea excitata, vim purgandi a ſpiritu vini non attractam, domum mittunt, quæ nulla eſſet. Ad extracta itaque purgantium, excepta colocynthide &

ſcam-

ſcammoneæ, inſeruiunt alia menſtrua, qualia ſunt, hydromel vinoſum, vinum canariæ, ſenum lactis, aquæ pomorum redolentium, betonicæ, fœniculi, endiuiæ, aniſi, roſorum, vlmariæ, carduibenedicti: fumiterræ, & ſimilium, vbi imprimis ſemper guttulæ aliquot olei tartari, per deliquium concinnati, admixtæ fuerint; ſic enim illæ ſal mercuriale citiùs aggrediuntur, ac ad ſeſe rapiunt. Ex his omnibus abundè liquet; quænam cauſa, quòd in extractis ſæpè vis purgatrix debilitetur, vt non rarò purgantia quædam in ſubſtantiam in praxi addere ſoleamus. Quamobrem probè animaduertendum, quænam huic, vel illi purganti, menſtrua ſint adhibenda.

Ad extracta colocynthidis & ſcammoneæ præparanda ſpiritus vini requiritur.

EXTRACTVM SENÆ.

Folia ſenæ Orientalis, ſine ſtipitibus, macera per viginti quatuor horas, in ſufficienti aquæ ſtillatitiæ a pomorum redolentium quantitate: quod tinctum eſt, effunde & filtra foliis priùs fortiter expreſſis. Interim ex fecibus, ſecundum artem, & ſal elice: & tincturæ commiſce; quam deinde, lento balnei calore, ſufficienter deſtilla: vel fac in ſcutella vitrea, vapore calentis balnei, ſuperfluum humorem, ad extracti conſiſtentiam, exhalare. Doſis eius à drachma ſemis, ad ſcrup. duos. ℈ Ex libra vna foliorum

liorum ſenæ accipies extracti vncias ſex.

Nota. Tincturæ extractionem ex ijſdem folijs ſenæ non eſſe ſecundò repetendam: ne extractum intra corpus admiſſum, in eo grauia concitet tormina. ♏.

α vel alterius qualiſcunque aquæ deſtillatæ, non grauè olentis. Ideò verò ab autore aqua pomorum redolentium capitur, quia vt ſuccus eorundem, ita & aqua tincturis vegetabilium extrahendis maximè idonea eſt.

β In extractis purgantibus admiſtionem ſalium proprium improbamus, cùm ſalia potiùs adſtringant, quàm purgent. Quapropter omnium abſolutiſsimè egeris, ſi tantùm menſtruo aliquot guttulas olei tartari per deliquium præparati adieceris, vt ſuprà etiam innuimus.

γ Doſis potiùs eſt à ſcr. i. ad ſcr. ij.

♏ quia per crebriorem extractionem etiam impuritates extrahuntur, quæ tormina pariunt.

EXTRACTVM RHABARBARI.

Rhabarbarum recens, minutim conciſum, digere in aqua endiuiæ, α vel alia odorifera, donec coloretur. Quod tinctum eſt, deple: nouamq; aquam toties reaffunde; donec ea non tingatur ampliùs. Depletiones filtra: circula: & menſtruum, ad extracti conſiſten-

ſiſtentiam, per balneum euoca: ſale priùs ex fecibus addito: β vt in ſuperiori præparatione dictum.

α *bugloſæ, borraginis, portulacæ, cichorij, aut alterius conuenientis, cum guttulis aliquot olei tartari.*

β *Neq; hic admiſtione ſalis opus.*

Quercetanus correctiui loco adijcit cinamomum & ſantalum rubrum, ſed, meo iudicio, parum fructuosè: ſiquidem illud nullo alio modo fieri debet, quàm per aquas cichori, endiuiæ, centaurij minoris, aut alterius conuenientis, cum guttis aliquot olei tartari, per deliquium facti, ſine vlla compoſitione alia. Acui tamen illud poteſt, neceſſitate requirente, cum diagridio; item cum chittha chemu, elaterio, philoſophicè præparatis, nempe per læuigationem in marmore, cum guttulis aliquot ſpiritus vitrioli, & oleorum anſi, fœniculi, cinamomi, angelicæ, citri, &c. pro ratione morbi & patientis. Doſis eſt gran. XV.

Nota BARTHII.

Nullum eſt vegetabile, quod tam promptè omnem tincturam & vim catharticam è purgantibus ſimplicibus eliciat; nec tantùm eliciat; verùm etiam ſaporem eorum ingratum corrigat: atq; oleum tartari per deliquium: Recipe enim foliorum ſenæ electæ ſine ſtipitibus: drach-

Quomodo ſapor ingratus ſenæ & rhabarbari corrigẽdus.

drachmas duas: aut ſenæ aut rhabarbari, aua drachmam vnam. Infunde in vncijs quatuor ſemis iuſculi gallinæ, aut alias liquoris conuenientis: additis corrigentibus vſitatis, & decem aut duodecim granis ſalis tartari, aut ſcrupulis olei eius Mercurialis duobus. Si videbis, intra quadrantem horæ, menſtruum tuum tinctum, & virtutibus ſenæ ac rhabarbari imprægnatum. Hoc dein cola: & reſiduum exprime, per pannum lineum: diſſolueq; in expreſſo ſacchari fini vnciã vnam. Ita infuſum habebis, omni ſapore ſenæ aut rhabarbari deſtitutum, multoq; gratius; quàm ſi purgantia in omphacio, aut citriorum ſucco, vt quidam facere conſuerunt, infudiſſes. Vnde apparet: quàm ſolius Chymiæ ſit, medicamenta vulgaria grata reddere, tuta ſalubria.

Fondus naturæ diligenter obſeruandũ.

Quod ſi verò quiſpiam ad hanc exiguam ſenæ doſin obſtupeſcit: is ſciat: quod ſena vim quandam habeat extenſiuam; ſed nihilominus limitatam: ita vt duæ illius drachmæ ſufficere poſſint, vncis quatuor aquæ, & pluribus, animandis. Deinde: quòd aqua etiam vim habeat attractiuam illius, quod ipſi infunditur, & in quod poteſt agere; ita vt, poſteaquam tantum extraxit, quantum ferendo ſibi ſatis, reliquum abijcit: ideoq; quatuor drachmæ ſenæ, infuſæ in vncias quatuor aquæ, non magis purgabunt;

gabunt ; quàm drachmæ duæ , in ſimili aquæ quantitate maceratæ . Immò dicere auſim ; quod ſæpius cùm in me ipſo ; tùm in alijs etiam, expertus ſum : vnam drachmam ſenæ ſolam , vti dictum , infuſam , idem effecturam , quod tres aut quatuor . Sed cùm virgulam aliorum cenſoriam mihi , hac in parte , extimeſcendam videam : malo , maius potiùs ſtatuere ; quàm minus pondus ; & hoc ipſum alijs exemplis confirmare . Diſſolue enim vnciam vnam ſalis communis , in vncijs tribus ſemis aquæ communis : deinde inijce in illam eandem aquam plus ſalis : & videbis , illum manere in fundo , nec vel vnum eius granum diſſolui : propterea , quod aqua antehac tantum oneris acceperit , vt maiori ferendo ſit impar . Sic diſſolue vnciam vnam mercurij , in vncia vnica aquæ fortis : dein adijce plus mercurij : atque, id neutiquam diſſolutum iri , animaduertes : propterea , quòd aqua pondus ſuum attraxerit , æqualiterque tam ad ſuperficiem ; quàm ad fundum , oneratà ſit . Aqua enim ſtigia corpus mercurij ita attenuat ; vt id (quod mirum, cùm valde ponderoſum ſit & graue) in æquipondio ſeruet , cùm ad partem ſummam & imam ; tùm ad mediam . Quod ſi enim particula cupri , aut auri , ſuperficiem aquæ tangat: imbuitur ipſa, quanta quanta eſt , mercurio. Ex

eiuſ-

eiuſmodi experimentis exſtrui poſsunt regulæ infal ibiles, & Medico maximè vtiles, maximeque ad infinita alia ſubiecta neceſsariæ, quas Medici Puritani contemnunt; quia, cognitionis rerum naturalium turpiter ignari, ſibi tantum debere eſſe commercij cum Chymia, quantum cum amaraco ſui, exiſtimant.

EXTRACTVM CORNV CERVINI.

Recip. ſpiritus vini, ſpir. vitrioli, ana partes æquales.

Miſce: & affunde raſuræ cornu ceruini: vt tinctura extrahatur. Craſsamentum nigrum abijce: tincturam extractam filtra, rurſuſque menſtrui exhalatione coagula.

Vſus. Diaphoreticum eſt inſigne, in febribus malignis, omnibuſque alijs morbis, in quibus cornu ceruino locus.

EXTRACTVM ſiue BALSAMVM ALOETICVM.

Recip. Aloes ſuccotrinæ q.p. Pulueriſatam ſolue, in aqua borraginis & roſarum. Coletur per pannum duplum mundum. Stet in digeſtione dies tres. Purum effundatur. Effuſum rurſus digeretur: dum feces plures ſubſidant. Purum clarumque rurſus effunde, & colloca in B. M. Aquoſitatem abſtrahe, vſque ad ſpiſsitudinem, Impone

forma-

fornaci calidæ, vel ſoli expone: & humidum vniuerſum abſumetur: aloeque efflorescet, & quaſi in grana exſurget. Hi ſunt veri flores aloes.

Recipe horum florum aloes lib. vnã: ſucci roſarum Damaſcen. lib. ſemis. Colliqueſcant igne lento, in vnam maſſam: coagulanturq; Adde ſecundò & tertiò, ſuccum roſarum, vniformi modo. Hæc erit aloe roſata.

Recip. Huius aloes roſatæ lib. vnam: radic. aſari, ſpicæ Indicæ, croci Orient. cinamomi el., macis, ana vnc. vnam: myrrhæ rubræ vnc. ſemis: ſp. vitrioli drach. vnã ſemis.

Omnia contrita & pulueriſata, cum aloe miſceantur: & balſamum erit paratum. Poſſent etiam ipſa aromata extrahi. Sed ſimpliciter ita iuuat, & præter alias infinitas vtilitates, quas præſtat, excellens eſt, ad præcauendam melancholiam, remedium, Quidam appellant: den Gauff Balſam.

EXTRACTVM ALOES SPECIFICVM.

Recip. Aloes ſuccotrinæ opt. à ſordibus purgatæ q. ſ. Aqua endiuiæ eliciatur tinctura, inſtar rubini Fecibus ſubſidentibus, fiat ſeparatio. Separatum, B. M. committatur. Menſtruum deſtillatum ſeparetur, mellea in fundo diffluente ſubſtantia, Recip. huius extra-

extracti vncias quatuor: ſucci eſſent violarum, flor. perſicorum, roſar. pallidarum, cichorij, bugloſſæ, borraginis, calendulæ, primulæ veris, ana vnc. tres.

Omnia legitimo tempore colligantur & digerantur; filtrentur: labor reiteretur itidem, aquea humiditate, balnei roris vapore, lentiſsimo ignis gradu, difflante, dum in ſerapij ideam faceſſant: addendo inſuper extracti rhabarbari, fol. ſenæ, vnc. duas ſemis: eſſentiæ croci drach. ſemis; myrrhæ drach. unam: fol. caryophyll. cinamomi, ana drachmam ſemis; magiſterij tartari vnc. duas ſemis. F. Maſſa.

ALIVD BALSAMVM de ALOE.

Recip. polypodij querni drach. ſex: paſſular. unc. unam: fol. ſcolopendrij numero ſex. Conterantur craſsiuſculè M. & ſuperfunde aq. endiuiæ borragin. ana quart. ſemis.

Coque in ſartagine ad dimidias. Facti expreſsione, adde maſtichis, thuris maſculi, ana drach. ſemis: aloes epatic. uncias tres: ſyr. uiolarum cochlearia duo.

Iteretur coctio: donec aloe epatica diſſoluatur: & omnia balſami conſiſtentiam acquirant.

Vires & Vſus.

Quanquam hoc balſamum apud alios auto-

autores etiam reperiatur, tamen cùm vſus & vires eius nõ omnibus notæ ſint, placuit, id huc tranferre. Conuenit autem cuiq; ætati & ſexui, lenit aluum, obſtructum lienem aperit, ventriculum confortat, humores melancholicos expellit. Quibus paralyſis metuenda eſt, apprimè conuenit. Hi, vti & apoplectici, quauis ſeptimana, bis ſumant hora vna, ante epulas veſpertinas, cum ſucco roſarum, quantitate auellanæ, adhibita rotula ex oleo fœniculi. Ad capitis fluxiones vſurpatur per duos aut tres dies, cũ ſucco aut ſyrupo glycyrrhizæ, vel rhapontici. Ad tuſſes & apoſtemata, cum ſyr. fęniculi aut violarum præſertim æſtate.

Tabidis datur cũ ſyr. glycyrrhizę; prædominãte verò ariditate & colore, cum ſyr. violarum, hora vna ante cœnam. Ictericio exhibetur cum ſyr. rhabarbari, manè & veſperi hora vna ante epulas, per tres dies. Ad menſes ciendos, cum ſyr. uiolarum, aut alio cõuenienti. In torminibus, cum ſyr. menthæ, bis de die. In dolore uentriculi, cum ſyr. rhapontici. Hydropicis, cum ſyr. abſinthij aut ſambuci, interdum bis. In melancholia & ſplenis obſtructione, itẽq; eparis, cum ſcirrho; datur cum ſyr. roſato ſolutiuo & rhabarbaro. Si febris adſit, cum ſucco uiolarum, uel roſarum.

In

In Quartana, cum ſyr. abſinthij. In Dyſenteria, cum ſyr. violarum, ſi ſitis infeſtat. Tempore Peſtis, alternis, vel tertio quoq; die, quantitate vnius vel duorum piſorum. In morbis ſubitis vtimur cum ſyr. glycyrrh. aut violarum, prout morbus vel calidus eſt, vel frigidus.

Doſis eſt quantitas auellanæ, in pane myſtico, in cochleari, vino pleno. Poteſt etiam hauſtus vini poſt deglutitionem ſumi, Sereniſſimus quidam Imperij Princeps hoſtiam vino intingit, & balſamum quantitate auellanæ inuoluit. Hæc, concepta cochleari, perfundit ſyr. rhabarbari, & deglutit. Sumit mane & veſperi, ante epulas.

Non opus eſt accurata diæta.

Nominatur der tuhlende Balſam.

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI COMPOSITVM.

Recip. herbar. & radicum hellebori nigri veri, in montibus collecti, & uino rubro mundati, manipulos quatuor. Conquaſſentur: & in uino rubro muſcatellino, uaſe bene obturato, menſes duos, in loco tepido macerentur. Poſt coquantur in aqua bulliente, per uiginti quatuor horas: ſuccus exprimatur: & filtretur. Dein recip. rurſus radicum & herbarum hellebori eiuſdem manip. unum:

Roſa-

roſarum rubrar.manip.quatuor: garyophyllorum drachmas ſex. Ponantur omnia, vna cum ſucco, ſuperiùs filtrato,in digeſtionem, per aliquot dies : addendo vini ardentis octauam partem, reſpectu vini præcedentis. Dein fiat expreſſio: expreſſumque ad extracti conſiſtentiam deſtilletur : cui adde ſalem ex cineribus reſiduis l. a. elicitum , extracti croci Oriental. drach. vnam : ambræ griſeæ drach. ſemis: moſchi ſcrupul. ſemis: eſſentiæ aloes,ſecundum Quercet.præparatæ,vnc.ſemis : diagridij rectè præparati drach. vnam ſemis: ol.garyphyllor. ſcrupulum ſemis. Miſce ſecundum artem. Doſis pilula vna maiuſcula,magni pretij & æſtimij. Plerumque datur veſperi à cœna.

PANCHYMAGOGVM.

Recip. pulpæ colocynthidos , α radic. hellebori nigri, β diagridij , ana vncias duas ſemis· turbith, γ hermodactylorum,agarici, aloes , ana vnc. vnam : fol. ſenæ Oriental, rhei electi , ana vnc. quatuor : ſpec. diarhodon abbat. vnc. vnam . Fiat extractum , ſecundum artem , cum aqua cinamomi , ſalem addendo, ex fecibus.

Doſis à ſcrup. vno ad drach. ſemis.

† *De hoc vide Crollium* pag. 138. *Quod etiam describit Isaacus Hollandus in opere vegetabili. Panchymagogum autem dicitur propterea; quòd trahat omnes humores.*

α *antiquæ.*

β *veri Styriaci.*

γ *gummosi*

δ *cum vino parata.*

ε *Non opus; vt ex superioribus constat.*

Descriptio panchymagogi non minùs facilis & vtilis est hæc.

Recipe folior. sennæ Alex. sine stipitibus vncias duas: Rhabarb. opt. vnciam vnam semis: radic. hellebori nigri Styriaci vnciam vnam: turpethi albi gummosi, polypodij querni, trochiscor. alhandal, agaric. trochisc. ana vnciam semis: medull. sem. carthami, myrrhæ rubeæ selectæ, ana drachmas tres: species. aromat. garyophyllatæ, diambræ, ana drachmas duas: cortic. citri drachmam vnam. Concisa & contusa extrahantur simul omnia, cum affusa spiritus vini boni, & aquæ cinamomi, ana libra vna semis: postea exprimantur. Feces iterum extrahantur cum sola aqua cinamomi tenuiori: procedatur postea secundum mentem Crollij, pag. 138. *Extracto adde extracti aloes, cum aq. betonicæ vel veronicæ facti, vncias tres. Fiat mixtio: deinceps ad maiorem consistentiam*

in ca-

in calido redigendam adde ol. garyophyll. gutt. X. *Dosis à gran.* X. *ad* XX. *vel.* XXVI.

ALIVD.

Recip. fol ſenæ vnc. quatuor: agarici, rhabarb. ana vnc.duas: turbith, hermodactylor. ana vnc. ſemis F. extractio,cum aqua ulmariæ, bugloſſæ, & cardui benedicti.

Recip.huius extracti vnc. duas: aloes electę unc. unam: extract. ſcammonij, per aquã communem parati,colocynthid.per ſpir.uini parati, ana unc.unam ſemis: ſalis gemmæ drach. tres: ol. aniſi, cinamomi, ana drach. unam. Miſce & reduc in maſſam.

Doſis gr. uiginti quinque.

ALIVD.

Recip. ſcammonij purgati unc.unam ſemis: eſſentiar. colocynthidis, ueratri nigri, ſpec. diarrhodon abbat ana unciam unam.

F. maſſa; miſcendo omnia,in uaſe uitreo: quæ demum malaxetur, cum ſcrupulo ſemis olei cinamomi.

Doſis à gr. octo ad ſedecim. Datur per ſe,uel cum balſamo aloetico,aut aquila Mercuriali.

Scammonij purgatio talis est: Scammonium pulueriſatum ſpiritu vini phlegmatico (nam aliàs ſp. vini non diſſoluit gluten ſcammonij) perfunditur: & in matracio, vnica facta ebullitione, per noctem in loco calido relinquitur. Manè ſeparato, per inclinationem, vini ſpiritu, alius affunditur: &, vt priùs, proceditur. Sic ſcammonium rectè à fecibus eſt purgatum, quod rurſus in B. M. ad mellaginis conſiſtentiam coagulatur.

Vnica ebullitione) Sume ahenum: *illi impone* philolam: cui incluſa ſit materia: ignemque lenem ſuppone. Sic ſpiritus vini citiùs ebullit; quàm aqua in aheno calefit. Ergò ſtatim tum auferatur, & in balneum tepidum per noctem collocetur.

Proceditur vt prius) Non, quòd poni rurſus debeat in ahenum: ſed in balneum tepidum tantummodò collocetur. Per ebullitionem enim totũ corpus fit ſpongioſum: vnde tinctura facilè per digeſtionem extrahitur. Atque ita extracta parari poſſunt, intra viginti quatuor horas, aut duodecim ſaltem, ſi ſint aromatica.

Scammonium benigniſſimum.

Vt mitior ſit Scammonij operatio. Recip. Scammonium pulueriſatum, quod imbibe aliquot guttulis olei ſulphuris per campanam

nam in aqua roſarum. Vbi ſolutum eſt, redige illud rurſus ad debitam conſiſtentiam: & poſtea in taleolas diſſectum cum ſpiritu vini extrahe, vt dictum.

Colocynthis, veratrum, & ſpecies diarhodon eodem modo extrahuntur, vt priùs; ſed cum ſpiritu vini optimè rectificato. Veratri tamen præparatio tutior hæc eſt: Veratri nigri veri, ſeu Auſtriaci, radices, groſſo modo contuſæ, digerantur in ſpiritu vini, calore tepido, per duodecim dies. Pòſt abſtrahatur vini ſpiritus, in balneo, ad conſiſtentiam ſpiſſiorem.

EXTRACTVM AD QVARTANAM.

Recipe aloes vncias quatuor: mrryhæ, α radicum gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, ana drachmas tres: croci Oriental. drachmã vnam ſemis: trium ſandalorum ana drachmam vnam: rad. aſari drachmas duas: folior. ſenæ mundatorum vnciam vnam ſemis: Mithridatij optimi vnciam ſemis. Pulueriſanda puluerisentur: fiatque maſſa cum ſyrupo β de ſcolopendrio, ex qua fiat extractum, cum aqua carduibenedicti: addito ſale ex fecibus: cuius doſis, ſcrupulus vnus, ad drachmam ſemis, pridiè acceſſionis, manè, cum drachma vna aquæ extracti.

α *electæ rubræ:*

β *melius cum ſucco, ſi haberi poteſt.*

In Quartanarijs cautè purgantibus eſt progrediendum; imò à medicamentis purgantibus vehementibus, vt & roborantibus calidioribus, ſummè abſtinendum. Quartana enim, ludibrium Medicorum, niſi conuenienter & molliter tractetur, ſiue iam recens nata fuerit, ſiue adoleuerit, aut ad ætatem aliquam peruenerit, rarò ſui dominatorem exactum relinquit. Præterea multum ſitum eſt in naturis. Quartanariorum, quæ ſæpè eludunt medicamenta, etiam cum mollitie ſumma adhibita. Loco autem purgantis aliquoties cum fructu tale exhibuimus decoctum: Recipe decocti ſenæ vncias quatuor: ſyr. roſarum ſolut. ſyr. è ſena, ana vnciam ſemis diacatholici, diaturbith cum rhabarbara, ana drachmas tres: cort. helleboni nigri ſcrupulum ſemis. Rediguntur, diluanturque pro potu, qui manè ieiunus 4. horis ante cibum exhauriatur calidè. Interim ſtatuimus, quod ad quartanas inueteratas non ſit præſtantius remedium Crollij digeſtiuo ex tartaro vitriolato, quod deſcribit pag. 117. *Tandem vomitum in hoc caſu à Cratone,* in Conſ. Medicinal. *approbari reperimus; verùm in hac febri haud prodeſt. Etſi enim regionem primam ventris aliquantulum expurget, & circa viciniora loca aliquid hetero-*

Circa Quartanã obſeruatio.

roge-

rogenei depopuletur: nihil tamen attingit, quod proximè febrem continet. A vomitu itaq; sæpè repetito potiùs abstinendum iudicamus. Nisi causam antecedentem respiciamus, dum educendæ pituitæ priùs incumbendum sit, antequam sentina illa melancholica eliminanda veniat.

MODVS hic parandi extracta purgantia, tàm simplicia, quàm composita vulgaris est. Noui autem modum α longè compendiosiorem, tincturam & omnem vim cathartica, spatio quadrantis horæ, è medicamentis purgantibus, absq; vllo calore externo, & additione vllius rei mineralis, eliciendi quo extracta longè maioris fiunt efficaciæ, quàm si trito & cõsueto more parentur.

α *Non certè est alius, quàm qui fit cum oleo tartari, admixtis guttulis 4. aut 5. ad singulas drachmas.*

THERIACA GERMANORVM. †

Grana iuniperi recentia & matura in mortario marmoreo conterantur: quibus ad singulas libras aquæ pluuialis destillatæ libræ quatuor superfundantur, & per triduũ, loco calido, digerantur: α postea per pannum colentur, β fortiter exprimantur. Colatura filtretur, γ exhaletq; ad extracti consistentiam; cui saccharum addere, vel non addere poteris. Siquidem per se dulce-

dinem quandam obtinet. ♃ Dosis drachmæ vna.

Datur in colica, calculo, suffocatione matricis, mensium suppressione, defluxionibus frigidis, hydrope. Est etiam præseruatiuum specificum contra pestem, & omnem aerem contagiosum. ε.

† *Hoc nominis putant à Paracelso tributum esse; verùm in scriptis eius id non inuenitur, Electuarium quidem iuniperinum proponit* Consil. Tom. V. pag. 105; *at longè alium magisq; compositum, atq; ideò etiam melius est hac theriaca.*

α *vel etiam coquantur leniter, ad horas non ita multas.*

β *agitando, vt nimirum pulpa tantùm transeat; semen verò & tunicæ remoueantur: quòd optimè per cribrum fit.*

γ *additurq; saccharum albissimum ad pondus extractionis.*

δ *ad cuius libram vnam adde pulueris zingiberis drachmam vnam, macis & calami aromatici, ana drachmas duas, cubebarum drachmam vnam, fiatq; electuarium in forma mithridatij, quod in vitro benè munito insoletur per mensem vnum; cuius vsus est à pastu.*

ε *caput enim & cor hoc succo mirabiliter recreantur.*

LAV-

LAVDANVM siue Νηπενθὲς † quouis Homerico prestantius.

Extractum α narcoticum dicitur Laudanum, quod laudatum sit remedium: ob insignes scil. effectus eius & operationes, quas in grauissimis morbis & atrociſſimis sopiendis doloribus magno cum fructu experimur: Nepenthes autem dicitur, quòd luctum sedet. Testatur enim Homerus, remedium tali nomine insignitum Helenæ β fuisse, quo omnes cordis languores & ægritudines abegerit, & iucundam hilaritatem lætitiamque induxerit.

Recipe tincturam ex γ hyoscyami vncijs duabus, cum spiritu vini, per spiritum vitrioli, vel sulphuris, acido facto, extractam, vt artis est: ex opij ♃ vncia vna, vt suprà, extractam: è croci Orientalis vncijs duabus extractam: Misce: & pone in locum tepidum, ibidemque relinque dies quindecim, quotidiè agitando. Ijs finitis, spiritum vini per balneum euoca: & massæ in fundo remanenti adde extracti castorei drachmas duas: tincturam ex uncijs duabus diambræ, per spiritum uini iuniperatum, in balneo vaporoso, extractum, vnà cum dissoluente. ε Stent in digestione, per mensem, sæpiùs agitando: dum omnis odor grauis euanescat.

Tan-

Tandem adde tincturæ ℈ coralliorum, ſuccini pellucidi præparati, ana drachmam vnam: oſſis è corde cerui ſcrupulum ſemis: tincturæ auri drach. ſemis. Omnibus in mortario marmoreo mixtis, & priùs contuſis contudendis, adde olei ſuccini, macis, cinamomi, aut ſcr. vnum: extracti moſchi (quod tamen in mulieribus omittendum eſt) ſcrupulum ſemis. Tandem hæc omnia pone in locum temperatum, vt exſiccentur, ad pilulas inde formandas.

Doſis à gr. j. ad quatuor.

† *Laudanum hoc verè laudatum Theodorus Zuingerus, vir ſummus & inſignis Medicus, primùm appellari cenſuit Nepēthes nomine, quod latinè ſonat, quaſi nullus luctus, ob ſummos autem & admirabiles effectus, quos exerit Laudanum, ei aptiſſimè & ſummo iure competit.*

α *Paregoricum hoc inſigne autor extractum quoque narcoticum vocitat, quamuis minùs conuenienter; ſiquidem qualitate eius narcotica & ſoporifera dependet potiùs à ſulphure quodam φιλογισῳ̃, fœtido & immaturo, quo opium plurimùm abundat, quàm à cauſa quadam frigida. Nam & fumus ſulphureus carbonum, & vapor ſulphureus, tam vini, quàm croci, multò citiùs hominem in ſomnium præcipitabunt profundum & letheum, quàm aqua*

niuis

niuis, aut glaciei montium, quantũuis in ſummo excesſu frigidiſſima. Hæc enim frigiditas caret ſpiritibus vaporoſis & ſulphureis, qui, cerebri ventriculos opplentes, eiuſmodi ſoporiferas inducunt affectiones. Odor præterea opti fœtidus certiſſimus index eſt eius, qui in eo ineſt, copioſi ſulphuris & olei. Quapropter, ſeparato & demto hoc ſulphure fœtido, opium hoc in anodynum præſtantiſſimum euadet: ſiquidem cauſa ναρκώσεως ſublata, neceſſe eſt, ipſa quoq; νάρκωσις tollatur. Vt hinc manifeſtè eorum error appareat, qui narcotica ab anodynis non deſtinguunt, cum tamen ipſe Renodæus. Inſtit. Pharmaceut. lib. 3. cap. 13. in diſpenſatorio Medico, profiteri cogatur, narcotica impropriè, ac ſolùm nominetenus, anodyna vocari.

ſentiam anodynũ, quã narcoticum vocitandũ.

Quum autem anodyna communiter ſint paregorica, quæcunq; dolorem tollunt: doloris verò cruciatuumq; enormes paſſiones leni introducto ſomno plerunq; conſopiantur, ac ſæpe etiam, dum quieſcit cum corpore morbus, ſimul dolorũ cauſæ extirpentur; ideò multum ſitũ eſt in mitigationum momento. Quicunq; igitur eſſentiale anodynum (non allioticum, aut narcoticum) ritè rectèq; præparatum, ipſi naturæ conuenienter applicare poterit, is meritò gaudebit, ſe, inſtructum theſauro Attalico, poſſidere panaceam ad oblitteram dum quoſcumq; tàm internos, quàm exter-

nos,

nos, cruciatus: ad id enim in acie nouacul.s constitutus, tanquam ad ſacram ſalutis anchoram, confugere poterit, nec colica, lumbago, vigiliæ, delirium, cardialgia, febrium inquietudines, vomitus, pleuritides, Arthritis, calculus, vteri ſuffocatio, morbus comitialis ſeu Herculeus, aliiq; quàm plurimi affectus repugnabunt. Quod ipſum ſanè memorabile illud exemplum Quercetani, in Pharmacop. 23. circa finem, *confirmat, quod ſic ſe habet: Matrona quædam ampliſſima, nec infimo loco nata, graui quodam affectu hyſterico correpta, intolerabilibus continenter affligebatur doloribus conuulſiuis, qui neq; Philonio, neq; pilulis cynoglo ſſæ, neq; alijs remedijs, ſiue internis, ſiue externis, mitigari poterant. Tandem nobis confugiendum fuit ad Nepenthes noſtrum: ex cuius vſu continuo prædicta matrona per quinque ſexuè menſes, ſingulis noctibus ſemel, & interdum bis, nullum vnquam in capite ſtuporem perſentiebat. neq; etiã ſpe ſua fruſtrabatur vnquam in doloribus ſubitò ſedandis, & quiete corpori concilianda. Interdum quidem ipſi, fallendi cauſa, pilulam aliam vtcunque animi cauſa formatã & magnitudine ac colore veris Nepenthes pilulis reſpondentem, exhibebamus: ſed ſequentem totam noctem inde lamentando & eiulando miſerè tranſigebat. Vnde altero die poſt certa grauique obiurgatione,*

ver-

verbisque satis asperis ac duris, nos excipiebat, seq; immeritò à nobis delusam, & nostra culpa & permissione, per totam n ctem, tantis doloribus & cruciatibus exagitatam conquerebatur. Quæ omnia à nobis in eum finem dicuntur, vt oculis omnium obijciamus tam præclaros & infallibiles Nepenthes nostri effectus, quod vnius tantùm piperis grani magnitudine exhibetur, contra omnes dolores, à quacunque causa ortos. Hactenus ille.

ß Helena tale remedium dedit Telemacho, quod quidam putant fuisse nostram buglossam.

γ An hyoscyami tinctura, quomodocunque parata, vtilis necessariaque sit ad Laudani optati confectionem, non immeritò quæritur? Nos negamus simpliciter, Hyoscyamus enim est narcoticum vehemens, adeoq; deleterium, vt non tantùm in hominibus insaniam, capitis vertigines, & veternum gignat: verùm etiam, Æliano teste, pastu illius resoluatur apri, vnde & suilla faba appellatur. Deinde hanc vim suã tantùm abest, vt retusam vel correctam exhibeat eius tinctura, vt potiùs propter summam tenuitatem, quam à vehiculo, spiritu vini, habet, cuius nimirum ministerio extrahitur, eandem magis noxiã prodeat: repagulis namq; crassitiei ipsius remotis clandestinè in omnes corporis cauernas sese insinuare potest. Quapropter hyoscya-

Hyoscyamitinctura planè inutilis est ad Laudani opiati cõfectionẽ.

hyoſcyami tinctturam meritò à laudabili laudani huius opiati confectione excludimus, & neutiquam huius laudati medicaminis baſin eſſe ſeriò ſtatuimus, ſecus ac quidam æſtimant.

δ Thebaici ſcil. Thebaicum autem optimum & præſtantiſſimum illud dicitur, quod ex Cairo aduehitur, albicatq́; , vt etiam vult Galenus. Ex Syria verò, Alexandria, & alijs regionibus allatum, nigrum, & minùs bonum eſt. Nec minoris virtutis eſt illud, quod ex Cābaia hodiè affertur.

ε ſeu menſtruo ſpiritus vini iuniperato.

ζ Vt à laudani confectione meritò hyoſcyami eſſentia excluditur, & omittitur; ita alia ſunt, quæ poſſunt: dicimus magiſteria gemmarum; vt hyacinthi, tinctturam coralliorum, bezoar, vnicornu, ambram, extractorum mumiæ, myrrhæ, olca aniſi, caryophyll, citriorum, nucis moſch. &c. quæ non tam virtutem medicamenti, quàm pretium & doſin, etiam in minima quantitate ægris abominabilem, adaugent. Omninò enim technurgemata pharmaceutica, quò ſimpliciora, eò perfectiora cenſeri debent; nam & crebriùs & faciliùs ſuo fine potiuntur, quia ſunt αὐταρκῆ, primamq; naturam æmulantur, quæ modicis commeatibus iter ſuum peragit ad opus perficiendum.

Ex hiſce luce meridiana clariùs patet, qualemnam doctiores Chymiatri laudani confectionem

nem deſiderant, & in Medico prudenti requirunt; nefas tamen puto, clariùs eius præparandi modum manifeſtare, cùm hoc, præclari Theodori Zuuingeri, iudicio medicamentum tale ſit, quod Medici manu parari debeat; ipſo alioqui vſu vileſcit, & ab vſu pharmacopœorum importunè adhibitum ſuſpectum redditur.

ALIVD.

Recip. Opij electi vnc. duas. Has ſcinde in paruas ſubtileſq; portiunculas: eaſq; ſicca in Sole, aut ſimili calore, donec reddantur friabiles. Hinc pone eas in matracium: & ſuperfunde tãtum aceti vini, ter aut quater deſtillati, quantũ eius ad quatuor digitorum eminẽtiã neceſſariũ. Relinque ita in fuſione, vſq; dum acetum valdè tinctum ſit: quod poſtea decanta: & aliud toties ſuper affunde; donec non ampliùs coloretur; & tunc acetum tinctũ filtra, deſtillaq; in balneo; donec tinctura remaneat in fundo, mellis inſtar. Interim, eodem modo, tinctura ex vncia vna croci eliciatur, per aquam vitæ communem: opijq; extracto ſuper affundatur: poſt per balneum exſtilletur; donec vtraq; tinctura ſimul iũcta, ad mellis formam, in imo ſubſidat. His adde magiſterij perlarum, coraliorum, ana drach. duas: ſulphuris narcotitici vitrioli, (quod cap. vigeſimo deſcriptum eſt) vnciam ſemis.

Vſus.

Vſus. Remedium eſt probatiſsimum tutiſsimumque in omnibus doloribus, ſeu veneris, ſeu alijs: ſiſtitq; omnem hæmorrhagiam, & ventris fluxum. Doſis eſt à gr.4.5. ad 6.

ALIVD.

Recip. Opij præparati, eſſentiæ *hyoſcyami*, ana vnc. vnam: Superfunde *ſpiritus vini*, infuſionis ſpecierum diambræ, abſque moſcho & ambra, vnciam vnam ſemis, atq; in balneo redige ad conſiſtentiam liquidiorem; cui adde coralliorum, perlarum, carabes albiſs. ana in tenuiſsimum ſeu impalpabilem puluerem redactorum, drach. vnam: oſsis è corde cerui ſcrupulum vnum: croci optimi, per ſp. vini extracti, ſcrup. quatuor. Incorporentur cum pauco ſpiritu cinamomi; vt fiat maſſa molliuſcula. quæ diuidenda in duas partes; quarum alteri adijciatur moſchi opt. ſcrupul. ſemis, ambræ griſeæ gr. ſex, alteri verò add. caſtorei ſcrupul. ſemis. Vtraq; maſſa ſeorſim digeratur in matracio, calore fimi equini, per quatuordecim dies; tandem ad vſum reponatur.

Doſis gr. trium vel quatuor.

Opium præparatur hoc modo: In minutas taleolas diſſectum, cum ſpiritu vini, facta vnica ebullitione, per quatuordecim dies,

calore

calore tepido digeritur : & tandem in balneo, ſeparato vini ſpiritu, ad conſiſtentiam debitam redigitur.

Hyoſcyami radices colliguntur, menſe Septembri; cum noua folia rumpere cœperint. E contuſis ſuccus exprimitur, qui, cum albuminibus ouorum depuratus, calore mediocri, coagulatur, ad conſiſtentiam ſolidam: ex quo, per ſpiritum vini, optimè rectificatum, extrahitur tinctura, quæ, in balneo, ad formam extracti redigitur.

ESSENTIA CHYNÆ

Clariſſimi Viri,

D. CASPARIS DORNAVI,

Philoſoph. & Medici ἰυχημονεςάτυ.

Recip. Ligni ſancti vnc. ſeptem: cortic. ligni ſancti vnc. tres: cicerum rubror. manip. vnum: aq. adpropriatar. lib. octo ſemis: vini Rhenani lib. duas: hydromelit. lib. ſemis. Stent in B. M. alembico cœco probè clauſo, per horas viginti quatuor, ſubiectis accenſiſque paucis carbonibus. Poſtea ebulliant omnia, & coquantur: dum libræ quinque remaneant. Hæ colentur, cum expreſſione: poſtea filtrentur Hermeticè.

ticè. Hoc eſt imprægnatum menſtruum, ad eliciendam tincturam, vt ſequitur.

Recip. huius decocti libras quatuor; vini Rhenani lib. ſemis; ſucci citrior. recens expr. vnc. duas: ligni ſancti raſi vnc. vnam: cort. eiuſdem ligni vnc. ſemis; radic. chinæ vnc. quatuor; ſarſæ parigliæ vnc. tres: ligni ſaſſafras vnc. vnam ſemis: radic. ſpecificar. vnc. duas; herb. effectui curando conuenient manip. ſex: florum pugil. ſex; ſeminum drach. octo: cornu cerui raſi vnc. vnam: ligni rhodij vnc. ſemis; cinamomi drach. duas: cubebarum, cardamomi, ana drach. vnam. Conquaſſata infundantur in B.M. blandè calido, alembico cœco optimè cſauſo. Poſt dies duas, coquatur in eodem alembico, vt remaneant libræ duæ, quæ colentur, exprimantur, & aliquoties filtrentur. Ponantur rurſus in B. M. ad digeſtionem per horas viginti quatuor: vt, ſi quid ſuperſit feculentum, ſubſidat. Refrigerata eximantur, & per inclinationem colentur, filtrentur. Rurſus in balneum collocetur liquor, & per alembicum exſtillet aqua ad vncias octodecim: quæ ſeorſim ſeruanda. In fundo cucurbitæ manet liquor ſpiſſior, potiſſima remediorum tinctura, quæ rurſus filtranda: cui addantur ſacchari penidij vnc. ſemis:

ſemis: aq. cinamomi opt. drach. duæ: ſalis ex fel ictis fecibus, ſ.a. extracti, drachmæ duæ.

Vſus. Exhibetur hic ſyrupus extractionis, manè pro ſudorifero, in lue venerea, arthritide, catharris, aſthmate, paralyſi & ſimilibus, à drachmis tribus ad ſex, loco prægrandis cyathi vulgarium decoctorum hydroticorũ. Aqua autem priùs ſeruata bibitur horis pomeridianis, ab vncia vna ad duas, ſine promotione ſudoris; ad quem tamen, ſequenti manè eliciendum, corpus præparat.

SYRVPVS EXTRACTIONIS FLOR. PAPAVERIS ERRATICI.

Recip. Florum papaueris erratici, probè mundatorum à parte nigra lib. vnam: aquæ papaueris erratici lib. duas: Macerentur per viginti quatuor horas in B. M. Deinde prælo exprimantur. Expreſſioni adde denuò flor. papaueris lib. vnã: ſpiritus vitrioli ſcr. ſemis. Macerentur rurſus & exprimantut quater. Vltima expreſſio, ablq; floribus, ponatur in B.M. per diem vnũ. Deinde filtretur Hermeticè. Filtrarũ ponatur denuo in B.M. per duos dies, ut feculenta probè deponantur. Exſtilletur aqua, quæ ſeorſim ſeruanda. Quod in fundo remanet, cola probè per inclinationẽ, & ſepara purũ ab impuro. Adde, exempli gratia, uncijs duodecim huius extracti & de-

purati ſucci, ſacchari unc. ſex uel ſeptem.

Eodem modo fiunt ſyrupi extracti florum Tunicæ, Calendulæ, Sambuci, Hyperici, Centaurij minoris.

Doſis ſyr. extr. papaueris erratici eſt drachmarum ſex; cùm vulgaris vix vncia vna ſemis ſufficiat.

CAPVT X.

De tincturis mollibus. †

ETSI TINCTVRÆ meritò propter operationes, quibus perficiuntur, & conſiſtentiam ſuam, ad extracta referri poſſent: tamen quia ab autoribus tincturarum titulo donatæ fuerunt: placuit, ipſis etiam peculiare caput adſignare.

† *Tinctura mollcs differunt à liquidis, quòd in illis fiat aliqua menſtrui euaporatio, & ſic aliqualis coagulatio: in his verò menſtruum ſeruatur vniuerſum.*

TINCTVRA MELLIS.

Miſce mel arenæ benè mundatę: vt fiat inde quaſi maſſa: ſuperfunde vini ſpiritum, ad eminentiam duorum digitorum. Digere per quinque vel ſex horas: coloratumque ſpiritū effunde: & alium effunde, donec non ampliùs coloretur. Tinctum ſpiritū filtra, & coagula.

Hæc

Hæc tinctura mirum in modum iuuat & nutrit phthiſicos.β

α *non omninò, ſed ad mollem conſiſtentiam vſque.*

β *potiùs veros hectticos, ſi eius quotidiè manè & veſperi exhibeatur cochleare dimidiũ, vel per ſe, vel in decoctis pectoralibus, præcipuè verò cum balſamo fœniculi; poteſt & in ſero lactis exhiberi.*

TINCTVRA CROCI.

Fit cum vini ſpiritu,α qui ſuper crocum infundi debet toties, donec tincturam totam attraxerit: & remaneat terra ſubalba. Tinctura filtratur: & S. V. leni balnei colore abſtrahitur. β

Vſus, Varias & egregias habet facultates; γ ſpiritusq; imprimis in ſyncopticis recreat & reſtaurat mirabiliter: ſi vncia ſaltem eius gutta, in iuſculo aut vino albo, exhibeatur.

† *Subintellige flores croci Orientalis.*

α *meliùs cum aqua vitis, vel ſero lactis.*

β *Exinde fit extractum, ſi ad conſiſtentiam deſtilletur.*

γ *Conducit & in apoplexia, ſi guttula linguæ aſpergatur, præſertim ſi. S. V. ſit præparatus cum floribus lauendulæ ac lilij conuallium. Eadem præſtat in morbis hyſtericis.*

Ferè similem in modum hanc troci tinctu-ram præparare iubet Libauius, dum inquit: tu-sum crocum, inq; syndone ligatum, merge in vini spiritum, ita vt in medio pendeat vitro: digere per diem, (vel donec color contractus sit) siq; alba substantia est in syndone, eam exime, & nouam impone materiam, idq; donec sat. coloris, habeas, post coagula. Quod si vno menstruo non possit extrahi totus color, plura adhibere per vices; acrimoniam elue aqua stillatitia. Coagula verò igne lentissimo, sine iactura coloris; lib. 2. Alchym. tract. 2. cap. 8.

TINCTVRA HRABARBARI.

Recip. Rhabarbari Monachorum, in frustula concisi, vnciam vnam. Superfunde olei amygdalarum amararum ad trium digitorum eminentiam, q. s. vel vncias quatuor. Pone in calorem solis, per mensem philosophicum, siue quadraginta dies: atque sic oleum rhababari essentiam in se deriuabit. Exprime deinde massam, per manicam Hippocratis, vel linteum. Expressioni optimum vini spiritum rectificatum affunde, atque in B. M. per aliquot dies relinque. Sic spiritus vini essentiam omnem rhabarbari attrahet. Hinc remanentiam rhabarbari iterum, cum nouo oleo, ponito in digestio-

nem,

nem, vt id rursus tingatur: iterumque per spiritum vini tincturam ex oleo euocato: quod tamdiu est repetendum; donec rhabarbarum nihil amplius coloris oleo suppeditet. Atque ita tinctum vini spiritum, per alembicum, ad dimidias destilla: quodque destillatum est redde: iterumque ad dimidias destilla: quod etiam quarta vice est repetendum. Vltimò denique totum per alembicum destilla: atque tum demum tinctura, vnà cum vini spiritu; per alembicum feretur, postea ad mellaginem, vel balsami formam, in balneo vaporoso, separanda.

Dosis gutt. decem vel duodecim in conserua aliqua, aut liquore conueniente.

TINCTVRA SACCHARI.

Recipe sacchari albi pulueriſati libram vnam: pone in cucurbitam, vel matracium: & adde aceti destillati cochlearia duo. Post digere in cineribus calidis, per sex horas: deinde superfunde aquæ vitæ rectificatæ q. s. vt supernatet ad duos digitos, & rursus digere, donec coloretur. Postea aquam tinctam effunde, & aliam toties reaffunde, donec vlteriùs non coloretur. Tum menstruum per balneum euoca. Sic tinctura, siue essentia rubra, manebit in fundo, quæ circulari a debet, cum aquis cordialibus.

& nec tamen hæc neceſſaria eſt circulatio.

Vſus. Prodeſt in ſyncope,& deliquijs animi, cum aqua cinamomi & roſarum exhibita.

TINCTVRA SALIS TARTARI.

Recip. Sal tartari puriſſimi, qui per reiteratas calcionationes; ſolutiones, filtrationes, coagulationes, & fuſiones, paratur, q.v. Pone hunc in crucibulum forte: & funde, inter prunas, tamdiu, donec ex viridiuſculo euadat cœruleus, & adeò acris; vt, ſuper linguam poſitus, eam ignis inſtar adurat. Tunc pone in matracium: eiqúe ſuperaffunde paullatim tantum ſpiritus vini; donec ad tres digitos ſupernatet. Relinque in frigido, per horam. Poſtpone in ignem ſabuli: lentèque bulliat; donec ſpiritus bene tinctus ſit: quem oportet ſeparari, & alium ſubſtitui; donec omnis tinctura ſit elicita. Eo facto, ſpiritus vini, per deſtillationem euocandus. Sic tinctura manebit in fundo, inſtar ſanguinis rubicunda, odorisque ſuauiſſimi.

Vſus. Doſis eſt, à quinque, ſex,ad octo guttas, in vino albo, aut iuſculo aperitiuo, ad pellendas vrinas, & reliquias luis vene-

rea.

reæ, aliorumque morborum inueteratorum. Apprimè etiam conuenit malo hypochondriaco: omnisque generis obstructiones reserat: & ventrem eorum, qui hac vtuntur, semper laxum tenet, & apertum.

TINCTVRA SVLPHVRIS.

Liquefac α sal tartari in tigillo: flores item sulphuris in alio. Postea simul misce, & spontè infrigidari permitte. Massam tere, cui spiritum vini superfunde, ad eminentiam quatuor digitorum. Digere: β (aliàs non succedit præparatio) donec colore rubicundissimo tingatur menstruum: quod per balneum separabis. Ita habebis tincturam, verum pulmonum balsamum.

[Si quis est, qui de hac pręparatione dubibitat, is sciat: eam optimè succedere dextrè operanti. Ego quidem talem tincturam rubicundissimam elicui, & post menstrui exhalationem, ad cuticulam vsque, crystallos diaphanos, magnarum virium, collegi.]

α *Modus hic præparandi tincturam sulphuris in* χειρόσει *ipsa non succedit. Alius itaq; substituendus.*

β *digestione non opus est.*

Penotus tincturam hanc vocat balsamum sulphuris simplicem, quem tali apparatu conficit: Recipe olei terebinthinæ drachmas quatuor; *Penoti balsamus sulphuris simplex.*

tuor; florum ſulphuris vncias duas. Flores ſenſim imponantur, vt eò melius ſolui poſſint; vitrũ poſitum ſit ſupra cineres calidos: moueantur ſæpius. Hoc totum ſtare ſinito in arena calida, vt fiat picis inſtar, quod octo vel decem horarum ſpatio fiet: ignis lentus ſit. Tandem huic materiæ ſuperaffundatur ſpiritus vini optimus, ad eminentiã trium digitorum, & relinquatur ſupra ignem lentum, & vini ſpiritus fit rubeus, quem effunde in aliud vitrum: nouumq; ſpiritũ affunde fecibus: & rurſus tinctus erit: quem etiam ſenſim ſepara, & vtrumq; ſpiritum ſimul iunge: ſpiritum vini tinctum impone in cucurbitam, & appoſito alembico extrahe partem illius ſpiritus, & tinctura ſulphuris manebit in fundo, quam ad vſum ſerua. In commentar. de vera præparatione & vſu medicamentor. Chymicorum. Nos vt breuiorem, ita & meliorem talem damus: Primò liquefac flores ſulphuris in tigillo communi, ne adurantur: poſtea guttatim adde oleum ſalis tartari per deliquium factum, ana: & tam diu agita, & miſce, donec fiat materia nigricans cum rubore: tùm terè, & ſtatim cum affuſo S. V. coloratur rubicundiſsimè. Huic ſolutioni nonnulli miſcent acetum, & ſtatim turbabitur, lacteſcetq; atq; hac ratione ſulphur ad fundum cadit gryſei coloris, quod longè præſtat ipſa tinctura. Datur in ſyrupto praſsij, iu-

Breuior et melior ſulphuris præparatio in forma pulueris.

barum,

barum, & alijs appropriatis, ſcrupulus vnus; vel amplius. S. V. poſt impoſitionem aceti fætet peſſimè; mirum tamen facit ad contracturam ex morbo Indico, ſi in decocto guaiaci ad ſudandum exhibeatur.

TINCTVRA ANTIMONII.

Recipe antimonium calcinatum, ad cinerum colorem talem, qualis ad faciendâ vitra requiritur. Puluerisa hoc, in mortario marmoreo, cum æquali pondere ſalis tartari. Deinde ſuper affunde bonum ſpiritum vini: & digere in balneo: donec ſpiritus ſit imprægnatus virtute ac calore antimonij: quem affundi oportet, per inclinationem; & alium rurſus ſuperaffundi; donec nõ ampliùs coloretur. Tunc ſpiritus vini per balneum exſtillandus: vt vera eſſentia antimonij in fundo maneat, ſanguinis inſtar rubicũda: & perſanãdis vlceribus malignis accõmodatiſſima.

TINCTVRA SMARAGDI.

Tere: & puluerisa Smaragdos, in mortario ferreo: poſt tinctũram extrahe, per vrinam infantis deſtillatam: digerendo, in loco calido. Cumq; vrinam deſtillatione abſtraxeris: ſuperfunde ei, quod in fundo reſidet, coloris leucophæi, bonum ſpiritum vini: tinctũramq; inde extrahe viridiſsimam: à qua ſpiritus vini ſeparandus.

Vſus

Vſus. Doſis eſt, ab octo, ad decem guttas, in aqua oxallidis, tormentillæ, plantaginis : contra omnes fluxus ventris & dyſenterias. Stomacho etiam imbecilli corroborando conuenit.

TINCTVRA CORALIORVM.

Antequam ad coraliorum tincturas accedam; operæ precium me facturum exiſtimo : ſi veterum errorem, de illorum natura, paucis hic refutem. Exiſtimant enim : coralium, in abyſſo maris, molle eſſe : extra mare verò, demum dureſcere. Vnde Ouidius ait, *quarto Metamorph.*

Natura coraliorũ in mari qualis.

Nunc quoque coralijs eadem natura remanſit: Duritiem tacto capiant vt ab aere, quodque Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

Et decimo quinto Metamorph.

Sic & coralium, quo primum contigit auras, Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub vndis. In eodem errore hæſerunt & alij, vti in Dioſcoride videre eſt, *lib.* 5. *cap.* 139. & adhuc ſunt, qui eundem fouent. Monardes enim, de Ambaro differens, ait illud bituminis genus eſſe, ex fontibus, in alto mari manans, quod aeri expoſitum illico denſetur, vt ſoleant pleraque, quæ ſub marinis aquis tenella

nella & mollia sunt, at aqua exempta durantur, vt coralium, succinum. Sed fallitur, & autoritate veterum decipitur. Generosus enim Dominus, Iohannes Baptista de Nicole, Eques Marsilienſis, & Regius piscationis coraliorum, in regno Thunetano, Præfectus, certò mihi confirmauit: quòd cum anno M. D. LXXXV, mense Iulio, in mari Bizertino, regni illius Thunetani, piscationem instituisset: cupiditate naturæ coraliorum inuestigandæ inductus, iuuenem, funibus sufficienter longis, alligatum, & pondere viginti quinque librarum, in vtraque manu, ad descensum tutiorem & commodiorem, libratum, in mare istud, centum perticas profundum, demiserit, ipsiq; in mandatis dederit; coralium euelleret, &, inter euellendum, curiosè attenteq; obseruaret, an molle, durũve esset. Qui, vbi rursus ascendisset; vtraq; manu coralij ramum attulerit, constanterq; adseruerit: illud non minus sub mari; quàm supra illud, durum esse: & se, cum ad octo perticas, aut circiter, propè fundũ maris, adpulisset, magnam ibi frigoris vim sensisse. Immò, quòd ipsemet etiam, cum relationi istius fidem adeò non haberet, in mare, cum retia, quibus coralia piscari solent, extrahenda essent, antequam in ipsum aerem efferentur,

ad

ad profunditatem vnius perticę, ſeſe immerſerit, & coralium, retibus adhærens, manu prehenderit; idq; tum æquè durum, ac cùm iam aeri externo eſſet poſitum, obſeruarit; Idem etiam confirmauit Dn. de la Piotier, Nobilis Lugdunenſis, qui anno cIↃ.IↃ.CXIII, ab eiuſmodi piſcatione, è Barbaria reuerſus eſt.

Retulit quoq; Dn. de Nicolae: quod vere, quando coralium euellitur, liquor quidam lacteus, ex eo, inter frangendum, emanet: qui, decidens ſuper lapidem, lignum, ferrum, aut aliam materiam, coraliũ producat: & quòd viderit in χειμηλιαρχίῳ Piſano, Magni Ducis Hetruriæ, hominis defuncti cranium, ex quo, in mari, magnus coralij ramus excreuerit: nec non anchoram, è mari extractam, in qua multi coraliorum rami, è liquore ipſorum prognati, conſpecti fuerint.

Sed de coraliorum natura ſatis: ſequitur nunc de eorundem tinctura, quæ ita paratur.

Diſſolue coraliorum vncias duas, in libra vna ſucci hominum, digerendo per octiduum, & poſtea filtrando. In hac tinctura α diſſolue ſacchari albi vncias octo, & digere euaporando ad ſyrupi conſiſtentiam.

Vſus. Doſis cochlear vnum in omni fluxu hepa-

hepatico, dyſenteria, β ſanguinis, & ſimilibus. γ

α *ſolutione potiùs.*

Non eſt hæc vera tinctura, ſed potiùs ſolutio. In vera enim tinctura, integra manente corporum compage, tantùm elicitur vis formalis; hic verò omnis ſimul compages corporalis ſoluitur à ſucco limonum: quod & doſis indicat, quæ in tincturis vix guttulas 6. vel 8. excedit. Eſt itaque potiùs ſyrupus.

β *Hic in dyſenteria, & alijs alui fluxionibus, præſertim malignis, conſtringendis, non tam reſpiciendum eſt ad reſtrictiua, quàm confortantia, ſine quibus ſæpius plus peccatur, quin etiam malum exaſperatur. Sic omnes fluxus inteſtinorum primariò à ventriculo pendent: huius ergo, vt partis mandantis, cumprimis ratio habenda fuerit, niſi fluxus nimis vrgeat; ideoque ventriculo corroborato, ipſi quoq; fluxus ceſſant: ſed tamen præmiſſo, influxibus incipientibus, vomitu, adhibitis epithematibus, tandem enematis abſtergentibus & conſolidantibus vtendum.*

γ *In febribus etiam peſtilentibus eſt arcanum ſummum. Id quod de ſe teſtatum facit Anshelmus Boetius de Boodt*, lib. 2. de gemm. c. 154. *dum inquit: Ego certò teſtari poſſum, me, cum extremè febri peſtilenti decũberem, animiq;*

deli-

deliquia ſingulis momentis haberem, quatuorq; dies & noctes abſque omni ſomno habuiſſem, omneſque adſtantes de mea ſalute deſperarent, ſex guttulis tincturæ, cum decoctione violarum ex cochleari propinatis, extemplò & quaſi miraculoſe fuiſſe liberatum. Quamprimum enim duo cochlearia tincturæ ſumſeram, cordis ſpiritus ita recreari, & naturæ gratiſſimum quippiam acceſsiſse, ac omnia præcordia ſubijſſe ſenſi, vt illico, q.luce depulſis tenebris, morbis vim medicaminis efficacia manifeſtè abijſſe perciperem. Sudorem enim & criſin mouebat, maculaſque quàmplurimas purpureas ad cutim pellebat. Quibus ſudore continuo deletis breui prîſtinam valetudinem recuperabam. Hæc Anſhelmus Boetius.

A L I A.

Recipe coralij triti q.v. infunde in aqua acida, vel quercus, vel iuniperi, vel guaiaci, vel buxi rectificata (ſicut in capite de aquis deſtillatis docuimus) vt menſtruum ad tres vel quatuor digitos emineat. Digere in fimo equino, vel eius vicario, ad octiduum. Quod diſſolutum fuerit, affunde: & aliud acidum toties reaffunde: digere, & decanta, donec corallia diſſoluta fuerint. Diſſolutiones per chartam emporeticam cola, vel filtra: & ad ſiccitatem deſtilla: Materiæ in fundo vaſis

relictæ

relictæ affunde optimum vini ſpiritum : qui tingetur inſtar ſanguinis rubicundo colore, per digeſtionem octo dierum. Separa liquorem tinctum à fecibus : aliumque reaffunde ſpiritum : digere & decanta : donec omnem tincturam attraxeris. Tandem ſpiritum tinctum filtra: & coagula, ad ſyrupi conſiſtentiam. Si placet, ſi circulabis eum cum aqua cordiali; vel adde ſaccharum, in aqua roſacea diſſolutum ; & reduc in ſyrupum.

[Quod hæc præparatio ſuſpicione alienæ tincturæ meritò carere debeat, hinc conijciendum eſt : quòd, licet illa menſtrua deſtillata, quorum ſuperiùs mentionem feci; per decennium digerantur, aut per ſe circulentur : nunquam tamen alieno colore inficiantur: & per conſequens non dare poſſint, quod non habeant.]

Hæc ſecunda tinturæ coralliorum præparatio non videtur carere ſuſpicione alienæ tincturæ, quæ non eſt à corallis ſed à menſtruis ea ſoluentibus : nunquam enim fit, vt menſtrua hæc, etiam recens deſtillata, per alembicum euocata, ſyncerè ſine omni ſedimento rubrò tranſeant. Per ſe itaq; dum hoc faciunt, multò magis, cum corpore coralliorum relictam eandem rubedinem tandem ſpiritus in ſe trahet. Genuina itaque tinctura hæc eſſe nequit.

ALIA.

Calcinantur α coralia cum ana ſulphuris : & tinctura per acetum deſtillatum elicitur, digerendo per quinque vel ſex dies. β

α *in catino, igne rotæ.*

β *Accto poſtea per deſtillationem euocato, & à coraliorum remanentia, per aquam dulcem repetita deſtillatione, acrimonia vini remota, tandem fit extractio cum ſpiritu, quæ tamen non rubeſcit eleganter; tinctura itaque vera non eſt.*

ALIA.

Coralia trita calcinantur, cum ana ſalis petræ, per horam, igne ita moderato, vt nitrum γ non liqueſcat. Poſtea calidè imponuntur in matracium, & ſpiritus vini ſuperfunditur : digeruntur per viginti quatuor horas. Spiritus tinctus effunditur; & alius reaffunditur : donec omnem tincturam attraxerit.

Melior corallio-rum præparatio.

γ *Melius operatus fueris, ſi ita calcinentur corallia cum nitro, vt ſimul per integrum diem naturalem fuſa maneant : Hac enim ratione nitrum magis diſcontinuat corallia, quo ad reddendam tincturam habiliora fiant. Nitrum poſtea ſepara à puluere corallo, per aquam calidam : ex puluere corallorum ſiccato tincturam extrahe cum ſpiritu ſufficienter, donec*

nullus

nullus color ampliùs transfundi possit, relictam corallorum materiam, recenti nitro fundendo, vt antea, calcina, &, separato nitro, tincturam cum spiritu extrahe, à qua superfluo spiritu per destillationem euocato, si ea in pelicano, aliquandiu circulata fuerit, insignium virtutum arcanum præstantissimum habebit.

ALIA.

Recipe Phlegma salis communis: in eo coralia digere: tinctum phlegma deple: & aliud affunde: continuando id, donec menstruum non ampliùs coloretur. Tinctum phlegma destilla, ad mellaginis formam; nec vlterius progredere. Aliàs enim calcinabuntur, & non nisi calcem accipies, calci testarum ouorum haud absimilem. Mellaginem hanc cum vini maluatici alcohole circula, & circulatum vsui asserua.

Eodem modo & è margaritis tinctura eliciatur.

Tincturæ coralliorum, vt & perlarum, decantatæ quamuis etiam hinc inde ab impostoribus & medicastris circumferantur; tamẽ potiùs sunt absolutiones ipsorum menstruorum, quam rerum soluendarum, ita vt eiusmodi non nisi apud veros reperiantur Chymiatros. Quocirca hanc licet difficilem, non tamen planè

Tinctura coralliorum licet difficilis, non tamẽ impossibilis.

impossibilem esse, euincit experientia, difficilem quidem; siquidem Crollius vltrò fatetur, se veram & genuinam apud neminem adhuc vidisse. Et magnus Zuingerus testatur, sibi veram tincturam semel tantùm videre & excipere contigisse. Nec propterea cum Crollio, p. 164. aliisque statuendum, quòd affusione aquæ mellis vera elici nequeat tinctura. Si enim spiritus mellis dextrè paratus soluat aurum, per sulphur & mercurium calcinatum, eiusque tincturam eliciat, quæ non sit à melle, sed ab auro in eodem spiritu dissoluto: multò magis igitur coralliorum tincturam ad se raptam spiritus mellis postea meliori menstruo, alcoholi nempe vini, lubens tradet. Et talis operatio per spiritum mellis nemini suspecta esse debet: experientia enim hic nobis fidem multoties fecit. Hic tamen non negamus, quòd melior & facilior per non corrosiua etiam vera coralliorum tinctura extrahi possit, quæ corpori humano conducibilior: imò tantarum virtutum, vt post eius vsum aliquoties repetitum impossibile sit, vllam impuritatem in massa sanguinis totius corporis humani superstitem esse posse, quæ exhibeatur in vehiculo conuenienti, à gutt. 3. ad 8. vel 10. Sed cùm talia sint, quæ ab omnibus doctrinæ filijs pro arcanis habeantur, nec nostrum eiusmodi reuelare oportet, quum sacra sacris esse debeant.

Per spiritũ mellis vera quoque elici potest tinctura.

Optima coralliorum tinctura fit per non corrosiua

CAP.

CAPVT XI.

De calcinatione ſalis communis, ſalis petræ, vitrioli, pumicis, lapidis ſpongiæ, cryſtalli, marcaſitæ argenti.

CALCINATIO SALIS COMMVNIS.

SAl commune poſitum in crucibulo, vel alio vaſe terreo, & ferè ad ſummum repleto coopertoque, locatur inter carbones viuos, donec vndique candeat, nec ampliùs crepet. Soluitur poſtea aqua communi; filtratur, & in ſcutella noua vitreata coagulatur.

Hæc calcinatio, ſeu potiùs præparatio, ſalis communis eum in finem fit, vt ſpiritus arſenicales & fortes, in ſale hoſpitantes, ignis beneficio aufferantur, humorq; ei admiſtus aduentitius pereat. Vtrumq; te conſecuturum eſſe certò confidas, vbi crepitus poſt candorem ſalis deſierunt.

CALCINATIO SALIS PETRÆ, ſiue cryſtallum minerale, ſeu lapis prunellæ.

Sal petræ vulgaris ſoluitur in aqua communi, & per chartam emporeticam traijci-

tur: quò à ſordibus omnibus expurgetur, Deinde vaſe vitreo decoquitur,& crebro deſpumatur, α antequam coaguletur. Exſiccatus teritur, & ſartagini imponitur: vt inter prunas β accenſas liquefieri poſſit. Liquati nitri libræ inijcitur florum ſulphuris vncia vna, non quidem ſimul, vna vice, ſed pluribus, donec omnis pinguedo γ deflagrauerit. Flamma autem, quæ cerulea, vitanda ♪ Hæc ſalis ſolutio, filtratio,decoctio, deſpumatio, coagulatio,eliquatio,& deflagratio ſi ter repetantur: ad medicinæ vſum ε ſufficienter præparatus eſt. ζ Et licet, quò magis terreus fuerit,eò copioſiores in deſtillatione reddat ſpiritus,ob naturam igneam, in ſicco terreo, tanquam in proprio domicilio latentem:tamen ſi ad præſcriptum hoc depuretur, fiet magis aereus, penetratiuus, diureticus, minùs corroſiuus. Ergo in operatione, de qua hic agitur,ſæpius depurandũ nitrũ,nec,quod ad inſtitutũ non facit,ſi perdatur,curandum.

Vſus. Maximo cum fructu in febri Hungarica vſurpatur: imprimis quando fauces, præ nimio æſtu, nigreſcere incipiunt. Datur eius η drachma ſemis, vel drachma vna, in aqua roſarum, ſemper viui,prunellæ, ſonchi, lactucæ; faucesq; tali gargariſmate ſæpius eluuntur: ſiquidẽ omnẽ oris & colli θ immunditiem

ditiē tollit. Elegantior tamen modus hic eſt:

Recip. cancros fluuiatiles viuos duos vel tres ſedi, ſeu ſemper viui virentis, manip. vnum. Contundantur ſimul in mortario: ſuccus exprimantur: colentur.

Recip. huius ſucci vnc. tres, aut circiter: nitri præparati drach. vnam. Diſſoluantur pro vſu.

Intra corpus etiam exhibetur, cum aquis refrigerantibus, ad alterandā cordis intemperiem calidam. Cum κ vini ſpiritu ſumptus tuſſim ſedat: cum aqua hyſſopi tām pulmonis, quā hepatis obſtructiones expedit: λ anhelitū difficilem curat: uocem deperditā reſtituit, eamq; ſonoram reddit: ſi dimidia eius drachma, cū oui vitello, mediocriter percocto μ matutino tempore, à ieiuno, quotidiè ſumatur. Valet præterea in multis ν alijs morbis tam internis, quàm externis: ut latiùs Iohannes Tholdeus, in ſua Halographia, & Bernhardus Penotus, in libro de præparatione medicamentorū Chymicorum, edocent.

† *Lapis prunellæ dicitur ideò, quòd inflammationi gutturis, quam prunellam vocant, ac faucium ſcabritiei, confiniumq; partium inflammationi, medeatur præſentiſſimè.*

κ *poſtea, antequam coaguletur, frigori in ſcutella lignea, præſertim ex vlmo facta exponitur,*

nitur, vt deinde in lapillos concreſcat; coagulatio autem ſuper igne non vſquequaq; tuta eſt.

β non continuò, ſed pedetentim, & quidem igne rotæ.

γ ſulphurea.

δ Quia nimis viſum diſpergit, prætereaq; odor pectori malignus: ideoq; operatio hæc ſemper ſub patienti camino perficienda.

ε ſal nitri ſcilicet.

ζ Tandem ſal nitri eliquatus & purus in vas ferreum, vel æneam peluim, priùs probe excalefactam, eſt effundendus, vt frigore concreſcat.

η ſcrupulus vnus, vel drachma ſemis &c.

θ inflammationem &

ι addito ſaccharo. Itaq; eius vſus in febribus eſt magnus.

κ Ad vnciam vnam ſalis petræ præparati, ſeu lapidis prunellæ, proportionaliter ſumitur S. V. libra ſemis; de hac miſtione exhibetur cochleare dimidium, aut vnum, ad duo.

λ potiùs ſpiritus nitri, quàm lapis prunellæ id præſtat.

μ in cineribus.

ν præſertim in febribus putridis, Vngaricis ac malignis: mirè enim putredini reſiſtit, expellit calculum renum, & veſicæ impuritates expedit, vrinamq; mouet, in aquis appropriatis.

Nota

Nota BARTHII.

Nitri bene præparati indicium est; si in lingua facilè & soluatur, & frigus suum actuale impensius exserat. Si salsum quid aut adustum sapiat, signum est nimiæ exustionis, & spiritus refrigerantis dissoluti. Ac propterea tunc intra corpus exhiberi non debet.

CALCINATIO VITRIOLI.

Vitriolum exsiccatur ad albedinem, in vase terreo, * non vitreato: igne moderato: postea is augetur, per horæ quadrantem, vt vitriolum rubescat: & tunc vocatur colcothar.

* *vel etiam ferreo, semper vitriolum intensè agitando; ne adhæreſcat nimis ac lapideſcat.*

CALCINATIO PVMICIS.

Pumex igitur, & quater vel quinquies in aceto vini extinguitur. Vltimò sine extinctione ignitur. Et sic facillimè in calcem soluitur.

Vsus eius ad metallorum & mineralium tincturas eliciendas.

CALCINATIO LAPIDIS SPONGIÆ. †

Lapis spongię ignitur: & toties in aceto destillato extinguitur, donec in calcem re-

solua-

ſoluatur. Eius vſus in calcinatione pro tinctura eliciendà.

† *Spongiæ in ſe habent lapides candidos friabiles. Hi crudo cum ſulphure calcinati leuiter, & cum aceto ſoluti, euaporatio poſtea aceto, in ſalem rediguntur; qui ſal, ſæpius per aquam pluuialem dulcificatus & purificatus ſoluendo, filtrando, & euaporãdo, eſt vtilis ad calculos renũ & veſicæ, in appropriato liquore vel vino ſumptus, pondere granorum 3. 4. 5. vel 6. Valet etiam ad ſtrumas diſcutiendas, ſi nempe omni mane fiat hauſtus propriæ vrinæ, & poſtea, in vltima Lunæ quadra, ſingulis diebus, ſumantur in vino lapidis ſpongiæ calcinati ſcrupulus ſemis, ſalis tartari ſcrupulus vnus, ſalis gemmæ drachmæ duæ; & nulla ſtruma tam contumans erit, quæ ſpatio duorum non cedat menſium.*

Ad ſtrumas remediũ.

CALCINATIO CRYSTALLI.

Cryſtallum, per ſex horas, in crucibulo reuerberatum, α reduc in puluerem ſubtilem: & miſce cum ana ſalis petræ: & denuò reuerbera, igne vehementi, horas octodecim. Fuſum proijce in aquam cœleſtem. β & quod indiſſolutum manſerit, exſicca, & reduc in alcohol. Deinde cum eadem aquæ coque: donec inſtar pultis inſpiſſetur: & expone ſuper partes vitri, in calido, γ vt exſiccetur:

cetur: iterumque reduc in alcohol. Et si volueris, (quamuis puluis præstare videatur liquori: quòd stomachus conuenientiorem ad pulueris dissolutionem habeat humiditatem; quàm loca subterranea) pone in humidum, vt dissoluatur. & Si quid indissolutum remanserit: id repetita calcinatione, cum nitro, & alijs, vt supra, fiet solubile.

(*Sunt, qui hanc præparationem valdè corrosiuam existimant: ac propterea crystallum pulueriſatum cum ſulphure communi priùs cõburendum ducunt: hinc calcem aqua dulcieluendam, & tandem cum ana ſalis petræ purificati calcinandam. Verùm ſi ea corroſiua eſt: talis eſt, vel ratione ſalis petræ; vel ratione cryſtalli. At non ratione illius: quia ipſimet cryſtallum eo calcinandam arbitrantur. Ergo ratione huius: atque ſic corroſio, quæ in cryſtallo latet, additione ſulphuris, vt volunt, non corrigitur. Sal enim armoniacus aciditatis ſulphuris fixatur, cum ſale fixo cryſtalli: quemadmodum fit in calcinatione coraliorum, Martis & Veneris: & ſic potiùs corroſio augetur; quæ aliàs non metuenda.*)

Vſus. Doſis eius eſt guttarum trium vel quatuor, cum ana olei Iuniperi, contra calculum renum & veſicæ, in aqua aliqua ſpecifica.

α *per ignem nudum, aut ignem rotæ.*

β *vel rorem maialem.*

γ *in hypocaustο, vel ſuper furnum.*

δ *ſi in deliquium abeat, præſertim menſibus Maio, Iunio, Iulio: hi enim menſes ad deliquia commodiſſimi ſunt.*

ε *aqua petroſelini, ſaxifragiæ, iuniperi, omnidis, raphani, &c.*

A L I A.

Candefac cryſtallum clarum & ponderoſum: eumque extingue in aceto deſtillato toties: donec minimo attactu in puluerẽ redigatur. Tum miſce cum ana *ſalis petræ*, & reuerbera α per octodecim β horas. Deinde multis ablutionibus ſal fixum ſalis petræ extrahe: exſiccatumque γ reduc in alcohol. δ Prodeſt in calculo, ε morbo caduco, ζ dyſenteria, η & lactis penuria. ϑ Quòd ſi verò quis hunc puluerem impalpabilem adhuc magis ſubtilem reddere voluerit: digerat eum viginti quatuor horas, in ſpiritu vini: & per retortam deſtillet. Quod fixum remanſerit, reuerberetur, vt ſuprà: ι digeratur & deſtilletur toties, donec maior pars cum ſpiritu vini aſcenderit. Tum, ſpiritu vini per deſtillationem ſeparato, quod in fundo vaſis hæret, ponatur in humidum, vt in aquam, ſiue oleum, diſſoluatur. κ.

α igne

α *igne rotæ.*

β *ad fluxum vsque.*

γ *scilicet corpus crystalli.*

δ *Dosis est à scrupulo semis, ad scrupulum vnum semis.*

ε *Paracelsus* lib. 1. de tart. tr. 3. *scribit: in lapillo duro non est præstantior medicina, crystallo. Hinc liquor crystallorum à multis vnicè in calculo totius corporis dissoluendo & expellendo commendatur. Id quod non est extra rem: prudentia tamen in administratione eius opus est singulari. Nam iste liquor neque confertim, neque continuè est administrandus, præsertim, vbi natura languidior extiterit. Eius igitur plures, quam* 10. *vel* 16. *guttæ vix sunt propinandæ simul & semel, neque id singulis diebus, sed paulatim; donec videlicet medicamenti operatio successivè ea præstiterit, quod scopus curæ requirit.* *Crystallorũ liquor sũmè commẽdatur ad calculum.*

ζ *Epilepsiæ aut alijs morbis caducis, non video, quomodo calcinatus crystallus inseruire poterit. Habet enim tantum vim ipsum cerebrum corroborandi; deinde etiam ineptus esse videtur epilepsiæ curandæ, propter crassam suam substantiam: oportet enim vt talia sint subtilioris substantiæ.*

η *cum vino: hac ratione etiam albos fluxus vterinos sistit: quin imò fluxum ventris, colicam,*

cam, & cœliacam citissimè, & à proprietate, veluti bezoarticum præsens, compescit.

ϑ cum melle, vino aut iusculo: crystallus enim à proprietate lactis vbertatem promouet.

ι cum nitro.

ϰ lauetur.

λ Dosis à gran. 10. ad 15. Sic huius pulueris scrupulis duo, cum oleo amygdalar. dulc. expresso exhibiti, è vestigio prosunt ijs, qui mercuriũ sublimatum hauserunt. Ratio ea est, quia sulphur, quod est in mercurio sublimato, statim sese insinuat huic pulueri, propter conuenientiam, & ita insinuando facit, vt mercurius iterum fiat currens; atque ita sine vlla noxa è corpore exit.

Melior crystalli calcinatio.

Sed melior est sequens crystalli calcinatio processu priori. Crystallus primò ignescat in tigillo; postea ignitus proijciatur in scutellam aqua frigida plenam, vt facilius in puluerem redigatur; vel comburatur prius pulueriſatus in mortario ferreo, cum sulphuris communis æqualibus partibus igne rotæ, in catino cooperculato: donec sulphur vniuersum difflagret auctoribus ignis gradibus; postea cum aqua dulci calx eluitur, quæ postea exsiccata trita ve cum ana salis petræ purificati miscetur, denuoq; in catillo cooperto igne rotæ, tàm diu calcinatur, vt fundatur simul, vbi refrixerint, exempta ex igne pulueriſentur, cum aqua pluuiali feruenti co-

ti coquantur : & tandem ad mentem autoris procedatur.

Nota. *Si cupis puluerem à ſuo menſtruo ſeparare, tũ adhibe tertium quoddã, quod ſit naturæ eius, quod à puluere ſeparare velis. E.g. ſi velis ſeparare puluerẽ cryſtalli ab eius menſtruo, ſcil. aqua vrticæ minoris, affunde parùm ſalis fuſi puluerizati: tũ efficiet hoc, vt aqua vrticæ relinquat puluerem, (quę nimirum aqua antea erat mixta cum puluere) & ſuperiorẽ partem occupabit; in fundo a. ipſe puluis ſolus manebit, & ſic in alijs.*

CALCINATIO MARCHASITÆ ARGENTI.

Contunde Marchaſitam argenti, α in puluerem ſubtilem, ipſiuſq; nigredinẽ aqua toties elue, donec ea clara & limpida inde defluat: poſt ſicca illam: & diſſolue in aqua facta ex ſalibus, ſulphureo & ſtiptico diaphano β Solutio ſit clara, cui nucleum rerum omnium liquidum γ ſuperfunde. Sic in momento præcipitabitur in alcohol, inſtar niuis candidiſsimum, quod ab omni acrimonia vindicari & exſiccari: deinde rurſus cum ſale præparato per dimidiam horam teri hinc lauari: & in vmbra, ſuper papyro, exſiccari debet: vſus eius eſt ad cutis vitia. ♃.

α *hoc eſt Vviſmouthum.*

β *hoc eſt, aqua forti, ex ſale petræ*

&

& alumine destillata. γ hoc est, spiritum vini, & cum vnguentis, præsertim cum vnguento pomato, ad lichenes, impetigines, scabritiem manuum.

CAPVT XII.

De Calcinatione Antimonij.

CALCINATIO ANTIMONII.

REcipe stibij electi libras quatuor, α salis prępparati libras quinque: β pulueriſata misceantur: & in vase terreo lato, plani fundi, super fornacem reuerberij agitentur, spatula ferrea continuè mouendo, per quinque γ vel sex horas, donec fumus cesset, & stibium fiat album & subflauum: (cauendum diligenter à liquefactione & fumo noxio) conterantur postea in puluerem, & sal affusione aquę, primùm calidæ, & dein frigidæ; eliciatur: quod exsiccatum & pulueriſatum sublima per se, in aludele, per decem aut duodecim horas. δ Floribus collectis caput mortuum tere: & ad rubedinem, mensis ε spatio, reuerbera: vase ita occluso, propter cineres: vt ignis in operatione sua ne impediatur. Post calcinationem tinctura ζ aceto radicato elice; & filtratione, menstrui separatione, & circulatione cum aqua cordiali, vlteriùs elabora.

(Hæc

(Hæc operatio fieri etiam poteſt abſque ſale; & quidem ſpatio quadrantis horæ: interim autem, cùm, priorem etiam bonam eſſe, expertus ſim: dedi eam in publicum fideliter & abſque fuco.)

α *duas potiùs.*

β *tres, ad modum præcedentis capitis; vel non opus eſt additione ſalis, ſed ſine eo hoc modo & meliùs calcinatur; ſi eius puluis ponatur ſupra tegulam, igne ſubiecto lento, nec fuſorio, continuè bacillo agitando ferreo, donec videlicet extracto fumo ſulphurco, tandem in cineres ſubalbicantes veratur.*

γ *tantillo ſpacio non abſoluitur.*

δ *vel etiam plures, igne neque nimis lento, neque nimis intenſo.*

ε *Philoſophici ſcilicet, qui conſtat 40. diebus.*

ζ *meliùs ex ipſis antimonij floribus, quam capite mortuo extrahitur tinctura nobiliſſima.*

Iubet autor colligere flores, vt forſitan alijs vſibus eos reſeruet; caput verò mortuum tritum per continuam coctionem, aut clixationem, in ignis gradibus tandem ad rubedinem figit, vt exinde tincturam extrahat; aut ſecus faciendum monet expeditior ratio. Flores enim ſublimati, tanquam nobiliſſima pars, & nobilior præ capite mortuo, in vaſculo vel vitreo, vel ter-

reo, firmo, rotundo, sed colli longioris, sunt beneficio, graduum ignis tam diu figendi, donec fiant rubini instar rubicundissimi: quibus affunditur acetum radicatum seu destillatum, vt octo digitos emineat, atque ita succedente tempore color rubeus extrahitur, totidem repetitis aceti affusionibus, donec nempe omnis color fuerit extractus: deinde vniuersum acetum coloratum in arena, vel cineribus, à tinctura abstrahitur; ea edulcoratur aqua communi stillatitia; dulcorata tinctura, cum alcohole vini coniuncta, digeritur, vase clauso, per quadraginta dies: tandem lenta admodum destillatione spiritus abstrahitur, tinctura antimonij preciosissima in forma olei restante. Huius dosis est à guttis tribus ad quinque vel octo. Medicamentum sanè ad restaurationem & renouationem totius corporis humani laudatissimum, in conuenienti vehiculo, præsertim verò in vino, exhibitum, omnes vitiosos humores ex corpore expellit, & quidem sine euacuatione manifesta, sola prauorum humorum correctione; succedente paulatim sudore spontaneo, fœtido quidem primùm, sed deinde rursus naturali; hepatis obstructionibus opitulatur, hydropem tollit ac dissipat, ictericiam curat; morpheam ac lepram tollit, & pro ea eliminanda nil ferè præstantius reperire licet; lienem rectificat; scorbuto medetur,

Tinctura antimonij preciosissima.

tur, matricis dolores ſedat; menſes mouet; calculos frangit, & alia infinita ſubſidia præſtat.

MERCVRIVS VITÆ, ſiue puluis emeticus. †

Recipe antimonij α pulueriſati vncias quatuor, Mercurij ſublimati vncias β octo. Miſce ſimul: γ & deſtilla in cineribus, δ per retortam vitream: cui applicetur vas recipiens, aqua communi ſemiplenum. Detur poſtea ignis, per gradus: donec liquor gummoſus, inſtar butyri, exſtillet; aut ſi ad collum retortæ hæreſcat, fluxum eius, appoſito ε carbone viuo, ζ promoue: & in aquam, in puluerem album præcipita; aut, quod commodius, deſtilla liquorem gummoſum, ex retorta, in excipulum abſque aqua: eumque aliquoties, antequam præcipites, rectifica. Hinc paulatim detur ignis η ſuppreſſionis: donec liquor rubeus ϑ egrediatur. Tum amoto recipiente, & alio ſubſtituto, ignis intendatur, per horam vnam vel alteram: ι (imò ſeſquihoram tantùm, niſi carbones perdere & tempus inutiliter terere velis) donec Cinnabaris, κ ad collum retortæ, ſublimetur: quam vaſe refrigerato colliges. λ Præcipitatum puluerem per noctem digere: & aquam ſpiritu vitrioli, ex ſublimato, imprægnatam; ad corallos & perlas diſſoluen-

das μ ſepara & ſerua: aliam aquam ſæpius præcipitato pulueri affundendo, donec omnis acrimonia tollatur: tandemque aqua cordiali ν ablue; & lentiſſimo calore exſicca ξ. Quod ſi vis, vt hic puluis per inferiora tantùm purget, tere ipſum cum ſale communi: poſtea laua & ſicca. Doſis, in robuſtioribus, eſt granorum trium, quatuor, quinq; ad ſummum; in debilioribus, duorum, in pilulam vnam redactorum, aut in pauxillo aquæ deſtillatæ per noctem infuſorum, & per linteum colatorum, aut in pomo octo, vel conſerua roſarum. ο

Vſus. Puluis hic emeticus omnes febres π intermittentes domat: peſtem item, luem veneream, ρ lepram, σ hydropem, τ vlcera, & ſimiles affectus graues. Atq; de Hydrope quod dico, ne quis in dubium vocet, D. Vauterius, Montispelienſis Medicus, amicus meus intimus, & Ego, duos, in hac vrbe, ſatis notos, quartanarios hydropicos, à præcipuis Medicis derelictos, mortique adiudicatos, dextro pulueris huius emetici vſu, hac ipſa hieme priſtinæ ſanitati reſtituimus.

† *Vocatur & puluis angelicus, item puluis Algorethi: Victorius enim Algorethus, Medicus & Phyſicus Veronenſis, id nominis ipſi dedit. Aliàs & Aquilæ albæ nomine venit.*

ο *fuſi.*

α *fusi.*

β *Nonnulli, vt Crollius* pag. 130. *summum vtriusq; ana.*

γ *terendo in marmore; sed cauendum est a fumo, qui inter terendum eleuatur; est enim à sulphure antimonij & sublimato ipso venenosus.*

δ *melius in arena.*

ε *foris.*

ζ *paulatim.*

η *qui fit carbonibus viuis super arenam, retortam tegentem, positis, s. accensis.*

ϑ *luteus potiùs.*

ι *vel etiam per horas octo, auctiore in fine igne, donec aliquandiu capella cum vasa retortæ canduerit.*

κ *Ex vtroq; enim, & sulphure antimonij, & mercurio sublimato, conflatur cinnabaris.*

λ *Cinnabarim semel atq; iterum, per retortam angustioris colli, ex arena sublimando rectifica, & in puluerem reduc, & habebis cinnabarim diaphoreticam.*

μ *non item; sed altioris & præstantioris vsus est liquor hic acidus, quem rectè philosophicum appellare licet.*

ν *vt betonicæ, buglossæ, meliss. cinamomi &c.*

ξ *in phiala vel mortario.*

ο *vide Crollium* pag. 131.

Febris. ☞ *In omnibus febribus rectè curandis maximoperè respiciendum est eò, vt nec ἀμεθόδως nec temerè, cura auspicetur. Quantumuis enim specifica vtramq; paginam rectè absoluunt in omnium morborum curatione: illa tamen vel sine ratione, id est, sine methodo, vel sine iudicio, exhibita, parùm proficiunt: stagnantibus nempe impuritatibus corporis contra specificorum innatas potestates mirabiliter dimicantibus. Quæ ratio itaq; est in cæteris morbis omnibus, ea etiam hic nullo modo negligenda fuerit. Sic, euacuantia possunt esse hoc loco varia & egregia, hinc inde ab autoribus descripta: ita tamen, vt temperamentum, ætas, sexus, & vires probè considerentur. Sic Mercurius hic vitæ, cùm sit emeticus, prodest febribus; longè (scilicet ante paroxysmum exhibitus) sed non quibuslibet, neq; indifferenter is cunctis est exhibendus. Operæ precium itaq; est, vt diligentiùs natura patientis consideretur, an nempe aduomitiones ferendas habilis sit, nec ne. Quòd si ad vomendum minùs dispositus sit patiens, hoc specificum potiùs intermittendum; & ad aliæ recurrendum, quàm temerè periclitandum.*

Luis Venereæ adumbratio, & ℘ *Lues venerea, nisi manifestissimis tuberculis & pustulis hinc inde in toto corpore, præsertim verò circa frontem, obscœnas partes &*

ad

ad femora, nominatim versus genua, prorum- *tura ge-*
pentibus se prodit, sæpius occulta est, facileq; *neralis.*
imponit, vt vel recens non rectè curetur, vel in-
ueterata difficulter cedat: accurato itaq; iudicio
opus est, quod vnicè dependet ex confessione
ipsius patientis. Prætere enim illos manifestos
gradus, quos Fernelius, de part. morb. &
sympt.lib.6.cap.20.& in lib. de lue Venc. c.5.
quatuor distinxit, plures sunt, propter commu-
nia cum alijs morbis symptomata, vix in cogni-
tionem peruenientes. Eos omnes & singulos
iudicabit concubitus contagiosus, vel cum scor-
to infecto patratus: eius itaq; si conscius fuerit
patiens, vt vt symptomata fuerint communia,
nihilominus si rectè omnia fieri debeat, non ali-
ter, quàm à lue venerea infectus, patiens tra-
ctandus fuerit. Quocirca insignis nonnullis &
certis indicijs aliqualis infectionis multùm si-
tum est improbè cognoscendo tempore duratio-
nis eorundem. Hinc morbus recens, aut nouiter contractus, ab inueterato ritè discernendus
fuerit: ille breuiorem, propterea q; faciliorem
hic longiorem & artificiosiorem requirit cu-
ram. Vtraque fundamentum & basin collo-
cat in Mercurio seu argento viuo rectè riteq;
parato, qui verus & vnicus est luis huius ἀλε-
ξίκακος & μιζότομος, quicquid contrà bla-
terent mirabilis & diuini medicamenti osores,

& roſores. Quòd ſi morbus inueteratus planè fuerit, leuiora locum habere nequeunt, præſertim ſi ſymptomata vrgentiora valdè moleſta ſint, ipſumq; corpus vndiquaque à morbo ipſo tantùm non prorſus deuictum. Hic itaq; purgantia Mercurialia maximè locum habent: Quinimò ſudores non niſi à mercurialibus fixis vel etiam in ſpecificum actis excitari debent. Nec ſaliuatio in hoc affectu negligenda, ſed inſtar certiſſimi ſigni habenda eſt futuræ ſanitatis; ea igitur prudenter obſeruanda, vt vel ſponte ſequatur, vel vlteriùs prouocetur. Quæ tamen citò non reſtrigenda, ſed potiùs promouenda, donec ſponte ceſſet. Quod ſi ſymptomata euidentiora etiam ceſſarint, probè quidem cura peracta eſt; ſin minùs, aut prædicta mercurialis mundificatio repetenda, ac ſaliuatio, ſi opus eſt, reſtauranda; aut ad diaphoretica tantùm, ſed mercurialia, progrediendum. Ab hac igitur methodo generaliter adumbrata lues venerea etiam inueteratiſſima facilè curatur, modò omnia rectè correſponderint, vt exinde Medicus de ſymptomatum moleſtijs haud anxius eſſe poſſit vel debeat. Nonnunquam verò in morbo Gallico benè curato relictæ reliquiæ, tanquam ſymptomatum ſoboles altiùs infixæ, etiam ſubſidiarias manus medicas, & quidem non ſegnes, ſed curioſas, poſtulant. Hoc itaq; vbi fa-

cto

ctio opus fuerit; aut prior methodus reuocanda, aut alia in auxilium accerſenda. Imò ſæpiſſime ſemel intromiſſus inquilinus hoſtis inducias non fert, quin præſentes auxiliares manus natura deſideret, præſertim vbi fluxiones malignæ frequenter methodum medendi interuertunt, aut noua ſymptomata pariunt. Sic inter reliqua recentiſſimum luis ſymptomata eſt Cryſtallina, *quam vocant, veſiculam nempe ad glandem membri virilis adnaſcentem, tranſlucidam: indeq; nominis ratio nata eſt. Eſt alioquin lethalis, ſi remedijs exquiſitè factis non curetur. Ferrum non patitur, nec leuiter coaleſcit locus affectus, etiam remedijs alioquin vlcerationibus venereis præſentibus. Verùm de his omnibus conſulantur immenſi Practicorum codices.*

o Hydrops confirmatus difficulter curatur; incipiens facilè. Nobiliora tamen medicamenta, *vtendiq; ratio expedita, prætereaq; ſubiectorum diſpoſitio æquabiliter affecta; quandoq; etiam hydropem confirmatiſſimum tollere viſa ſunt. Vbi probè obſeruandum, quòd in ſingulis hydropis ſpeciebus ſemper ab aperientibus per aluum, nunquam à diureticis, cura incipienda. Secus enim colluuies ventris, tota ad renes confertim quaſi coacta, ſummam difficultatem parit. Quocirca purgantia vniuerſalia* Hydrops.

ante

ante omnia præmittenda, inter quæ non infimum tenet locum mercurius hic noster vitæ, cuius dosis a gr. iiij. ab initio, postea auctiori vsq; ad 12. per aliquot dies continuos, præsertim in hydrope confirmato, stante tamen adhuc virtute ventriculi, maximè prodest. Qui in hoc casu nullos generat vomitus, sed tantùm per inferiora mouet: Ideoq; non immeritò autor scribit cum prodesse in hydrope.

Arthritis. † *Adde etiam in arthritide, cuius in hoc casu virtutes admirandas venerandus senex,* Iacobus Mosanus, *aulæ Cassellanæ Medicus celeberrimus, satis depredicare nequit; dum in consilio quodam, ad Illustrissimum Marchionem Badensem scripto, sic de hoc testatur, cum inquit:* Mercurius vitæ aquam tutò exhiberi possit, si Cels.V. exemplum deesset, possem, præter vulgus hominum, multorum generosissimum Comitum, & Nobilium fœminarum, & virginum nomina recensere, quæ ipsius vsum non solùm suo exemplo approbant, sed etiam in cœlum laudibus extollunt, nisi putem, in re tam manifesta non opus esse probatione. Huius Mercurij vitæ dosin 4. granorum V. C. singulis diebus accipere post Lunæ mutationem potest idque quater in mense. Hinc quatuor vomitus: decem vel octo sedes, sequentur, neque nau-

sea in

sea in stomacho vltra tres horas erit. Hora sequenti post assumptionem exhibetur haustus iusculi pisorum, vel carnis: postea à cibo abstinendum; donec vomitus planè desierit; tunc prandium capiatur leuiusculum. *Hæc Mosanus, quem, ob experientiam multiplicem, æternis laudum encomijs celebramus.*

Non tamen, quod hæc Mercurij exhibitio in senioribus procidentiam ani causetur, difficulter, aut vix postea sanabilem.

CAVTIONES,

In exhibitione Antimonij, & similium vomitoriorum, scitu maximè necessariæ.

Cautiones in exhibitione antimonij obseruanda.

I. Vomitu ij purgandi sunt: qui facilè vomunt, stomachum fortem habent, amplo sunt pectore, capite firmo, ad vomendum adsueti, & quibus materia morbifica sursum fertur.

II. Picrocholi, & qui à Medicis πικρωδεις appellantur, imbecilles viribus, quiq; difficulter vomunt; item, qui obnoxij sunt cephalalgiæ, hæmorrhagiæ, oculorum suffusioni, pulmonum morbis, lipothymiæ, & vteri suffocationi, non temerè, quod Pseudochymici & empirici factitant, & sæpe de

pe de alieno corio audacter & sceleratè ludunt, ad vomendum concitandi.

III. Exhibiturus antimonium, aut simile vomitorium, accuratè consideret circumstantias: ne quid nimis, minusve: vt tempestivè: quid præmittendum: quid post faciendum.

IV. Tempus vomitorium exhibendorum oportunissimum est, Luna crescens. Tum enim humores luxuriantes, & turgentes, tutò & facilè per vomitum excluduntur.

V. Vomiturus calide se contineat, & calidis pannis vitalia foueat: ne à refrigeratione tormina, vt sæpe fit, oriantur.

VI. Cereuisia non exhibeatur mox, à vomitorio assumto: sed demum, vbi æger bis tervè vomuerit. Aliàs ea vim vomitorij obtundit, non promouet.

VII. Cum materia probè est commota; & amara iam prodeunt: copiosior cereuisiæ haustus exhibendus; & sub finem tandem, ad stomachum eluendum, & quod restat praui, eliciendum, copiosissimus.

VIII. Sit autem cereuisia tepida: hæc enim nauseam mouet: non calida, qua ventriculos delectatur: nec vinum, quod fœtorem & tincturam attrahit, eique, per totum corpus, pro vehiculo est.

IX. Pro-

IX. Prodeſt iuſculum ſuperhauſtum acidulum ; modò oportunè id offeratur. Acida enim omnes reliquias ad inferiora præcipitant & deturbant.

X. In bilioſis naturis, vomitus bilis vltimò prodeuntis non ſtatim inhibendus, nec permittendum, vt ea commota rurſus reſideat & colligatur: ſed quotidiè pars eius aliqua educenda, aut repetito vomitorio, ſed mitiori; aut purgantibus; aut diureticis præcipitantibus, non volatilibus, aut ſpirituoſis, ſed acidis; aut ſalibus: vino item abſinthite; aut infuſo ex abſinthio, cuſcuta, carduo benedicto, ſena, rhabarbaro, centaurio.

XI. Non ſuperdormiendum vomitorijs : præſertim corporibus exiſtentibus bilioſis : ne per ſommum bilis in cerebrum feratur. Vbi tamen æger ſatis vomuiſſe viſus fuerit : ſomnus concedi poterit.

XII. Cum vires à vomitu fatigantur : confortationis gratia, vinum calidum, cum aliquot guttis olei caryophyllorum, in linteis, ad ventriculi fundum, tepidè adponatur.

XIII. Poſt vomitus, confortantia requiruntur, præſertim acida. Imprimis verò confert coralium fermentatum, cum roſarum conſerua mixtum.

XIV. Æger

XIV. Æger per interualla cibetur; cruſta panis ſuperiori toſta, & macerata, per quartam horæ partem, in vino, iure aliquo, aut cereuiſia, quæ ferè ob bilem melior, nuce moſchata, & cinamomo inſperſis.

CAVTIONES.

A Crollio, in Baſilica Chymica pag. 31, 35, & 36, traditæ.

Prima eſt: quòd in vſu antimonij cauendũ: nec adſint conſtipationes, α colici dolores, neue vnum principalium membrorum læſum ſit.

Secunda: ne in ijs β quibus antimonium offertur; vel ante, vel poſt eius aſſumptionem vena incidatur.

Tertia: ne picrocholis, & ijs, qui difficulter vomunt: ac qui viribus imbecillibus ſunt prediti, offeratur: ſed ijs, qui ad vomitum procliues, ſtomachum fortem habent, thoracem amplum & latũ, quiq; vomere aliàs ſunt adſueti, & quib⁹ humorẽ materia ſurſum fertur.

Quarta: quòd, vbi ſeſe vomitus mouet, exhiberi ſoleat offa, aut ius piſorum leuiter coctorum, vel gallinarum pingue, aut calidæ cereuiſiæ hauſtus, reiterando, ſi opus aliquoties, vt facilius vomatur, & medicamenti acceleretur actio.

α alui

α aluũ ſcilicet.

β in Canone 2. Crollij nullam videmus rationem, quamobrem is poſt exhibitum antimonium venam aperiendam diſſuadeat : nec enim metus vllus eſſe poteſt vllius heteropraxeos, prudenti quidem medico valdè indigna, etiamſi, neceſsitate ita requirente, poſt antimonium ſanguis mittatnr. Imò ſunt, qui nullis alijs, quam antimonialibus purgantibus vtantur, ſæpe tamen ab ijs inciſiones venarum admodùm ſalubriter abſoluerunt. In pleuritide exquiſita, item in febribus tertianis intermittentibus, poſt aquam benedictam, quæ ex Croco metallorum antimoniato fit, exemplo Mart. Rulandi Patris, vel ducenties venas ſe incidiſſe; nec vſpiam à ſcopo aberraſſe, teſtatus eſt coràm celeberrimus Hartmannus. Huic commodè annumeratur vltima regula Crollij, pag. 136. *quæ in peſte vnicè eſt obſeruanda.*

Nota BARTHII.

I. Doctiſſimi quique & exercitatiſsimi Chimicorum Coryphæi puluerem hunc à Mercurio ſublimato prouenire arbitrantur. Vnde eum, albiſsimum Mercurij corpus; liquorem gummoſum Mercurialem; &, vbi is ritè præparatus eſt, vitæ Mercurium, nuncupant. Verùm puluis hic emeticus nihil

aliud

aliud eſt; quàm regulus antimonij, ſpiritu ſublimati vitriolico diſſolutus & calcinatus: cuius ſpiritus plus aut minus iſte puluis in ſe continet; quo magis aut minus eſt elotus. Poſſet pluribus, de hoc ſpiritu Vitriolico, ſpiritu illo vniuerſali, qui in omnibus mixtis reperitur, & ſine quo nihil, quod eſt, virtutis aut vitæ; in hoc mundo, quidpiam in ſe continet, agi. Sed hoc eſſet, euagari extra limites noſtri inſtituti: & materia hæc digna eſt, quæ volumine integro potiùs; quam diſcurſus Laconico tractetur. Vt igitur ad *id*, à quo digreſſus ſum, reuertar; dico: *quod* ſpiritus Vitriolicus extremam *habet* ſympathiam cum metallis, excepto auro, & tantò maiorem aut minorem cum reliquis mineralibus; quanto magis aut minùs ad metallorum naturam accedunt. Et quia regulus antimonij magis ad naturam metallicam accedit; quam Mercurius: fit: vt deſtillando Mercurium ſublimatum, cum antimonio, ſpiritus vitriolicus ſublimati relinquat Mercurium, & ſeſe aſſociet regulo antimonij; ſeque calore vrgeri & expelli animaduertens, diſſoluat & calcinet regulum, abeatque, per retortæ roſtrum, in liquorem gummoſum aut oleoſum: qui cum guttatim, in aquam, quæ in recipiente eſt, defluit: ſpiritus

vitrio-

vitrioli in aqua ſe diſſoluit & diſpergit; regulus verò ad fundum recipientis, ſub pulueris albi forma, decidit. Hoc etiam ſapore aquæ, ſpiritu vitriolico imprægnatæ, & fuſione huius pulueris emetici, ad ignem magnum folium, in verum regulum antimonij abeuntis, cognoſcitur. Præterea, toto liquore gummoſo deſtillato, nihil amplius in cornuta reſtat; quàm Mercurius ſublimati, & ſulphur antimonij: cumque hæc magnam inter ſe habeant ſympathian: dando ignem ſuppreſſionis, in collo retortæ in cinabarim ſublimatur. Vnde infallibiliter concludo: puluerem emeticum nihil aliud eſſe; quàm regulam antimonij calcinatum, per ſpiritum vitriolicum, qui eſt in ſublimato.

Mercurius ſublimatus

Mercurius Spiritus Vitrioli

Antimonium.

Regulus Sulphur.

II. Errant in doſi, & ad naturæ pondus non attendunt, qui ad lib. vnam Mercurij ſublimati, plus, quàm libram ſemis, antimonij adijciunt. Si enim plus de hoc addas: manet illud in fundo retortæ indiſſolutum.

III. Si gummi vel butyrum antimoniale in aqua pura reſoluatur: flores albi petunt fundum: & ſpiritus vitrioli & ſalis, (quorum miniſterio mercurius currens ſublimatus fuit) aquæ acidæ immixti remanent: quæ ſi deſtilletur, poſt ſeparationem phlegmatis, remanebit verus vitrioli ſpiritus, in epilepſia, & alijs morbis pellendis efficaciſſimus.

IV. Ex cinnabari, quæ ad retortæ collum adhęret, excellens parari poteſt medicamentum antepilepticum, hunc in modum.

Recip. cinnabaris ſupra dicta, & ſemel atque iterum rectificatæ, vnc. vnam: magiſterij coralliorum, margaritarum, cranij humani, cornu cerui, ana drachmas duas Miſce F. puluis; cuius doſis granor. octo, in adultis: in iunioribus verò, habita ratione & ætatis & virium doſis eſt minor. Solent aliquoties propinare, vel in ipſo paroxyſmo, vel paulò poſt in aqua florum tiliæ, vel ceraſorum nigrorum, vel flor. pœoniæ, vel alterius adpropriatæ. Immò hoc certiſſimum habent ex hoc puluere ſignum: ſi patiens euomat puluerem, etiam ſecundò vel tertiò repetitum; malum eſſe hæreditarium & incurabile; ſi verò retineat, ſanabile. In paralyſi etiam, tanquam certiſſimum remedium, prædicant, propinantque intra dies octo ter,

eadem

eadem dosi, cum theriacæ veteris scrupulo vno ad sudorem potenter ciendum.

V. Quidam aiunt: huic pulueri emeticam vim posse adimi; vt per inferiora, tantùm purget: si cum ana salis petræ, tres aut quatuor horas, forti igne, in matracio figatur; nitrum postea remoueatur: & aqua vitæ, quæ super eo etiam comburenda, abluatur.

VI. Puluis hic, etiamsi multoties infundatur, tamen semper easdem vires retinet.

HEPAR ANTIMONII.†
siue Crocus Metallorum. *

Recipe antimonij crudi lib. α vnam: salis petræ vncias β duodecim. Misce: & trita impone mortario ferreo, ad latus γ posito. Deinde adhibito carbone ♂ viuo, puluerem accende; Ita antimonium figetur, & arsenicali suo sulphure spoliabitur. Tandem sal petræ separa, & hepar relictum edulcora.

Vsus. Exhibentur eius grana duodecim, ad viginti, in infusione aquæ carduibenedicti, vel alio conuenienti liquore, vel cum conserua aliqua, in omnibus febribus, etiam pestilentibus, & similibus affectibus, in quibus ἄνω & κάτω leniter simul purgare voles.

† *Hepar dicitur, quia hepatis vitulini, aut alterius animalis, colorem refert.*

† *Crocus appellatur, quia penè colorem croci adhuc in floſculis ſuis ſubrubentis refert; metallorum verò crocus dicitur, quia communi opinione Hermeticorum receptum eſt, magneſiam illam Saturni, quam aiunt eſſe antimonium, (quod tamen non eſt) eſſe ens & radicem omnium metallorum. Hinc metallorum crocum Martinus Rulandus Pater etiam vocat Terram ſanctam.*

ß *vel etiam recipe vtriuſque ana.*

γ *inclinatio.*

δ *commodiùs ſpatula ferrea ignita circumagendo ſemel.*

Croci metallorum præparatio vera.

Nos ſic paramus: hepar antimonij pulueriſatum in aqua feruenti ebulliat, per horam vnam atque alteram, & feces adfundum præcipitabuntur; aqua verò colorabitur inſtar croci, quæ à fecibus, dum adhuc calet, decantata, & per chartam emporeticam tranſmiſſa, relinquatur per noctem, donec rubedo probè ſubſideat; hæc, remotis aquis, ſale petræ fixo adhuc imprægnatis, ac propterea per euaporationem in ſartagine reducendis, ſemel atque iterum edulcorata aqua communi, ac poſtea exſiccata, exhibet verum crocum metallorum, ita à Martino Rulando, Centur. 5. curat. 95. *vocatum.*

ALIA STIBII CALCINATIO.

Plerumq;

Plerumque per inferiora tantùm purgans.

Recipe antimonij electi, α salis decrepitati, ana lib. vnam: Trita, & simul mista reuerbera, β in crucibulo, probè lutato, γ per duodecim horas, ignem paulatim augendo. Vase refrigerato, toties aqua dulci ablue, donec omnis acrimonia tollatur. Postea exsicca & δ tere. Dosis viginti quinque granis ad triginta quinque. ε

α *quod fusum habet strias longiores & splendidiores.*

β *igne rotæ.*

γ *superne benè clauso.*

δ *cum sale decrepitato, aliquandiu in marmore tere. Tandem salem per aquam dulcem remoue, & puluerem sæpius eluendo edulcora, post puluerem exsiccatum ad vsum reserua.*

ε *potiùs à scrupulo semis ad scrupulum integrum.*

Huic antimonij calcinationi sequens eiusdem præparatio, quæ simplex est, æquiparanda.

Recipe antimonij crudi lib. vnam: vini albi lib. duas: teratur antimonium subtilissimè, ac vino misceatur, vitro bene cooperto. Stet dies triginta, in balneo, vel alio loco tepido: sæpiusque agitetur. Postea de-

ſtillato vinum, puluereмque relictum aquâ roſacea dulcorato: qui à granis 10. ad 30. exhiberi poteſt.

Quidam etiam antimonium, vt per inferiora tantùm purget, ita parandum cenſent.

Recipe gemmam vel vitrum antimonij: tere in puluerem ſubtiliſſimum, in mortario vitreo; eumq; oleo vitrioli, q.ſ. ad plenè humectandum, imbibe. Hinc impone arenæ, vel cineribus calidis, in vitro aperto, donec ſiccus euadat: hocque vicibus quatuor reitera.

Doſis granorum duorum cum conſeruâ roſarum, aut pilula vna panchymagogi.

Alia antimonij præparatio.

Vel recipe vitri antimonij q. p. puluerisa, affunde in matracio oleum ſeu ſpiritum vitrioli, non (quod notandum) rectificatum, vt ſuperemineat duobus digitis; relinque in calore moderato aliquandiu, & oleum redditur nigro puniceum. Eius guttæ 4. 5. 6. vſque ad 10. in aliquo liquore conuenienti exhibitæ, ſine omni noxa, nauſea, & vomitu, aluum tantùm ſoluunt; catharticum admodùm vtile, & multis morbis accommodatum.

REGVLVS ANTIMONII.

Recipe antimonij, ℞ ſalis petræ, tartari, ana libram vnam. Tere: & miſce, dein col-

loca

loca crucibulum inter prunas accenſas, vt candeat. Tum inijce cochlear puluerum: β & ſtatim operi, donec fumus ceſſet. Poſtea amoto cooperculo, nouos puluueres inijce, & claude: ad finem vſque ita continuando. Tandem da ignem fuſionis, & crucibulum moue; vt regulus fundum petat. Crucibulo frigefacto, Regulũ à fecibus ſepara & ſerua.

α *alij accipiunt libram vnam antimonij, ſalis petræ vncias duodecim, tartari vncias octo, puluerisẽ carbonum manipulum vnum.*

β *& detonabit*, es iuird verpuffen; *aut recipe nitrium ac tartarum in prædicta quantitate, detonẽt priùs; tum pulucrem miſce cũ antimonio puluerisato, & in crucibulo per ſe fiat regulus.*

Feces ſeu ſcorias & recrementa antimonij nominant vulgò ob ſimilitudinem quandam regulum corruptum, propterea quod eiuſmodi impuritates ipſi antimonij regulo vndique adhæreant. Quæritur iam, num eſſentia quædam Chymica hiſce ſcorijs inſit? Dicemus ne, illas quidem per ſe eſſe reiectaneas; at quia aliquid eſſentiæ continent, in pretio haberi, tanquam magiſteria, donec ea ſit extracta? Et certè ex reguli corruptione [quæ ſunt feces ipſius reſiduæ] oritur tùm ſal antimonij, quod nonnulli aurum medicorum vocant, author verò noſter ſulphur auratum appellitat, à forma

Sal antimonij nõ nullis aurum Medicorum dicitur.

deſumptum ſcilicet externa; cùm potiùs ſit ſal ſummè diaphoreticum, multis morbis, præſertim epidemijs, depellendis aptiſſimum; tùm etiam oleum quoddam craſſum ac fœtidum, quod ſummè efficax eſt in ſuffocatione matricis, ſi nimirum illud aſpergatur prunis, & fumus eius excipiatur per inferiora. Hinc autor pergit.

Sulphur auratum diaphoreticum.

Ex fecibus autem huius fit SVLPHVR AVRATVM[a] DIAPHORETICVM, hunc in modum: Recipe feces reguli, vt ſuprà, præparati: eaſq; reduc in lixiuium, per digeſtionem, vel ebullitionem: illudque calidè per chartam emporeticam traijce. Huic lixiuio frigefacto, adde parum aceti deſtillàti; & videbis paulatim fundum petere. Lixiuium per inclinationem ſepara: crocumque reiteratis multis ablutionibus dulcoratum & ſiccatum ſeorſim collige, & ad vſum ſerua.

Vſus. Hic inſigne eſt ſudorificum, & ſanguinis mundificatiuum, multis morbis depellendas aptiſsimum: ſi in conuenienti liquore exhibeatur. Doſis à ſcrupulo ſemis ad integrum.

[a] *Huius meminit Quercetanus*, in Pharmacop. in 4. p. 243.

Lixiuium è fecibus Reguli, cum aqua communi paratum, & ſupra prunas effuſum,

pro-

prodeſt fœminis, obſtructione menſium laborantibus, vapore eius, per infundibulum, in vterum recepto. Sæpe enim fit: vt ab eius vſu, antequam hora effluat dimidia, menſes hac ratione proritentur. Sanat etiam ſanguis antimonij herpetes & vlcera ſerpentia, ſi eo inungatur. Atque adeo hoc remedio, in Argentinenſi quodam, herpetem eiuſmodi, à capite, ad lateris regionem vſque, ſeſe extendentem, cum omnium ſtupore, Korndorfferus percuraſſe dicitur. Interim tamen complexionibus biloſis non adhibeatur: niſi partes vicinæ muniantur. Violenter enim agit.

REGVLVS MARTIS STELLATVS.

Recipe apicum clauorum equorum ♃ lib. ſemis: antimonij lib. vnam, Candefac ♂ Martem in crucibulo: cui adde antimonium tritum: & cooperi: dando ignem fuſionis. ♈ Poſtea inijce per vices vncias duas nitri, ad comburendum antimonij ſulphur. Quod vbi deflagrauit, exime ollam ex igne, & effunde omnia, in catinum triquetrum, atque aquam frigidam ſuperfunde. Sic maximus ſtrepitus & efferueſcentia excitabitur. Hinc Regulum ſeparatum in crucibulo funde: & adde vnciam vnam nitri per vices, vt

ſuprà,

ſuprà, & proijce in conum fuſorium: δ Hoc quater, quinquies ε vel ſexies repete: donec ſtella ſuperiùs in Regulo conſpiciatur. Accipies vncias vndecim Reguli ſtellati.

α *vel quoſuis clauos ferreos*, ſo ven zehem ciſen ſind.

β *hoc eſt, da clauos in crucibulo, à ſcorijs ſeparatum denuò.*

γ *Martem fluidum reddit Antimonium: qui ſanè omnimodus fluor ſpatula ferrea explorari poteſt.*

δ *anteà paulatim excalefactum, & ſebo vel cera intus illitum: marginem coni fuſorij ſuperiorem leuibus iſtibus malleo tunde, donec requieſcens ad fundum regulum mittat.*

ε *Stella in hoc Martis regulo ſolida quarta ad ſummum fuſione fit; quod ſi non hac, nec ſequentibus contiget, & certò ſtatuas, te non ad amuſſim in prioribus ritè progreſſum eſſe.*

Nota. *Regulus Martis ſtellatus feliciùs ſuccedit cœlo ſereno, & Luna creſcente; aliàs enim vix ſuperiùs ſtella videbitur.*

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM.

Recipe antimonij, ſalis petræ, ana libram vnam. Pulueriſata ſimul miſce: & pone crucibulum α inter accenſas prunas, vt candeat.

Tum

Tum inijce vncias duas, aut circiter, huius mixtionis: ſtatim crucibulum operi: donec fumus & ſtrepitus ceſſet. Poſtea amoto operculo, nouos puluéres inijce & claude: ita ad finem continuando. Tandem da ignem liquefactionis, ad horæ quadrantem. Vaſe refrigerato, materiam exime & tere: miſcendo, vt ſuprà, cum ana ſalis petræ, eodem modo calcinando, & elaborando, vt ſupra. Materiam tritam, & ablutionibus β dulcoratam, reuerberata in vaſe terreo clauſo, viginti quatuor horas: donec puluis fiat candidus: cuius doſis gran. quindecim. γ.

α *maius.*

β *aqua calida.*

γ *ad ſcrupulos duos. Vſus huius mirificus eſt, in rumpendis internis apoſtematibus; item in lue venerea recenti.*

ALIVD, quod BEZOARTICVM minerale appellant.

Recipe ſpumæ venenatæ duorũ draconũ, ſiue butyri antimonialis, vel liquoris gummoſi, ex Antimonio crudo, & Mercurio ſublimato, deſtillati, ſemel rectificati, vncias quatuor. His calore reſolutis, ſuperfunde α ſpiritus ſalis balſamici, ſeu ſpiritus nitri, vncias totidem. Deſtilla β ex arena omnem liquorem

rem, ad ſiccitatem vſque. Terram exime, & probè tere; eiq; liquorem deſtillatum reaſſunde, cum vncijs duabus ſpiritus recentis balſamici, & deſtilla, vt priùs. Huic pulueri trito reaffunde liquorem deſtillatum cum alijs vncijs duabus, vt ſuprà: & procede rurſus, vt priùs. Maſſam tritam trade Vulcano docimaſtico ♄ examinandam, per aliquot horas: materiam continuè agitando rudicula ferrea pura. Tandem eam, alcohol vini ab ea aliquoties abſtrahendo, *rectifica*, vt remaneat puluis ſiccus & candidus.

Vſus eius ſingularis eſt in omnibus affectionibus peſtilentibus, & febribus malignis populariter graſſantibus. Eas enim è centro educit & euellit, ſudores potentiſſimè mouendo. ♃ Exhibētur eius grana quatuor, quinque, ſex, in extracto angelicæ: vel infunditur in aqua Carduibenedicti vel Vlmariæ; aut, adiectis aliquot granis ſalis abſinthij, & camphoræ eſſentia, propinantur in aqua theriacali, horis decem ab infectione: doſisq; reiteratur, vbi opus. In eryſipelate capitis etiam curando promptiſſimum eſt remedium.

a potiùs in ſpiritum nitri oleum iſtud Mercurij ſublimati & antimonij, in maiuſculo vaſe, guttatim injciendum, ne nimiæ ebulliones

iactu-

iacturam faciant ſpirituum, magna vi indè erumpentium.

β per cucurbitam cum alembico.

γ id eſt, in furno probationis, ſupra catinum probatorium.

δ præmiſſis tamen præmittendis neceſſarijs. *Vide quoq; Crollium.* pag. 155. 156. & 157.

Bezoartì cũ minerale, & antimoniũ diaphoreticũ minimè æquipollent.

† *Hoc Dn. Hartmannus, & ab eo Quercetanus*, in f. pharmacop. pag. 209. in 4to. *vocant bezoarticum; minerale, minùs verò conuenienter ab autore hic, & Crollio*, p. 185. *vocatur antimonium diaphoreticum. Vt enim hæc appellatio præcedenti competit antimonio diaphoretico autoris, ita huic minùs æquè. Ibi enim reuera ſubſtantia antimonij fit diaphoretica per ſal petræ, quod ſæpius cum illo detonuit; hic verò nequaquam: butyrum enim, quod progreditur ex ſublimato & antimonio ſimul iunctis, Mercurius ſublimatus potiùs eſt, nihilque accedit de antimonio, niſi quòd hoc ipſius liquiditatem promoueat, neutiquam aliàs in hac forma progreſſiori, abſque antimonij adiectione; nullo itaque modo ab antimonio, ſed potiùs à mercurio ſublimato, denominationem accipiet. Hic notandum, quod bezoarticum hoc minerale longè antecellat bezoar animali, ſi vt id expreſsè fatetur Dn. Crato*, in Epiſt. medicinal. *dum inquit: Lapis bezoar animale in*

le in febribus peſtilentialibus nobis nil profuit; quòd ſanè de hoc minimè pronunciandum.

BEZOARTICVM SOLARE.

Pone in matracium colli oblongi, ſpumæ duorum draconum, bene rectificatæ, vncias duas. Liquefac illas igne moderato: & ſpiritu ſalis ſulphurei vncias totidem paullatim ſuperfunde: cumque priùs drachmam vnam auri fini diſſolueris, in aqua Philoſophica, quæ bis deſtillatione, ad aurum tantò magis aperiendum & attenuandum; abſtrahenda: aurum deinde, tertia vice, in noua aqua diſſoluendum, effundendumque ſuper primam liquoris gummoſi deſtillationem, quæ clara eſſe debet, & ſubrubicunda; ac in paruam cucurbitam ponenda: atque omne id, quod egredi poteſt, in arena deſtillandum. Dein rurſus aliæ duæ ſpiritus ſalis ſulphurei vnciæ ſuperfundendæ; & in ſabulo, vt priùs, deſtillandum: dando ignem magnum, circa finem: vt terra, quæ in cucurbitæ fundo manet, benè exſiccetur. Hæc poſtea in crucibulum ponenda, & inter carbones, per horam, ad ruborem vſque ignienda.

Vſus Doſis eſt à ſex ad decem grana: & quia cum tempore virtus eius expirat: quò antiquius eſt; eo magis doſis eius augen-

genda. Singulare eſt remedium in lue Venerea, peſte, podagra, hydrope, febribus & alijs morbis, in quibus ſudorum prouocatio neceſſaria.

BEZOARTICVM LVNARE.

Diſsolue Lunam in ſpiritu ſalis petræ; (ſicuti capite ſequenti 17. monſtrabitur) vt pondus eius bene augeatur: deinde ea in aquam viſcidam, per digeſtionem, redacta, funde vnam eius partem ſuper decem partes liquoris gummoſis, benè rectificati liquefactique, & ſuper hac mixtura ſpiritum ſalis petræ bis aut ter diſtilla: dando ignem magnum, circa finem. Tandem hæc materia, in crucibulum poſita, per horam vnam & dimidiam ignienda, atque ſuper ea, in puluerē redacta, ſpiritus vini comburendus.

Vſus. Doſis eſt à ſex ad octo grana, ad cerebri affectus: eſtque ſpecificum ad omnes morbos muliebres.

BEZOARTICVM MARTIALE.

Redige Martis regulum in puluerem ſubtilem: & miſce cum dupla quantitate Mercurij meteoriſati. Dein deſtilla, per retortam, omnem liquorem gummoſum, qui ſpiritu nitri, vt dictum, fixandus.

Conuenit omni fluxui hepatico

BE-

BEZOARTICVM IOVIALE.

Recipe reguli antimonij vnc. tres: ſtanni Anglicani purificati vnc. duas: funde ſimul: & redige in puluerem ſubtilem: admiſceque duplam Mercurij ſublimati quantitatem: & ſecundum artem, butyrum antimonij, per cornutam, deſtilla: quod rectificandum, & ſpiritu ſupradicto, fixandum.

Doſis à duobus ad tria grana. Prouocat ſudores ſatis copioſos.

CAPVT XIII.

De Calcinatione & præparatione Mercurij.

Mercurij ſubſtãtia

MErcurius eſt corpus minerale, compoſitum ex terra ſubtili, ſulphurea & aqua, arctè inter ſe commixtis. Subſtantia autem eius terrea purganda eſt à craſſa terreſtreitate ſulphurea; aqua verò ab humiditate ſuperflua. Duplex autem eſt; naturalis & artificialis. Naturalis actiuus & ſummè depuratus, in Almagro, propè Calatraua, in regno Caſtaliæ reperitur viuus, per ſe fluens, & etiam in cinnabari, vnde ignis vi educitur. Hanc mineram antiquiſſimam Plinius vocat vomicam liquoris æterni. Similis iſti reperi-

Mercurius naturalis.

peritur in Idria, pago comitatus Goriz, in Slauonia. Sed Hiſpanica bonitate excellit: quamuis Idriaca longè fertilior. Eſt autem admiratione dignum, quod, quamuis in vicinia Idriæ ſingulis ferè annis lues peſtifera graſſari: ipſe pagus tamen ab ea immunis nunquam non manere ſoleat: id quod viri prouectæ ætatis ſeſe obſeruaſſe; idemque à maioribus ſuis accepiſſe, mihi, ante annos aliquot, eò profecto, ſanctè confirmarunt. Ex quo ſatis apparet: Mercurium eſſe ſummũ omnis corruptionis & putredinis alexipharmacon. Non minus & illud ſtupendum, prodigioque ſimile: quod ibidem etiam notaui. Senex erat decrepitus, qui, toto vitæ ſuæ tempore, in paranda cinnabari, conſumto, perpetuo tremebat: & aureum nummum, manu compreſſum, ita dealbabat: vt color eius natiuus omninò diſpareret.

Reperitur & alius mercurius in Polonia, in monte Gimnauoda dicto, ſex miliaribus à Cracouia, inter Tarnoua, Ribie & Streletzky, diſtante, qui ſponte, certis anni temporibus, vſque ad terræ ſuperficiem erumpit; præſertim verò autumnali tempore: quamuis etiam circa feſtum Iohannis Baptiſtæ, multa grana, piſorum inſtar in radicibus graminum, ibidem collegerim. Ve-

rùm hic mercurius nimis aqueus, & Sclauonico, vt & Hiſpanico longè inferior. Inuenitur etiam naturalis, in multis alijs locis; & interdum in auri & argenti fodinis.

Mercurius artificialis.

Artificialis, modo ſatis trito, & artificibus noto, per ſales reſuſcitatiuo, id eſt, ſal tartari, armoniacum, & vrinæ; tàm ex medijs mineralibus, α quàm metallis educitur. β Quin & in hac vrbe, plures viuos fide dignos, & præcipuæ autoritatis, dignatisque noui: qui non modò è mineralibus, & metallis; ſed etiam ex ſanguine humano, *priùs* calcinato, & ex plantis etiam, mercurium viuum, ad metallorum tranſmutationem elicuere.

Verùm cùm mei inſtituti non ſit, de eo nũc pluribus agere, niſi quatenus Medicinæ inſeruire poteſt: intra limites me continebo: & quia Mercurius Lunæ ſingulares proprietates & vires, ad pernicioſos cerebri adfectus percurandos obtinet: non ſpero; me oleum & operã perditurũ: ſi Reipub. Medicæ modum eliciendi dictũ mercuriũ, eumq; etiã ritè prę-parandi, ſuo loco oſtendam. Ita, vibrantibus veræ experientiæ radijs, omnes vaniſſimarũ rationũ nebulas diſſipabo: quas & ad tranſmutationẽ metallorũ; & ad effecta mineraliũ, in arte Medica, ſalutaria obfuſcãda, multi ex

ti ex doctis; ſed hac in parte, planè indocti offundunt. Equidem pro verè doctis eos haberem: ſi de ijs rebus, in quibus docti ſunt, iudicium ferrent, nec ſtultè ſibi imaginarentur; quòd natura ſibi in ipſorum cerebello, limites poſuerit: Coræbi cuiuſdam aut Melioditis, anteceſſorum ſuorum, falſa opinione, turpiter circumducti,

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Solius Chymici, ſeu Philoſophi naturalis, nēpe eſt, de eiuſmodi rebus iudicare. Abſq; ſolutione enim, quæ igne mediante perficitur, non plus, in naturæ operibus, cernere poſſumus, quàm talpa aut Tireſias aliquis. Sed videamus: quomodo Mercurius è Luna elici queat.

Mercurius Lunæ.

Recip. lamellarum ſubtiliſſimarum Lunæ finæ vnciam vnã. Scinde eas in paruas particulas, & diſſolue in aqua forti communi, bene rectificata: dein abſtrahe omnem aquam deſtillatione: & aliam ſuper Lunam quater reaffunde: vnamquamque ſeorſim aſſeruando, vt vltima vice ſimul cohobentur, & tandem deſtillentur, ſicut dictum. Hinc pone Lunam, ita recluſam attenuatamque, in matracium colli oblongi, & ſuperfunde aceti deſtillati lib. vnam: ſalis tartari vnc.

tres : ſalis armoniaci ſublimati vnc. vnam, ſemis. & claude è veſtigio matracium, alio breuioris colli, luto Hermetico interueniente, ne quid exſpiret. Poſtea pone ventrem equinum, aut eius vicarium, per quinque aut ſex ſeptimanas; donec omnia bene bullierint, & parum de eo, quod in matracio erit, auri particulæ leuiſſimè affrictum, illam dealbet. Tunc vacuato matracio, humiditas exhalet, ad pultis ſpiſſioris conſiſtẽtiam: cui admiſceri debent tartari ad nigredinem calcinati vnciæ quatuor, & deſtillari per retortam, adiuncto recipiente, aquæ ſemipleno, igne ſuppreſſionis, aut reuerberij, clauſo. Et ſic habebis mercurij fluidi vnciam ſemis, aut circiter.

Mercurij boni nota.

Inter alias autem Mercurij ſpecies ille eſt optimus: cuius drachma, in cochleari argenteo puro, ſuper carbones viuos poſita, poſt euaporationem, maculam relinquit flauam vel albam. Sed qui cochlear denigrat: ita purgari debet: antequam ad vſum medicum adhibeatur.

Purgatio Mercurij.

Recipe mercurij, aceti deſtillati, ana libr. vnam: pone in matracium forte, cum manipulo vno ſalis præparati: & moue ſtrenuè, per horæ quadrantem, vt miſceantur, & acetum denigretur: quod per inclinationem,

cum

cum mercurio, in ſcutellam vitreatam effunde, & toties aqua tepida ablue, donec omnis nigredo & ſalſedo ſeparetur. Exſiccatum repone in matracium, cum aceto & ſale, vt ſuprà, eundem laborem ter quatervè repetendo, & tandem per corium traijciendo. Sed hæc vulgaris & imperfecta purgatio: ſequitur perfectior. Recipe mercurij præcipitati, cinnabariſati vel ſublimati part. vnam: miſce cum duabus partibus tartari vſti, ℈ vel calcis viuæ: deſtilla per retortam vitream, igne ſuppreſſionis, vel in reuerberio clauſo, adhibito recipiente amplo, aqua ſemipleno. Ita accipies mercurium magis depuratum, quàm modo præcedenti. Aut ſublima eum ſepties, totiesq; reuiuifica: atq; hac ratione, ſecundum Paracelſum, omnis nigredo, impuritas, & venenoſitas ab ipſo aufertur. Aut pone illum in cucurbitam, eiq; ſpiritum vini ſuperfunde, & poſtea hæc ſimul diu concute, donec ſpiritus vini omnem nigredinem retineat. Sed modus perfectiſſimus depurandi mercurium, & quo melior dari non poteſt, eſt eius amalgamatico, cum corporibus perfectis: ♂ deſtillando eum aliquoties, per retortã, ſingulis vicibus, ℇ feces terreas, ſulphureas, fœtentes ſeparando, & denuò amalgamando, tandemq; per corium traijciendo.

α *vt antimonio.*

β *ſtanno, plumbo.*

γ *ſolùm vel etiam cum calce, aut calcem viuam ſolam ſine tartaro, vel etiam vtrumque.*

δ *in regulo antimonij eſſentialiter collectis, à quo regulo cum mercurio amalgamato fit deſtillatio per retortam igne ſuppreſſionis.*

ε *in collo retortæ, aut iuxta fundũ ſe colligẽtes.*

Melior & cõpendioſior mercurij depuratio.

Melior mercurij depuratio fit, cum acetum, ſine additione ſalis, tantùm cum mercurio coniungitur, ac in cucurbita oblongiori aliquandiu exagitatur, donec nigreſcat acetum; hoc verò remoto ſeu decantato, cum recenti aceto aliquot vicibus fiat agitatio: & ſemper in decantato aceto ſubſidebit mercurij impuritas; quo clarificato aceto iterum poteris vti ad repetendas depurationes. Poteſt imò totus mercurius hac agitatione cum aceto in nigredinem quandam conuerti, conuertibilem per calcem viuam in priſtinã ſuam naturam currentem, ab omnibus tamen impuritatibus planè liberam. Si enim omnes iſtę nigredines decantatę impaſtentur cum calce viua, & per retortam deſtillentur, tunc puriſſimus prodibit mercurius.

PRÆCIPITATVS ALBVS. †

Mercurius diſſoluitur in aqua forti; & affuſione aquæ ſalſæ α præcipiatur in puluerem album. Diſſoluens per inclinationem effun-

effunditur: & præcipitatus, multis ablutionibus, cum digestione, omni sallédine & acrimonia priuant. Tandem exsiccatus aquâ rosacea abluitur, & rursus exsiccatur. Dosis interius à granis octo ad decẽ, in morbis venereis ℔ maximè, purgat per inferiora tãtũ. ℈

De hoc Palmarius, *lib. de Hydrargyro. c.6.* ita ait: Citrà delectum, exhibent hunc circũforanei quidam circulatores, scelerati inipostores, non medici, ad luis venereæ dolores diuturnos, hydropem, quartanã melancholiam hypochondriacam, & ad eius generis affectus frigidos, idq; quatuor sexvè granorum pondere, ex oui luteo vel mithridatio & theriaca, ac statim, vt assumsit aliquis, ex vniuerso corporis ambitu, omnis generis humores, sursum ac deorsum, prorumpunt, sæpe tanto tamq; violento impetu, præsertim si molle, effœminatum & languidum corpus fuerit, vt exhaustis spiritibus, fractisque viribus vel repente moriantur, vel, quo die sumserit, sine uiribus, sine pulsu, sine uoce, iaceat mortuo persimilis. Os eius contagione interdum inflammatur, ac gingiuæ ulcera contrahunt putrida ac valde fœtida; fauceſque plerisque ità intumescunt, ut ad multos dies nihil prorsus deglutire possint. Quin etiam nonnullis mens ita à sua sede

dimouetur, vt, exorta febre, phrenetici tandē pereant. Itaq; à catharticorum censu, tanquam præsentissimum venenum, reijciatur ac publicis legibus exulet. Chirugis tamen, in externorum vlcerum curatione, concedatur, velut & alia multa venenata pharmaca, quæ prudenter, vel sola, vel mitioribus, quæ vim eorum maleficam infrenent, temperata ac remissa, magni in chirurgia sunt vsus. In id autem sequens præcipitatus præstantior.

† *communis dictus.*

α *frigidæ. Non autem opus est, vt sit marina; sufficit, si communis sal sit in aqua communi decoctus.*

β *non tamen inueteratis.*

γ *in conuenienti vehiculo; pilularum modo exhibitus, & sine masticatione deglutitus: qui aliàs dentes lædit, ac ptyelismon mouet, quæ obseruatio in omnibus præcipitatis exhibendis curiosè tenenda.*

Nota. *Mercurij Hermeticè præcipitati signum est, si cum Sole fortiter teratur, nec aurum inde dealbetur, vel etiamsi nulla arte rediuiuus reddi possit, cæteris tamen paribus.*

PRÆCIPITATVS RVBEVS.

Post dissolutionem mercurij in aqua forti, fiat euaporatio α ad siccitatem, igne forti: β

ti : β in fundo matracij hærebit puluis rubens præcipitatus.

Vſus. Sordes craſſiores vlcerum & callos detrahit, hyperſarcoſin omnem ſtrenue abſumit, nullo aut exiguo dolore : præſertim ſi ſæpius elotus fuerit aqua plantaginis, & reſiccatus. Ideò ſordidis, putridis, ſanioſis, calloſis; ſerpentibus, atque alijs omnibus vlceribus, quæ vulgaria remedia contemnunt, & cicatrici obſiſtunt atque reluctantur, modò ſolus, modò alijs, quæ citra morſum ſiccare aut tergere poſſunt, miſtus, vtiliter adhibetur. γ

α *aquæ fortis.*
β *extremo loco adminiſtrato.*
γ *rarò vel nunquã intra corpus ſumẽdus.*

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS OPTIMVS. †

Recipe Mercurij purificati vncias 4. olei ſulphuris α rectificati vncias 8. Miſce & digere per duos dies in arena; deinde per retortam deſtilla, cum tribus cohobijs, vltimò igne vehementi, vt retorta candeat. Maſſam albam exime, & tere : & aqua deſtillata calida ſæpius ablue: donec præcipitatum videas, verſum in puluerem flauiſſimum : ſuper quem, ſpiritum vini ter accendas.

Vſus.

Vſus. Tutò & vtiliter intra corpus exhiberi poteſt. Doſis à granis tribus, vel quatuor, ad ſex, in extractis purgantibus, vel conſerua β roſarum. Vtilis eſt γ in gonorrhæa virulenta, lue venerea, elephantiaſi quorum, vti & ſimilium, affectuũ venenum, ſpecifica quadam virtute, extinguit; retotridæque bilis & malignorum humorum ferociam domat & compeſcit: purificat ſanguinem in podagra, hydrope, & in omnibus febribus continuis ſummum eſt arcanum.

† *Turpethum minerale vulgò dictus; quod apud Chymiatros nihil aliud eſt, quàm artificioſa mercurij præparatio.*

α *per campanam facti, aut eius ſuccedanei, olei ſcilicet vel ſpiritus vitrioli. Videtur oleum ſulphuris per campanam ideo aſſumi, quia magis fixationi inſeruit; ſed æquè ſufficit ad hoc inſtitutam oleum ſeu ſpiritus vitrioli, ex mente autoris præparatus, eſtq; pene vnus, idemq; ſpiritus, qui ex vitriolo deſtillando fit, & qui ex ſulphure per campanam elicitur; ex eodem enim principio vitriolato deriuantur.*

β *Non commodum vehiculum huius præcipitati ſunt conſeruæ, quia citra maſticationem aliqualem vix poſſunt ſumi; præcipitati verò omnes maſticati dentes lædunt.*

γ *De*

ɣ *De vsibus vide Crollium.* in Basilica Chymica, pag. 120. *qui etiam huius operationis processum fusiùs, & exquisitiùs persequitur, & benè exemtum puluerem in igne arenæ vehementior, in matracio, per octo dies digerit, quo, si quid adhuc mercurij crudi cum fixo permistum sit, sublimando separetur, & præcipitatus sit tutior.*

Autor, pro vehiculo turpethi huius mineralis, inter alia ponit extracta purgantia: potest autem ad incorporationem præcipitati pro extractis purgantium vnicè commendari præparatio scammoneæ seu diagrydij subsequens admodùm bona. Recipe scammoneæ seu diagrydij quantum placet, v. g. drachmam semis, tere in puluerem; adde postea pauxillum (guttas quinque vel sex) vitrioli olei, vel spiritus sulphuris per campanam facti, & guttulas tres vel quatuor olei anisi; tere [pistillo, oleo amygdalarum dulci illinito] fortiter, & euadet massa lentâ instar picis, quam in magdaleonem redactam serua in vesica quæ per plurimos annos inuiolata seruari potest. Eius grana 13. vel 16. ad 20. vsque, leniter sine omnibus torminibus subducũt aluũ. Huius verò diagridij præparati aliquid misce cũ præcipitatis, certa dosi; pro incorporatione ad formam pilularum, poteris sumere tria vel quatuor grana diagridij. Suaderem autem, vt tonso-

Diagrydiũ seu scammoniũ correctum.

Adhortatio ad tõſores & balneatores.

tonſores & balneatores nobiliſſimi huius medicaminis præparatio Philoſophica planè lateret, & ab vſu huius vt illegitimo ſe abſtinerent, aut parùm ſibi contemperarent. Quot enim quæſo eiuſmodi homines mercurio hoc præcipitato, non Hermeticè præparato, præcipitarunt? Hinc Antaruetus opinatur, ſe Cræſo ditiorem fore, ſi tot haberet nummos, quot mercurius præcipitatus ſuſtuliſſet. Nec tamen propterea apud Medicos veros & prudentes præſtantiſſimus eius vſus exolere debet, quamuis illud interdum malè audiat; ſed potiùs ſentiendum cum magno Zvvingero, qui, in epiſt. medicinal. à Scholzio edit. epiſt. 258. *ita de hoc iudicat*: Turpetho minerali vtere deinceps & audaciùs & feliciùs. Ij enim, qui odio ſectæ Theophraſteæ hoc & rident & inſectantur, non tam in Chymiſtas, quàm in Chymiam, Medicinæ famulam, multò antiquiſsimam, iniurij ſunt, & de ignotis iudicium interponunt. *Vt & Libauio*, in præfat. Alchym. *ſic atteſtante: Illud cauendum eſt, ne audaculi imperiti in medicando id adhibeant, quod eſt Medicorum circumſpectiſsimorum, exercitatiſsimorum: veluti ſi eſſentia ex ſublimato & regulo fiat, ſi flos ex antimonio, ſi turbith ex mercurio, ſi laudanum ex opio, tu, qui imperitus es methodi medendi & imprudens, nec tibi*

Turpethi mineralis vſus commẽdatur.

facilè

facilè, nec alijs, horum permitte vſum, cùm temeritate, vtut ſemel atq; iterum fortè proſis, plus tamen deinceps peccare poſſis. Nam nobiles medicinæ in manu temerarij hominis ſunt, vt culter, vel falx ardens, in manu pueri, aut dementis.

ALIA MERCVRII PRÆCIPITATIO.

Recip. Mercurium purificatum, & deſtillatum cum auro & argento, ſicut ſuprà: & pone ſolum, aut amalgama cum auro & argento: dein præcipita in puluerem rubeum, modo quo ſequitur. Accipe matracium parùum, α colli prolixioris, cui impone mercurij β vncias quatuor: deinde ſuper lamina ferrea, id in arenam colloca, dando ignem continuum, per quadraginta dies. Collum matracij ſuper arduam eminere debet, ad ſex vel octo pollices: & primis decem, vel duodecim, diebus Mercurius, qui ad collum matracij aſcenderit, debet aliquoties quotidiè baculo ferreo, cui alligatus ſit pannus lineus, ad fundum ignitum (vt Geber docet) detrudi γ & præcipitari. Eſt autem hic modus præcipitandi mercurium nõ modernorum, ſed antiquorum Philoſophorum. Tempore finito, ſi quid mercurij crudi, in

Cap. 53. ſuum g. factionis.

di, in matracio, repertur fuerit: ſeparari debet, à puluere rubeo.

Vſus. Admirandas hic habet in medicina facultates. eſt enim catharticum præſtantiſſimum, in lepra, ♂ blandè adeò aluum ſoluens, vt pueris & prægnantibus dari poſſit: acres humores mitigat: pituoſos expurgat? calidamque ac ſiccam viſcerum conſtitutionem emandat. Doſis gr. ſex. ε Ita Mercurius Lunæ ſolus præcipitari poteſt, ad Maniam, & alias cerebri affectiones.

α *ſubtus loricatum.*

β *præparati vel rectificati.*

γ *Commodior fit operatio, ſi phiala vel matracium literaliter, non ſurſum, poſitum ſingulis horis* 12. *vertatur, ita, vt ſuperior eius pars cum inferiore commutata præcipitationem acceleret.*

δ *& alijs fœdis vlceribus.*

ε *ad decem.*

A L I A.

Diſſolue mercurium in aqua forti, & præcipita, vt artis eſt, per exhalationem omnis humiditatis, vt præcipiatus fiat rubeus. Pulueriſatum impone matracio forti, ſuperfundendo acetum ter deſtillatum, vt ſuperemineat ad altitudinem quinque digitorum, dando ignem arenæ, vt acetum lentè bulliat,

bulliat, per ſex horas, & præcipitatus totus diſſoluatur. α Diſſolutioni β priùs filtratæ, ſuperfunde liquorem anima mundi, id eſt, ſale communi, imprægnatum: γ & ſtatim ſeparabitur mercurius, à diſſoluente, qui ablui & exſiccari debet. Doſis à gran. 4. aut. 5. Purgat benignè per inferiora.

α *nempe poſt aliquot cum recenti aceto ebullitiones.*

β *calidæ.*

γ *vel ſpiritum vini, cui ad hunc vſum ſuccenturiari poteſt oleum tartari.*

Præcipitatus alius non infimæ notæ.

Huic ſequentem addimus præcipitatum: Recipe mercurium per ſalem communem & vitriolum ſublimatum, quamtumuis ſolue aqua fontana ebulliendo; poſtea in ſolutionem claram & puram guttatim mitte oleum tartari, quantum ſatis; & ſtatim cadit mercurius ad fundum, inſtar rubei pulueris: deple aquam per inclinationem, & puluis eluatur aliquoties, donec aqua nihil retineat ſaporis acris: poſtremò puluerem exſicca diligenter, & ſeruæ; cuius grana 4, vel 5, vel 6, in theriaca vel mithridatio, data ieiuno ſtomacho, bis in hebdomade, mirificè ſoluunt omnes obſtructiones, præſertim in ictero. Contra venena eius ſumtio admodum eſt ſalutaris; in febribus diuturnis etiam ſudores mouet.

PRÆ-

PRAECIPITATIO MERCVRII IN MOMENTO.

Smiridem α rubeam (hic enim color maximè ſolaris exiſtimatur) β puluériſatam crucibulo impone, in ignem vehementiſſimum, per quatuor horas, donec quodammodo vitrificari incipiat, & lateribus crucibuli adhærere. Tunc ab igne ablatam, tere in puluerem ſubtilem, & matracio impone; Cui ſuperfunde aquam Regis rectificatam, digerendo γ per viginti quatuor horas, δ poſtea per inclinationem, aquam tinctam effundendo, & aliam toties reaffundendo: donec omnem tincturam attraxerit. Depletiones ad oleaginoſitatem, ε deſtilla. Huius olei recipe vnciam vnam, effunde ſuper vncias quatuor ζ mercurij η crudi: ſic mercurius in momento præcipitabitur θ nec oleo adhærebit. ι Tunc ſi deſtilletur igni ſatis forti, poſt olei exhalationem, aliquid de mercurio ſublimabitur; maior tamen pars manebit fixa. κ Eius vſus in augmentatione Solis, λ & viuificatione rubicundiſſima. μ

† *Vocatur etiam præcipitatus miraculoſus.*

α *Loco ſmiridis adhibeantur granata Bohemica toſta.*

β *imò quo nigrorem, eò meliorem.*

γ *in*

γ *in calido.*

δ *donec aqua regis imprægnata fuerit tinctura ſmiridis ſubuiridi vel ſubflaua.*

ε *vt nimirum tantùm tertia pars aquæ, tinctura ſmiridis imprægnata, reſtet.*

ζ *potiùs duas vel tres.*

η *benè purgati.*

θ *in puluerem album.*

ι *Hunc Mercurium, quia oleo non adhæret, lento igne, in crucibulo candefac per horam vnam, poſtea edulcora. Habebis Mercurium emeticum, ſurſum & deorſum leniter mouentem, gran. 3. vel 4. Quod ſi igniatur horis duabus, per inferiora tantùm purgat; at ſi ampliùs, horis ſcilicet 5. vel 6. igniatur, fixiſſimus ſit, & tantùm ſudores mouet.* *Mercurij vis emetica qua ratione demonstratur.*

κ *Ipſe verò præcipitatus manet rubeus; cui ſi mercurij crudi tantundem addideris, & in phiala ad ignem arenæ poſueris, breuiſſimo tempore præcipitabitur, atque ita, per crebras additiones æquales Mercurij crudi, quantitas præcipitati augebitur.*

λ *Augmentatio Solis per præcipitatum hunc miraculoſum hoc fit modo. Recipe ſulphuris communis duplum ad præcipitatum hunc miraculoſum; tere & miſce in marmore, liqueſcant in catino; liquata facilè ignem concipiunt, quem permitte, donec ſponte ceſſarit;* *Augmentatio Solis.*

relinquitur puluis ſubflauus, qui in fluxu auri pedetentim eidem admiſcetur.

Vitrificatio Solis. *μ ſi nempe eidem ſilicum calcinatorum pauxillum adieceris, & igne violentiſſimo vrſeris; ſolet enim tandem in vitrum rubicundiſſimum tranſire.*

PRÆCIPITATVS DIAPHORETICVS. †

Diſſolue Mercurium, cum Sole vel Luna deſtillatum, & purgatum, vt ſupra, in aqua forti, quam ex matracio colli prolixioris, cum alembico proportionato, abſtrahe, igne tertij gradus, cum bina cohobatione; α vt Mercurius fiat rubeus, qui edulcorari debet, calcinando in crucibulo, inter prunas accenſas, & continuò virga ferrea mouendo, per horæ quadrantem aut circiter; β uel aqua ſequenti. γ Recipe aceti deſtillati libras duas, phlegmatis aluminis libram ſemis, calcis reuerberatę teſtarum ouorum uncias ſex: Miſce, & deſtilla ſimul ad ſiccitatem. Huius aquæ recipe libras tres: Mercurij ſupradicti præcipitati libram unam: Miſce & digere per diem naturalem: poſtea deſtilla per alembicum, cum ternis cohobijs, ignem augendo, ſub finem, ut materia probè ſiccetur; quæ circulari debet, per diem naturalem, cum S. V. Poſtea deſtillatione ſeparandus

ſpiri-

ſpiritus: & denuò circulandus deſtillanduſque; & hoc quartò repetendum.

Vſus. Hæc vera Mercurij præcipitati præparatio ad infinitos morbos deploratos curãdos vtiliſſima eſt; maximè verò ad luem Veneream. Siue enim interiùs ſumatur, (quia tum ſudores copioſos proliçit) ſiue exteriùs cum butyro, aut aliquo vnguento, applicetur, ſ miris modis iuuat.

† *Paracelſi.*

α *ſemper reaffuſa aqua priori, ſed cũ vncia vna atq; altera recentis aquæ fortis fortificata.*

β *Diſiunctiua non opus eſt; ſed loco eius ponatur poſtea.*

γ *Debet ſcilicet figi.*

ſ *Doſis à gr. 4. ad 6. vel 8.*

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS †
Cinnabaris Diaphoreticus & Catharticus.

Recipe cinnabaris communis vnciam vnam: ſalis præparati α drachmas duas. Simul tere, miſce: & matracio impone: quibus ſuperfunde olei ſulphuris, per campanam facti, vncias tres. Digere per triduum in cineribus: tandem igne β vehementi fac omnem humiditatem euaporare. γ Manebit in fundo maſſa alba, quæ frequenti ablutione edulçorari debet.

(Quidam, facta euaporatione olei ſulphuris, id reaffundendum cenſent, & deſtillandum; hocque tertiò repetendum. Verùm hęc repetita deſtillatio videtur inutilis: quòd cinnabaris tantum ſalis volatilis, aciditatis ſulphuris, prima deſtillatione ad ſe trahat, quantum naturæ ſuæ ſufficere poteſt: vti cuilibet, in naturæ ponderibus exercitato notum.)

Vſus. Conuenit in morbis Venereis & contagioſis. ♃ Sex eius grana, ſudores mouent; ſumpta cum conſerua roſarum, & vncijs quatuor vel tribus decoctionis ε ſarſæ parillæ; decem verò, conſeruæ alicui aut pilulæ commixta, per ſeceſſum operantur.

† *vitiosè ſcribitur; legendum potiùs præcipitata cinnabaris diaphoretica.*

α *id eſt decrepitati.*

β *arenæ ſcilicet.*

γ *reaffunde & deſtilla iterum, etiam tertia vice.*

♃ *aliquot diebus datus.*

ε *primæ nempe.*

PRAECIPITATVS SPECIFICVS. contra Gonorrhæam.

Recipe mercurij purificati vncias tres. Diſſolue eas, in aqua forti. Pone deinde etiam vnciam vnam Veneris ſeorſim, in paruum

uum matracium, & ſimiliter diſſolue. Hinc miſce vtramque diſſolutionem: & fac exhalare igne ſabuli: quem intenſiorem redde, circa finem; vt ex aqua forti omnes ſpiritus egrediantur. Vaſe refrigerato, tere præcipitatum, in puluerem ſubtilem, eumque pone in matracium, & ſuperfunde aceti ter deſtillati tantùm, q.ſ. in nempe ad dimidium pedem ſupernatet. Stent in digeſtione, in B.M. quinque aut ſex dies: & circa finem, aqua bulliat, vt Mercurius in aceto diſſoluatur: quod calidè poſtea filtretur, & vapore balnei exhalet. Præcipitatus in fundo manebit viridis.

Doſis à quatuor ad ſex grana.

MERCVRIVS VENERIS diaphoreticus.

Recipe limaturæ Veneris vnciam vnam: Mercurij meteoriſati, id eſt, ſublimati, vncias duas: ſalis Mercurialis, id eſt, armoniaci ℥ vnc. duas ſemis. Trita, & ſimul miſta pone in matracium firmum, dando ignem arenæ; donec inſtar ceræ omnia liqueſcant. Tum matracium ita calens frigidæ impone: vt in partes diſſiliat, & Mercurius ſubuiridis effluat; quem exſiccatum in retortam paruam, cum ſpiritu ſulphuris vel vitrioli, in-

cineribus, per diem naturalem, digerendum collocabis: & postea cum binis cohobijs in arena destillabis: tandemq; ablues bis aut ter, β & vltima vice, aqua cordiali. γ

Vsus. Non tantùm præstantissimum remedium diaphoreticum est contra luem δ Veneream: verùm etiam insigne Bezoarticum contra pestem; si mox ab infectione sumatur. Dosis gr. vnum vel duo, in aqua aliqua theriacali ε vel alia specifica.

α *id est, salis armoniaci.*

β *aqua dulci.*

γ *seu spiritu vini.*

δ *in lue Venerea radicitùs curanda nihil hoc præcipitato est præstantius. In principio quidem datus mouet vomitus; sed repetitus tantùm per sudores mali mineram expellit omnem.*

ε *aut cum ipsa theriaca.*

PRÆCIPITATVS MERCVRIVS AD VLCERA.

Extingue libras quatuor calcis viuæ, in libris viginti quinque aquæ communis; eamque filtratione redde limpidam & claram. Dein libris eius quatuor, adde sublimati communis, subtilissimè pulueriſati, drachmas duas. Et breui temporis spatio, is se præcipitabit, in puluerem citrinum, vlceribus mali-

malignis curandis adpropriatum. Aqua inseruire potest carnis luxuriantis consumtioni.

TVRPETHVM MINERALE.

Recipe Reguli Antimonij pulueriſati drachmam vnam. Deijciatur in vitrum ampli oris, & aqua regis ſexies irrigetur, & rurſum exſiccetur. Tandem in aqua eadem reſoluatur, & in ollam fictilem, quæ cinerem feruentem contineat, ſepeliatur. In eadem aqua regis ſeorſim quoque ſoluatur aurum limatum aut foliatum, ad drachmam vnam. Poſtea verò in vitro feruẽti cinere obruatur, ſimiliter ſeorſim, vt de præcedenti dictum. Hinc ſuper calcem viuam aqua feruens vulgaris fundatur, ac probè agitetur, cumq; refrigerata conquieuerit, per triliçem coletur. Deinde aqua hæc colata, & rurſum feruefacta, ſuper præparatos Iſatidis cineres, fundatur, ac diligenter moueatur. Poſtquam iuſto tempore conquieuerit, & pura conſederit, per trilicem traijciatur. Hunc in iſto colato lixiuio, ebulliat Mercurij (quem tamen antea, ſale in aceto bene diſſoluto, elues) libra vna. Quò diutius efferbuerit; eò melius. Poſtremo Mercurius rurſus, ſale in aceto probè diſſoluto, purgatus, abluatur, aqua calida, & ſicce-

tur, Hac ratione præparatus Mercurius, in aqua regis (vt ſuprà dictum) reſoluatur, & in feruentes cineres etiam ponatur, vt priora. Hæc tria, Regulus, Sol & Mercurius, probè ſic ſeorſim ſoluta, in cucurbitam, luto optimè munitam & circumlitam, demittantur calida: & ſexies vel ſepties ſtillare ſinantur ex retorta. Semper, quod deſtillauit, reddatur ſuis fecibus. Hac frequenti deſtillatione, humor, qui deſtillatus fuit, erit imbecillis, & minùs fortis: ideo inutilis & abijciendus. Materia autem ſedimenti, ſeu corpus mortuum, remanens in vitro, exemta teratur munitiſſimè in marmore. Tandem ſub regula fornicata, vnter einer Muffel, flagrantiſſimis carbonibus reuerberetur, aſsidueque rudeferrea veſetur; (fumos vita: fiatque operatio ſub dio) donec, mutato colore, iterum rufeſcat: & virus aquæ regalis igni euaneſcat. Deinde optimè lauetur, affuſa aqua calida; dum nullam prorſus ſalſedinem ſapiat. Tunc ſuperfunde ſpiritum vini, optimè rectificatum, ad eminentiam trium digitorum. Condatur in feruentem cinerem, triduo. Ter quotidie moueatur. Eſſentia vini tincti abſtrahatur: aqua roſarum ſtillatitia materiæ affundatur: triduo quieſcat: &, ſingulis diebus, ter agitetur. Tunc

ſenſim

ſenſim abſtrahatur: vt, exſiccata maximè, ſubſideat aqua cæleſtis, elota, prorſus, ab omni acrimonia. Quò ſæpiùs; eò tutius. Vitro diligenter obturato, ſeruetur ad vſus innumeros.

Vſus. In peſte, datur à grano vno ad tria, pro ætate, in aqua theriacali. Purgat vniuerſaliter totum corpus, caput, thoracem, ventrem, neruos, artus, medullam. Sanguinem in venis corrigit: omnia membra perquirit; & penetrat ad intima, & quicquid vitij, corrigit vniuerſum. In Chirurgia quoque præſtantiſſimum eſt remedium ad vlcera, tumores, ſuppurationes omnes.

CAPVT XIV.

De calcinatione Saturni & Iouis.

CVM, teſte Gebero, impoſſibilis ſit corporum ſolutio, compoſitione ignorata: antequam metallorum calcinationes aggrediamur: de ipſorum natura obiter aliquid dicendum eſt. Rectè autem mihi ſenſiſſe videtur Hermes, Pater ille Philoſphorum, *in tab. ſmaragdina*, dum dicit: Id quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius:

Cap. 10. ſumm. perfect.

Generatio metallorũ.

tus: & vice versa. Qua ratione enim naturæ paulatim & successiuè, in terræ superficie, plantas & cętera vegetabilia producit: ita eadem, in locis subterraneis, metalla, quamuis tardiùs, & longiori temporis spatio, ex vapore humido vnctuoso, argenti viui & sulphuris vitriolati, suo calore, mercurium decoquentis, proprietates & vires in se cõtinẽte, generat. Vnde Hydragyrum mater metallorum dicitur: Sulphur verò pater, in ijsq; quatuor elementa, quæ omniũ corporũ naturalium materia remota sunt, repræsentantur. Mercurius enim, instar fœminæ, frigidus & humidus, aquæ & aeris rationem habet: Sulphur autem, tanquam mas, calidum & siccum, ignis & terræ vicem obit. Si quis materiam eorum, non tàm halitum, quam succum statuere velit, non repugnabo. Cum enim, ann. clɔ. lɔc. CXI, in Hungaria, dimidio miliari à Schemnitz. in argenti fodinam, mille quingentos aut circiter cubitos profundam; descendissem; à fossoribus, qui, ob luminum mineræ æstum, vestibus & ipso induſio exuti, laborabant, didici: vapores minerales à centro terræ frequenter sursum ferri, eorumque lucernas, & ipsosmet, nisi subitò recedant, extinguere: aliquanto autem tempore pòst, in eodem loco, illos halitus ad-

parie-

parietes fodinæ, in maſſam, quæ leui contactu, inſtar olei fluat, coagulatos reperiri. Vnde fortè quis inferre poſſet: vaporem eſſe materiam metallorum remotiorem: ſuccum verò ſulphureum & mercurialem, propinquiorem. Et ſunt mihi ad manum, ex eadem fodina, & alijs, ſilices, quos ſeu vapor, ſeu ſuccus talis mineralis, humidus, vnctuoſus: vndiquaque penetrauit: & in quorum alijs conſpicitur materia cruda, nec ſatis cocta: in alijs mediocriter excocta: ex quorum libra vna, elici poſſunt drachmæ ſex argenti puri, & ſcrupulus ſemis circiter auri; in alijs perfectè decocta: ita vt argentum in ſuperficie pullulet, & in vno ramuſculi auri puri puri conſpiciantur.

Etſi autem ſunt, qui, ob friuolas quaſdam ratiunculas, Mercurium & Sulphur, metallorum materiam eſſe; inficias eant: tamen ſatius eſt, Philoſophis metallicis, & metallurgis credere, qui, in omnibus fodinis & venis ea reperiri, vno ore atteſtantur. Ad quorum opinionem, & metallorum excoctores, vſtores & probatores accedunt: vt taceam, quod Medici etiam fatentur: pleroſque foſſorum morbos à ſulphureis & mercurialibus ſpiritibus crudis, intra corpus admiſſis,

admiſsis, oriri: & metalla, in externis affectibus, eadem præſtare, quæ hydrargyrum. Imò experientia comprobat: omnia metalla facili negotio in argentum viuum, & argentum viuum in omnia metalla reduci poſſe. Et ſi quis dubitat; an etiam metalla in ſulphur redire poſſint: is ſciat; omnia metalla, in liquoribus conuenientibus aliquoties ſoluta, tandem in liquorem vnctuoſum, facile flammam concipientem, reſolui, vt ſæpe meo damno expertus ſum. At ſolum ſulphur eſt flammæ pabulum. Ergo metalla etiam in ſulphur reſoluuntur.

CALCINATIO SATVRNI.

Plumbum liquefit in matula terrea, vel olla ferrea, purgaturque à ſcorijs; α deinde aucto igne, vt olla candeat, continua agitatione, cum ſpatula ferrea, reducitur in calcem; β quę cribellata poſtea, ſi diutius reuerberetur, tranſit in minium. γ

α *ſupernè eminentibus.*

γ *gryſeam.*

β *cuius vſum vide infrà ſub finem c.17.*

CALCINATIO IOVIS.

Recipe ſtanni Anglici, non ſophiſticati, (quod ex pondere & malleatione dignoſces) libras quatuor. Liquefac in olla, plani

fundi

fundi, & à scorijs purga: deinde inijce aliquid salis Ammoniaci: & igne aucto, vt olla candeat, impone libram vnam & semis salis præparati, spatula ferrea tam diu mouendo; donec in calcem redigatur: quæ igne fortiori reducitur in corpus, & à se impuro & denigrato separatur. Iterum miscetur cum libra vna salis præparati, & calcinatur, vt suprà. Calx abluitur ab omni salsedine, & reuerberatur octiduum, donec vertatur in alcohol. Sal affusione aceti alkalisati elicitur, digerendo aliquot diebus, postea filtrando & coagulando.

[Hæc calcinatio præ cæteris est vtilissima: quia si citiùs & faciliùs operatio perficitur. Deinde meliùs, quam per salem, à fecibus nigris, terreis, & heterogeneis, Iupiter purgari non potest, ad eum maximè finem, quem intendo: comprobante hoc ipsum ipsa experientia.]

Hæc Iouis calcinatio minùs videtur commoda; propter salium enim adiectionem calx illa multùm corripitur. Satius est, si, vt cum Saturno in præcedenti factum, Iupiter per se calcinetur, & tandem per acetum destillatum sal Iouis eliciatur: vt: qui, vulgari solutione per aquam simplicem & coagulationem rectificatus; præstantissimum habet vsum in suffocatione ma-

ne matricis: de qua re videatur Crollius, p.225.

Cryſtalli Iouis Philoſophicè præparati.

Huic vſui autem magis inſeruiunt Cryſtalli Iouis Philoſophicè præparati; quorum doſis ſunt tria grana, tribus aut quatuor autoris continuis, in aqua artemiſiæ, vel aquis cordalibus, ſumta.

ALIA.

Iupiter poteſt etiam calcinari, ſicut Saturnus, α ſine additione ſalis. Vel poſſunt etiam calcinari, in ſcutella ligna, β creta oblita: ſi, fuſi in crucibulo, effundantur in dictam ſcutellam; & γ ſubita agitatione, dum eorum fit congulatio, moueantur.

α *de quo ſuprà cap.8. tit. balſamum Saturni.*

β *vel fictili, non vitreata, duplici, quarum vna ad amuſſim contegat alteram.*

γ *lacinia humida, iuncturis inuicem circa circùm coarctatis.*

IVPITER DIAPHORETICVS.

Recipe Iouis Anglici limati, vel, vt ſuprà, in ſcutella lignea, vel terrea non vitreata, calcinati vncias duas: Mercurij ſublimati vncias quatuor Simul miſce: & per retortam deſtilla, igne arenæ, apponendo vas recipiens, aqua ſemiplenum: cumq; deſtillare inceperit, da ignem ſuppreſsionis moderatum,

donec

donec omnis liquor exſtillauerit, & præcipitatus fuerit in aquam. Quod autem ad collum retortæ ſublimatur, abraditur, & cum eo, quod deſtillatum eſt, per noctem digeritur. Aqua ſpiritu vitrioli imprægnata ſeparatur, & ad vſus ſeruatur: calx verò exſiccatur. Doſis à gr. quatuor ad ſex.

Cæterùm ne in Stanni electione decipiamur, ſciendum eſt: quatuor eſſe eius genera: Vnum, quod appellatur dulce, aut Cornubianum, ſiue purum illud Anglicanum: Alterum commune, quod plumbum admixtum habet: Tertium, tinnulum, quod paratur ex centum libris ſtanni puri Anglicani, mixtis cum quatuor libris cupri electiſſimi, & duabus libris reguli Martis, bene purificati: Quartum Glaciale, quod ſpeciem exiſtimo eſſe reguli Antimonij Auenzoar, libro de vaporibus, diſſerens de duobus metallis mollibus, Plumbo & Stanno, dicit: plumbum conſolidare & occludere ſtannum; & contrà ſtannum indurare plumbum. Cùm enim viſcoſitas glutinoſa, quæ partes ſtanni colligat, in humido & ſicco conſiſtere debeat; fit hinc: vt ſtanni cùm ſtanno nulla inſtitui poſſit conglutinatio. Vnde etiam Stannarij, cum Plumbum aut Stannum durum, reddere contendunt, commiſcent.

ſcent iſta duo, in vnam maſſam; quæ multò durior euadit; quàm ſi iſta ſeparata eſſent: propterea quòd ex humiditate plumbi, & ſiccitate ſtanni, viſcoſitas oritur magis firma, quæ duritiei cauſſa eſt, in iſta duorum metallorum mixtione.

Vt igitur perfectè cognoſci poſſit: vtrum ſtannum ſit purum, aut cum plumbo mixtum: neceſſe eſt: vt imitemur ſtannarios, quando nempe illi vaſis alicuius ſtannei bonitatem examinant. Tunc enim ſumunt paruam portiunculam, de ſuo opere, eamq; fuſam, in formulare, quo globuli tormentarij effingi ſolent, conijciunt: & ex altera parte particulam etiam illius vaſis; quod ad examen oblatum eſt, fundunt; eamque æqualis ponderis, cum priori, in idem formulare ponunt, & pilam vtramque ponderant. Quod ſi illa, quæ ex ipſorum opere prodijt, leuior eſt; quàm altera: conijcitur exinde, quòd vas illud cum plumbum ſtanno granius ſit; tantò plus plumbi in ſe contineat, quantò id plus pendit, quàm alterum, quod notæ eſt probioris. Sed opus eſt hic: vt formulare truncō ferrariorum æqualiter includatur. Idem fieri poſſet in reliquis metallis: ad rectiùs cognoſcendum ponderis ipſorum differentias & proportiones: aut poſſet proba-

tio

tio inſtitui ſequenti modo: Duc quodlibet metallum ſeorſim, per aurifabrorum inſtrumentum, quo aurum in fila ducunt: deinde cum ſunt eiuſdem craſſitiei, ſcinde illa; vt æqualiter etiam longa ſint. Et ſi, exempli gratia aurum ponderabit ſeptuaginta duo grana: argentum & plumbum, quodlibet nempe ſeorſim; non plus ponderabunt, quàm triginta ſex grana: cuprum triginta: chalybs viginti ſeptem: ferrum viginti ſex, & ſtannum viginti quinque.

CAPVT XV.

De calcinatione martis & veneris.

CROCVS MARTIS.

LImaturam Chalybis à ſordibus, ventilatione & ablutione, diligenter emunda. Huius recipe libras duas, ſalis præparati libras tres. Miſce ſimul, & in olla terrea reuerbera, per diem naturalem: maſſam exime, & tere: diſſolue in aqua calida & laua toties, donec ab omni ſalſedine & terreſtreitate liberetur. Exſiccatur deinde, & in puluerem ſubtilem, terendo & cribellando, reducitur. Poſtea reuerberatur per octo vel

decem dies, donec ſuperficies eleuetur in crocum rubicundiſſimum impalpabilem; quo ablato, reliqua pars toties & tàm diu reuerberatur; donec tota in crocum abeat. Vas terreum, limaturam continens, habeat operculum, ne cineres ſuper crocum decidant, ita tamen eleuatum, vt, inter vas & operculum, flamma liberum habeat tranſitum.

Quinam crocus Martis ad medicinæ vsũ optimus.

Crocus martis omnium optimus, & ad medicinæ vſum præſtantiſſimus eſt, ſi ſola limatura Martis; ſine adiectione ſalis communis, aut alterius heterogenei, per ſe igne reuerberij floriſicetur; & poſtea per aquam dulcem à ſordibus eluatur; qui autem cum corroſiuis, vt ſalibus, &c. conficitur, periculo non vacat. Meliùs autem & citiùs procedit operatio reuerberationis, ſi, priuſquam furno reuerberij committatur, limatura Martis aliquoties vrina puerorum conſpergatur; hac enim ratione inter reuerberandum ſurgit in florem rubicundiſſimum, vnò atque altero die, qui tamen quotidiè colligendus eſt, ne violentia ignis reuerberij pereat; aut ex rubicundo colore in nigrum viciſſim demigret ac deſinat.

Croci Martis vires.

Vſus croci martis vulgaris internus eſt, ad fluxum ventris, diarrhœam, dyſenteriam ſiſtendam; ſed cautè procedendum eſt; ſæpe enim

eiuſmo-

eiuſmodi adſtringentia, tempeſtiuè non adhibita, maiora pepererunt pericula. Quocirca ſumentes priùs medicinis attenuantibus, & aluum ſubducentibus; purgatos eſſe oportet. Externus vſus eſt, in exſiccandis vlceribus ac vulneribus. Huius vires inſignes vide etiam apud Crollium pag. 253.

ALIVS.

Paratur etiam crocus Martis, è lamina chalybis candente & ſcintillante, immiſſa in magdaleonem ſulphuris, cuius vi chalybs liqueſcit & decidit granulatim, in vas fictile ſuppoſitum, frigida vel aceto plenum. Granula exſiccata teruntur in puluerem ſubtiliſſimum, &, ſi placet, in crocum reuerberantur, ſpacio ſex, vel octo horarum. *α*

Vſus. Virtutem hic crocus habet obſtructa viſcera *β* aperiendi, & humores craſſos attenuandi. Vnde prodeſt in cachexia, pallidis virginum coloribus, ictero, menſium, iecoris, lieniſque, obſtructionibus, affectu hypochondriaco, & ſimilibus.

α Hæc martis alienatio ſecunda, eſt baſis & fundamentum pulueris cachectici Quercetani, quem deſcribit in pharmacopœa Dogmatic. cor. reſtit. p. 263. in 8.

β Hepar inprimis & ſplenem.

ALIVS.

Recipe limaturæ chalybis, α q. v. eamque conſperge β aqua communi, (vel vti Quercetanus facere ſolebat, cum pararet puluerem ſuum cachecticum, irrora aqua abſinthij vel fraxini, in qua ſalia propria diſſoluta fuerint) in vaſe ligneo, donec bene madeſcat. Deinde expone aeri, per octiduum: γ quo elapſo, rurſus irrora, & bacillo moue: hocq; toties ſingulo octiduo repete; donec in crocum ſubtiliſſimum conuertatur; quem reiteratis ablutionibus colliges, & exſiccabis.

Doſis à gr. decem ad quindecim.

α *puræ vel ſinceræ.*

β *vel elue.*

γ *vel relinque aliquandiu in loco tepido; exſiccatam tere, & denuò imbibe; idq; tam diu, donec poſtea ſponte leui attritu in puluerem ſubflauum tenuem redacta ſit.*

ALIVS.

Recipe limaturæ calybis & ſulphuris, ana partes æquales. Tere per trihorium: dein conſperge aqua communi: donec exinde maſſa quædam fiat molliuſcula: & tunc ſubſiſte, & deſicca. Poſtea pone in crucibulum amplum, inter prunas; ita tamen, vt ignis ſit moderatus, & materia continuè rudicula ferrea agitetur, ad ſulphuris conſumptionem.

nem. Rubor extrahi poteſt aqua pluuiali. Doſis eſt drac. ſemis.

ALIVS.

Diſſolue limaturæ Martis vnciam vnam, in aquæ fortis ♏ vncijs octo: digere per noctem: & deſtilla, per alembicum, aquam fortem in arena. Habebis vnciam & ſemis croci rubicundiſſimi: ε qui, vt vim adſtrictoriam acquirat, tres aut quatuor horas reuerberandus. Sic tam intra, quàm extra corpus tutò vſurpari poteſt.

♏ *Potiùs aqua fortis ſucceſſiuè & paulatim ſupereffundatur; aliàs nimis fortiter efferueſcet.*

ε *Super hunc crocum exſiccatum, & in igne leniter calcinatum, funde ſpiritum vini vulgarẽ, & appoſito alembico cæco, digere in arena: ſic ſpiritus rubeſcet, quem à fecibus decantatum deſtilla in balneo ad oleoſitatem? & habes inſigne medicamentum ad exſiccandum hydropem, & viſcera corroboranda; vniuerſalibus tamen præmiſſis. Si poſtea guttæ huius decem vel octo propinentur hydropico manè & veſperi, in decocto granorum Iuniperi, facilè rem expediunt. Eius guttæ ſex in vino exhibitæ, qualemcunque hæmorrhagiam paſſo, ilicò eam ſiſtunt. Sanat vulnera & vlcera antiqua radicitùs, ſi eadem eodem quotidiè ter illinas.*

ALIVS.

Reuerbera liniaturam chalybis, cum anâ ſulphuris triti, per quatuor aut quinque horas. a Sic Crocus inde exſurget, qui virtutem habet aperitiuam, ſed maiorem habiturus, ſuper dimidiam tantùm horam calcinetur, cum duplo ſui ponderis ſulphuris triti.

a tantùm ſpatula ferrea agitando, vt ſulphur difflagret.

ALIVS.

Digere lento calore limaturam ferri, vel chalybis, aut ferri recrementa (Nam & hæc contuſa in acetum deſtillatum deponunt rubedinem, quæ ab ipſo ferro prouenit: prout facilè, & modis varijs, id à ſcorijs ſeparari poteſt.) in aceto ter deſtillato, donec coloretur. Decanta, quod tinctum eſt: & aliud acetum reaffunde toties: donec omnem tincturam attraxerit. Depletiones filtratas deſtilla: & remanebit in fundo puluis rubeus, qui per diem naturalem reuerberari debet in crocum impalpabilem. Virtutem habet conſtringendi.

Hæc operatio non procedit, quandoquidem limatura nuda ferri, aut chalybis, in acetum, etiam aliquoties deſtillatum, ægrè aut nunquam ſuam rubedinem de ſe mittit. Expeditior res fit cum ſcorijs ferri cæruleis, aut viridiuſculis, in

lis, in puluerem contusis, & cum aceto destillato extractis, ad mentem autoris. Huius est laudatus a Crollio, in specifico dysenterico, *vsus* p. 253. & 254.

ALIVS.

Crocus Martis etiam, cum oleo sulphuris fit: infundendo in cochlear ferreum, olei sulphuris & spiritus vini, partes æquales, euaporandoque, lento calore, ad consumtionem humiditatis. Postea si resideat ad aliquot dies, inuenies puluerem subtilissimum, quem seruabis, in phialis optimè clausis, ne aer intret, quia resolueretur. (Hæ operatio Quercetani certissima est, licet crocus, qui inde prodit, non sit rubeus.) Si aliquot grana eius in iusculo aut liquore congruo dentur, verum exhibebis hepatis restauratiuum, conducens omnibus morbis, qui ex eius læsione oriuntur.

Hæc Croci Martis præparatio cum oleo sulphuris & spiritu vini, quē autor ex Quercetani Pharmacop. dogmat. cap. vlt. *circa finem propè transcripsit, non procedit; sed pro hisce duobus menstruis substituenda est aqua fortis ex vitrioli calcinato, & sale communi ana, cum argillæ tribus partibus admistis destillata. Hæc enim, posteaquā in cochleari ferreo euaporando consumpta fuerit, statim crocum fuscum, ex ferri super-*

ri ſuperficie abraſum, poſt ſe relinquit tenei rimam, & vſibus multis deſtinatum.

A L I V S.

Recipe limaturæ chalybis, ſulphuris ſubtiliſſimè triti, ana lib. vnam. Miſce: &; pone in amplum tigillum, cui aliud altum, in ſummitate perforatum, impoſitum fuerit. Allutentur inuicem optimè, & collocentur ad ignem rotæ, ſenſim carbones admouendo, donec materia ignem concipiat, & in flammā emittat altam. Tandem tegatur crucibulum carbonibus candentibus, & in ſummo igne, per horas quatuor, relinquatur. Eximatur dein materia ſpongioſa, fuſca, & inſtar marcheſitæ. Teratur in mortario ferreo, atq; in ampliore vaſe fictili, non vitreato, firmo, collocetur ſuper candentes prunas, continuò agitando, rudicula ferrea, donec omnis ſulphuris nidor euaneſcat, chalybiſque ſapor rectè impreſſus ſit vitriolicus. Læuigetur poſtea, cum aqua cinamomi, in marmore: &, poſt vnam vel alteram ablutionem, vſui ſeruetur.

Vſus. Crocus hic in pallidis Virginum coloribus percurandis expetiſſimus eſt: ſi ſequenti modo miſceatur & exhibeatur.

Recipe croci huius puluerisati ſubtiliſſimè vncias duas: raſuræ cornu cerui recentiſ. drachmas ſex: margaritar. præpar. ſalis co-

rallo-

rallorum veri, ſpodij, ana drach. vnam⌣: cinamomi interioris drach. duas : ſacchari albiſs. vnc. vnam Miſce : fiat omnium puluis ſubtiliſſimus : diuidendus in quatuordecim doſes, ſumendas ſingulis matutinis, & ſuperambulando, per duas horas, poſt quas ſorbeatur aperiens iuſculum. Ex hoc puluere, cum mucagine gummi tragacanthæ, extracta in aqua cinamomi, poſſunt fieri etiam tabellæ quatuordecim. Sed puluis meliùs operatur, ſumtus ex cochleari, cum pauco vino albo.

ALIVS APERIENS EXCELLENTISSIMVS.

Recipe limaturæ chalybis opt. inprimis ex aciculis Hiſpanicis, aut fidibus chalybeis, vnciam vnam. Calcina igne magico, guttatim ei ſuperfundendo tandundem⌣ olei ſulphuris acidi, & tamdiu relinquendo, dum ex fermentatione fiat paſta, quam exſiccatam perfunde aqua fontana frigida, & coque in vaſe æreo, vel terreo, donec cuticulam ſuperiùs contrahat. Hinc colloca in cellam frigidam, vt Chryſtalli generentur, quas, repetita opera, ſimul collectas & ſiccatas, impone lamınæ ferreæ candenti, vt humiditas aduentitia exhalet. Ita prodit crocus Martis ſubtiliſſimus, qui in liquorem facilè fatiſcit.

Nota

Nota BARTHII.

Croco Martis, quacunq; ratione præparato, Riuierius ferri rubiginem simplicem præferre consueuit, eaq; feliciter vsus est, etiam in illustribus quibusuis Principibus curandis: vt videre est in ipsius ingeniosissimis consilijs, nondum editis.

CALCINATIO VENERIS.

Dissoluitur cuprum in aqua forti: & affusione aquæ tepidæ, cum particula ferri vel argenti, præcipitatur ad fundum vasis. Pòst abstrahe rursus aquam fortem per destillationem. Vel laminæ Veneris reuerberantur in æs vstum, in fornace figulorum, quòd facilè contritione in calcem redigitur. Vel: laminæ ponuntur in crucibulum, cum parte æquali sulphuris, triti, faciendo S. S. S. & reuerberantur tribus vel quatuor horis, in æs vstum.

Veneris laminæ tenues cum sale præparato in olla firma terrea vel ferrea stratificantur, & paulatim leuiter igniuntur, postea in vas aqua frigida plenum injciuntur, & laminæ à nigredine & sale diligenter cum scopis ferreis eluuntur, exsiccatæ denuò cum sale condiuntur, vt suprà igniuntur, & in aquam frigidam immittuntur, reliquaque omnia cum prioribus, ad præscriptum, peraguntur. Aqua tandem illa, in

quæ

quæ lamiæ ſunt extinctæ & oleo, cum aqua feruenti temperatur, vt omnis ſalſedo abeat, & crocus Veneris in fundo reliquatur, inſtar ſanguinis rubicundiſſimus: quem diligenter ab omne ſalſedine per aquæ affuſionem liberatum, exſiccatum, & tritum, Cheirurgi periti, ad emplaſtrum ſtrictícum, quod opodeldoch vocant, confitiendum, curioſè ſeruant.

Crocus Veneris rubicundiſſimus.

CAPVT XVI.

De Calcinatione Lunæ & Solis.

CALCINATIO LVNÆ.

DIſſolue Lunam in aqua forti: & affuſione aquæ ſalſæ, præcipita ad fundum matracij, in calcem candidam, quæ frequenti aquiæ communis affuſione edulcorari debet, & exſiccari. Huius calcis recipe vnciam vnam: ſalis præparati vncias duas: ſalis ammoniaci drachmas duas. Hæc probè miſce, in mortario vitreo; & reuerbera, per octiduum. α Elicitur poſtea tinctura, cum ſpiritu vini alkoliſato, β & circulatur. γ Confert maniæ & alijs cerebri affectibus.

α *ſufficit dies naturalis vnus, vel duo.*

β *vel cum ſale armoniaco fortificato.*

γ *abla-*

Tinctura Lunæ.

y ablatoque menſtruo tinctura remanet in forma liquoris. Hæc eadem tinctura inſtar laſurei, ſeu cerulei vltramarini coloratiſsimi, extrahitur ex limatura Lunæ cum ſpiritu vini, in quo aliquid ſalis ammoniaci fuit ſolutum, quæ vlteriùs poſtea, ablato hoc menſtruo, & tinctura, quæ remanet à ſalſedine liberata, recente alcohole vini repetitis cohobijs, in oleum elaborari poteſt.

Tinctura Lunæ vires.

Tinctura Lunæ eſt diaphoretica & aliquantulum anodyna. Cerebri inflammationi, neruorũ conuulſioni, morbo attonito, inſaniæ & delirio ac melancholiæ maximè prodeſt. Eius guttæ tres vel quatuor ad ſex, in aquis betonicæ, ſaluiæ, vel meliſſæ exhibentur. Eſt ſingulare quoddam remedium, hepatis, lienis, & menſtruorum obſtructionibus, eaſdem ſoluendo, medens. Datur in aq. cichorei, centauri minoris ſcolopendriæ artemiſiæ. Confortat omnia membra principialia, ſpirituſque animales mirificè exſuſcitat.

CALCINATIO SOLIS.

Fac amalgama Solis, per cœmentum repurgati, cum ſex partibus Mercurij, vt ſequitur. Accipe aurum laminatum, quod in minutas particulas forficibus ſcinde: & in crucibulum mundum, inter carbones viuos

pone,

pone, vt aurum ſaltem igniatur. Deinde ex alio tigillo, mercurium β calefactum, ſuper aurum effunde, & bacillo miſce: vt incorporentur. Tunc proijce in frigidam & maſſam optimè lotam traijce per corium, & mercurium & ſuperfluum exprime, vt remaneat maſſa γ ſatis dura, quæ diu teri debet, cum duplo ſui ponderis ſalis præparati, in mortario vitreo, δ ita vt nihil de amalgamate appareat. Hoc totum pone in crucibulum coopertum & lutatum, paruo ſaltem foramine peruium: & reuerbera ε per diem naturalem: tali cautione adhibita, ne aurum liqueſcat. Hoc facto: reperies aurum calcinatum; Mercurium verò cum ſale in auras euolaſſe: ſi nempe ſal ritè fuerit præparatum, & ignis gradus, ſecundum mentem meam, accuratè obſeruatus: Aliàs enim nonnihil ſalis ſupererit, quod ſeparandum. ζ Tum aurum denuò amalgama: & per corium traijce, vt ſupra & miſce cum duplo ſui ponderis ſulphuris viui η & optimè tere: & pone in ſcutellam terram vitreatam, ſuperfundendo optimum θ vini ſpiritum, qui accendi debet. Poſt cuius deflagrationem, & ſulphuris, reperies aurum, ſpongioſum, & valdè attenuatum; præſertim, ſi idem proceſſus bis vel ter repetatur. Aliqui amalgama cum flori-

floribus ſulphuris terunt, & in crucibulo ponunt, inter carbones viuos, bacillo ferreo continuè mouendo, donec mercurius in auras abeat. Atque hæc eſt auri calcinatio, quæ auro potabili parando, & alijs ſimilibus operationibus Chymicis, commodè inſeruire poteſt.

Purgatio per cęmẽtũ vulgare & regale.

Antequam autem aurum calcinetur: debet, vt dictum eſt, cœmentari cœmento, vel vulgari, vel regali. Cęmentum vulgare ita fit.

Recipe farinæ laterum vncias octo: ſalis præparati vncias quatuor: vitrioli albi vncias duas: ſalis petræ, æruginis, ana drach. Miſc.

Cœmentum regale, quod ſoli auro probatiſsimo parcit, eſt tale.

Recipe farinæ laterum partes 4. ſalis ammoniaci, gemmæ communis præparati, ana partem vnam. Commiſta vniantur: & vrina humectentur. Quidam auri bracteas, antequam ordine digerantur, candefaciunt, & ſinuntque refrigeſcere: vt, ſi quid inquinamenti in cute hæſerit, id conſumatur, & liberiorem acceſſum & impreſsionem relinquat pulueri cœmentatorio. Omnibus ritè præparatis, pulueris aliqua portio pyxidi vel ollæ cœmentatoriæ inſpergitur æqualiter, ad craſsitudinem digiti lati. Huic imponuntur

bra-

bracteæ, vrina irrigatæ, eo ordine & modo, vt æquali ſitu, ſe λ non contingat mutuò, ne corpus corpori cohærens id accendat: caloreq; aucto, oras colliquet. Diſpoſitæ primò ordine bracteæ obruuntur puluere, μ ad dimidij digiti craſſitiem: ſequuntur pòſt reliquæ bracteæ, & rurſus pulueris portione ſufficienti conſperguntur: atque ita pergitur, donec pixis impleta, aut nihil laminarum reſiduum eſt; & clauditur tandem prædicto puluere, ad craſſitiem digiti tranſuerſi: imponiturque ν operculum, ſine reſpiraculo, ſi cementum vulgare; at ſi regale, operculum habeat foramen paruum ignis poſtea datur ad 24. horas: ita vt olla ſiue pixis ſemper rubeſcat. Finito opere, bracteæ pede leporino purgantur à pulueribus adhærentibus; & vrina lauantur, & exſiccantur.

Omnium autem perfectiſſimum cœmentum eſt, illud, quod ſequitur.

Liquefac aurum, cum duplo ſui ponderis optimi cupri: reduc in lamellas tenuiſsimas, inſtar papyri: quas cœmenta, per quadraginta vel 50. horas, igne forti, faciendo S. S. S. vt in cœmento regali dictum eſt, cum farina laterum, ſale communi, colcothare, viridi æris, & modico ſale armoniaco, cum aceto forti permiſtis. In hoc examine totum

cuprum

cuprum euaneſcit, ſulphure ipſius incombuſtibili, & tinctura in auri ſubſtantia remanente; cùm, teſte Gebero, *decimo octauo capite fornacum*, à cupro extrahatur ſulphur mundiſſimum tingens & fixum.

Optimus modus auru depurandi.

Verùm ne opus ſit tam tædioſo labore; & vt aurum perfectiſſimè purificetur: diſſolue vnciam vnam aut Hungarici, aut ſimilis electiſſimi, in aqua Philoſophica ſuperiùs deſcripta, *cap. de aque fortibus.* Hinc, per inclinationem, lentè effunde id, quod diſſolutum eſt, vt terra alba, quæ, in fundo matracij, indiſſolubilis (hæc, fuſa per boracem, conuertitur in metallum album, quod in aqua forti communi diſſoluitur) manet, ſeparetur. Dein pone aurum diſſolutum in matracium capax, colli ſatis breuis, & ſuperfunde quintuplum aut ſextuplum aquæ communis: inq; arena calefac, ad ebullitionem vſque. Tunc ſuperfunde Mercurij priùs calefacti vncias duas. Et ſi, intra horas duas, aqua Philoſophica, in qua aurum eſt diſſolutum, non ſufficiet toti Mercurio diſſoluendo, affunde aquæ fortis communis q. ſ. Deinde adde adhuc vncias duas Mercurij, quas ſimiliter diſſolue; donec videas, omne aurum, in maſsa ſpongioſa, in fundo matra-

matracij, & mercurium diſſolutum in aquã claram & tranſlucidam, quam oportet calidam effundi, per inclinationem, & aurum diligenter elui aqua tepida, donec omni acrimonia ſit priuatum: quod multò magis purificatum erit, & minori labore & ſumtu, quam ſi cœmento, aut antimonio, vtaris. Depuraui aliàs aurum, per antimoniũ, quod perpulchrum erat, & valdè ſplendidum; attamen cum id in aqua Philoſophica diſſoluiſſem, ſeparaui adhuc de eo parum terræ albæ. Vnde patet: quantò hoc examen fit exactius eo, quod per cæmentum, aut antimonium, inſtituitur.

α *probè mundatum.*

β *extra ignem.*

γ *inſtar globi.*

δ *vel marmoreo.*

ε *igne ſcilicet rotæ.*

ζ *per aquam dulcem; calcem Solis exſiccando.*

η *potiùs florum ſulphuris.*

θ *qui eſt ſine omni phlegmate.*

ι *Hac vulgari cæmento vtuntur aurifabri, cùm deaurare cupiunt, quo non ſolùm aurum purgatur ratione ſalium, ſed & in calore exaltatur à farinæ laterum & ærugine, quæ ex cupro eſt.*

κ id quod omninò fieri oportet, antequam bracteæ in aqua regia ſoluantur.

λ neque etiam latera & ſpondalia vaſis.

μ propoſito cæmentario,

ν & lutatur.

ξ quale eſt Hungaricum. Præſtantiſſimum vero fuerit id cuprum, quod ex ferro conſit, quale generatur in Zepuſio, vulgò im Zips, ex fontibus vitriolatis, ſaltem ferri fruſtis iniectis, & paulò pòſt in rubiginem corroſis, ex qua denuò beneficio ignis cuprum excellens fit.

ο Hinc per hanc recentis cupri: cum auro hoc modo cæmentato, per aliquot vices, additionem, & repetitam commendationem, aurum impensè fit rubicundum.

BEZOARTICVM METALLICVM.

Diſſolue in aqua Philoſophica α ſolis puriſſimi drachmas duas: ipſisque adde guttatim liquoris gummoſi β ſepties γ rectificati vnciam vnam. Fiet maxima ebullitio. Pone matracium ſuper cineres calidos, ad tres vel quatuor horas. Tum præcipita in aqua communi, & ſæpius ablue: vltimo cum aqua cordiali: & tandem exſicca. δ Habebis lapidem admirandæ virtutis: cuius grana ſex ſudores egregiè mouent: præſertim, ſi, vt

si, vt bezoarticum minerale, priùs ritè figatur.

α *ex sale communi & aqua forti præparata vel etiam regia.*

β *id est, butyri antimonij, & mercurij sublimati, de quo suprà cap. 12. in puluere emetico, & bezoartico minerali.*

γ *Sufficit terna vice.*

δ *Meliùs & conuenientiùs fiet, si per alembicum ex arena euocetur aqua philosophica, vel aqua regis, trina destillatione, vt suprà in bezoartico minerali factum; figatur; vix enim fiet aliàs bezoarticum hoc, ad mentem autoris præparatum, citra vomitiones & secessus.*

CERAVNO CRYSON † SEV AVRVM fulminans & diaphoreticum.

Recip. aquæ philosophicæ vnciam vnam; in ea dissolue auri purissimi, & priùs in lamellas diducti, drachmam vnam: solutam per noctem digere in arena; manè superfunde guttatim saltem, siquidem valdè ebullit, olei tartari, α per deliquium soluti, vncias duas. Sic illicò calx auri ad fundum vasis præcipitatur, β quæ multis ablutionibus edulcorari debet, & in vmbra, vel calore leniſſimo, γ cautè & prudenter exsiccari. Ex nummo Hungarico accip. grana 96.

Vſus. Aurum hoc, granis tribus vel quatuor ad ſex, in conuenienti vehiculo exhibitum, non tantùm inſigne ſudoriferum præbet & bezoarticum, ſed ſtupendas præterea, & philoſophiæ adhuc ignoratas vires oſtendit, cum fulminis ictus, & Iouis tela, manibus fabricata, Cyclopum imitatur, vnius alteriuſvè grani atomo accenſo: nec ſurſum, vt pyrius puluis; ſed deorſum verberat.

Nota. Reduci poteſt hoc aurum diaphoreticum in corpus: terendo id leniter, in mortario vitreo aut marmoreo, cum mercurio vulgari, donec ſit bene amalgamatum: dein rurſus eliciendo mercurium per retortam. Sic calx Solis in fundo manebit valdè rubicunda, quæ per boracem fundi poteſt.

Ex eodem diaphoreticum parari poteſt adhuc præſtantius, hunc in modum: Recipe ceraunocryſi quinque vel ſex grana: eaque impone in vaſculum argenteum; & ſuperfunde ſpiritum vini rectificatum optimè, quem incende; & deſuper ♂ vitrum cryſtallinum, ſatis ampli orificij, ſuſpende. Quamprimum ſpiritus vini ardere deſierit, ceraunocryſon officium ſuum faciet: & pars quædam terrea ad parietes vitri ſublimabitur. Hoc quater vel quinquies repete; ζ & vitrum

ſpiritu

ſpiritu vini laua, vt calx fundum petat, quæ exſiccari debet. Doſis gran. duorum.

† *Germanicis dicitur* das Schlaggoldt, *Latinis aurum fulminans, id eſt, quod inſtar fulminis diſſiliendo fragorem acutiſsimum edit: Crollio verò vocatur aurum volatile*, pag. 212.

α *aut in defectu huius tartari, ſal in aqua communi ſolutum accipiatur.*

β *quod animaduertes è calore aquæ Regis qui debet eſſe albus. Nam ſi adhuc flauus ſit, ſignum eſt, totum aurum nondum repercuſſum; plus igitur olei tartari guttatim affundatur. Et calce auri ad fundum præcipitata in calido liquorem ſuperiorem effunde, quæ poſtea, &c.*

γ *vel, vt vult Crollius*, pag. 211. *in patina vitrea per ſe ſponte in hypocauſto ſicceſcat, nullo ignis calore adhibito.*

δ *potiùs partem cucurbitæ ſuperiorem, cum alembico roſtrato, & receptaculo.*

ι *id eſt, diſsiliet ac fulminabit.*

Auri fulminatio & repercuſſio vnde.

Vnde autem huius fulminationis & repercuſsionis cauſa exiſtat, non æquè conſtat; Crollius quidē p. 213. *refert eam in ſalem armoniacum, atq; hanc ſuam ſententiam ſic confirmat. Quemadmodum, inquit, ſal nitrum & ſulphur ſunt hoſtes, & ſe inuicem non compatiuntur, vt videmus in præparati pulueris tormentarij accenſione; eodem modo ſal armoniacum & tar-*

tarus ſibi cõtrariantur, &c. Verùm Libauio non ſatisfacit, qui tamen ipſemet, etiamſi in prodromo Phil. Vitál. theſ. 49. pag. 12. *contrarietur, nullas ponderoſiores, aut meliores, contrarietatis in medium producit rationes. Nos verò negatiuam noſtram de ſale armoniaco, cum Clariſſimo Doctore Hartmanno, ſic comprobamus; Si ſal armoniacum eſſet percuſſionis cauſa, vtiq; ad omnem effectũ talem requirerentur; ſed non hoc; E. neq; illud. Mars enim in aqua forti, quæ nullum ſalem armoniacum recipit, ſolutus, & oleo tartari repercuſſus, eadem fulminandi facultate pollet. Rectiùs igitur virtus iſta ſulphuri ſolis igneo, & cæleſti, ac ſpiritibus nitroſis & tartareis, quorum aliqui cum auro remanent, & fixi euadunt, tribuitur; quamuis ſpiritus ſalis armoniaci etiam non prorſus ſegregetur, vnde fortior penetratio, ob ſaliũm contrarietatem, quæ tamen ſola in alijs metallis talem effectum non producit, niſi in ferro, quod vndat. Deinde idem fragor & volatilitas ſulphure igneo, non ſecus ac ipſum aurum, ab Solis protinus in infuſione olei tartari adimitur. Si enim tantiſper id infunderis in ſolutionem Solis in aqua regia, quantiſper tota compoſitio nigricet, inſtar atramenti, non tantùm planè certus exiſtis, aurum omne adfundum eſſe repercuſſum, ſed & nunquam illud poſtea, etiam ſta-*

tim

tim post primam exemtionem seu collectionem, fulminandi potestate pollere ; id quod omninò mirabile, duorum & quidem diuersorum effectuum vnam & eandem caussam extare posse. Quod sanè alioquin per naturam possibile haud videtur esse . Idem enim qua idem non efficit nisi idem : idem igitur non potest esse caussa oppositorum, nisi in eodem occurrant & concurrant diuersa principia, quæ quandoq; eiusmodi sunt & impellunt, vt verum & idem oppositorum caussa sit . Sic igitur oleum tartari, debita proportione infusum , aurum repercutiens & fulminans facit ; sed idem eandem facultatem ipsi adimit, proportione indebita, & quidem excedente, affusum, donec nempe totum nigrescat.

ζ cum recenti cerauno cryso, & spiritu vini.

CAPVT XVII.

De salibus.

MODVS ELICIENDI SAL ESsentiale *a* ex herbis, sine calcinatione.

REcipe herbæ carduibenedicti q. s. Contunde in mortario marmoreo aut ligneo, cumq; omnem succum, secundum artem, expresseris : depura eum, aut filtra,

vt decet, & cum album. ouorum clarifica: Deinde fac, vt leniter ebulliat, in vaſe vitreo, aut terreo, eumque diligenter deſpuma. Cumque ad conſiſtentiam β mellis liquidi exhalarit: pone eum, in vaſe vitreo, in locum vel frigidum, per quinque aut ſex dies & inuenies ſal elegans cryſtallinum, angulare, in modum ſalis gemmæ: γ quod, effuſo ſucco, collectum aqua carduibenedicti bene lauandum, & exſiccandum.

Eadem ratione & ex alijs herbis, & floribus, & ex roſa ipſa, ſal eſſentiale extrahi poteſt: cuius vires & effectus multò præclariores erunt, quàm illius, quod ex herbarum cineribus elicitur.

Vſus. Egregiè ſudorem mouet, ſi eius duo vel tria grana, aut circiter, in aqua adpropriata exhibeantur.

α volatile potiùs.

β vel ſpiſſitudinem exquiſitam.

Modus eliciendi ſal eſſentiale.

γ Sal gemmæ vocatur ideò, quia habet tranſparentiam ipſius gemmæ: aliàs dicitur ſal foſſile.

Hic modus eliciendi ſal eſſentiale, vel potiùs volatile, ex herbis, nulla præmiſſa calcinatione, eſt ſolarum herbarum iuxta ſal fixum, quod ſola calcinatione prodit, etiam quamplurimum ſalis volatilis poſſidentium, quales plerumq;

rumq; ſunt herbæ temperatè calidæ, vt carduus benedictus, cum reliquis carduis ferè omnibus, abſinthium, maiorana, abrotanum, meliſſa, reſta bouis, vrtica, flammula, petroſelinum, roſmarinus, & aliæ: de frigidis non item hoc intelligendum. Quamuis & multum ſitum ſit in operatione: niſi enim ſuccus ritè ad melleam conſiſtentiam ſine empyreumate coctus, ac præterea in locum frigidiſſimum poſitus fuerit, nihil aut parum ſalis generabitur. Deinde quòd hæc ſalia, hoc modo extracta, reliqua ſalia per calcinationem facta, tàm virtute, quàm ſapore ſuperent, mirum non eſt. Integritas enim ſalis volatilis, in qua eſſentialis poteſtas latet, ſalua manet; nec poteſt fieri, quin etiam ex ſulphure, & liquore mercuriali, cæteris ceu ſui compoſiti principijs, aliquid ſibi attribuant, quibus alioquin, ſi calcinando proueniſſet, carere debuiſſent.

Huiuſmodi ſales, vt & reliqua principia, licet ſummis & elegantiſſimis virtutibus prædita ſint: non tamen carent ſuis incommodis, vt quidam præſtantiſſimi viri obſeruarunt. Salia enim arrodunt & extimulant: ſpiritus caput petunt: olea ventriculum conuiſcant, & adhærent. Vnde nonnulli commoti ſunt, illa Philoſophicè coniungere, & ex combinatione horum trium primorum corporum lapillum quen-

dam

dam Philoſophicum, ſeu clyſſum, vt alij vocant, conficere, qui, ſalis, ſpiritus & olei viribus imprægnatus, ſine omni noxa vſurpari poſſit.

SAL ESSENTIALE, SIVE CREMOR, aut cryſtallus † Tartari.

Recipe tartari Montiſpelienſis α aut, quod melius, Germanici, & quidem albi, lib. vnam: β redige in puluerem ſubtilem γ & fac in ſufficienti aquæ quantitate, in vaſe figulino firmo, ebullire. Tunc amoue ab igne, &, ſi vis, traijce δ per manicam Hippocratis, vel pannum lineum, in aliud vas firmum; & colloca in locum valde frigidum, vt ſal tantò meliùs poſſit concreſcere. Quo facto, aquam per inclinationem effunde: & ſal, quod parietibus vaſis adhæret, ſeparatis fecibus, frequenti aquæ affuſione, ε collige: & iterum, vt ſuprà, decoque, ζ diligenter laua, à ſordibus ſepara, & exſicca, tandemque reduc in puluerem.

Vſus. Virtutem habet incidendi & detergendi humores craſſos & tartareos: meatuſque obſtructos, ſi quod aliud vegetabiliū, aperiendi. » Doſis eſt drachma vna in iuſculo, vel alio liquore appropriato.

Mirum eſt autem: ſales vulgò diſſolui, & liqueſcere in aqua frigida; eſſentialem verò

verò contrà in eadem congelaſcere & indureſcere. Vt igitur curioſitati ingeniorum honeſtæ, & laudabili, ſatisfaciamus: cauſam huius rei abſtruſiſsimam inueſtigemus; & cõpoſitum hoc primùm, hoc modo examinemus: Recip. ſalem eſſentialem, cuiuſcunque rei is tandem ſit: & pone in cornutam: applicando receptaculum: ſatis amplum, & iuncturas bene lutando. Dein da ignem per gradus: Primò exſtillabit aqua valdè acida; hinc oleum: & id, quod in retorta reſtabit, terra erit valde nigra & ſatis multa: qua ad albedinem calcinata, ſal quidam fixus exinde extrahitur. (Nam eſſentialis ſemper continet in ſe fixum.) Dicamus igitur omnes ſales eſſentiales eſſe cõpoſitos, ex partibus terreſtribus, aquoſis, & vnctuoſis: & inſignem illam ſiccitatem terræ prædominantis, retinere aquoſitatem: & compoſitum reddi tantò ſolidius, & minùs ſolubile, in aqua frigidà; quò magis oleaginoſitas iſta duo extrema compoſiti colligata ſeruat. Et poſſum aſſeuerare: quòd, poſtquam in aqua bulliente cryſtallos tartari ſex diuerſis vicibus diſſoluiſſem, eosq; extremè albos reddidiſſem: deinde v. in cornutam poſuiſſem, ad extrahendam aciditatem: (quæ per reiteratas diſſolutiones valdè debilitatur) oleũ adhuc vnctuoſum

ſum & adurens exſtillarim. Vnde videre eſt; quàm rectè omnes compoſiti partes inter ſe ſint connexæ. Poſſem adhuc aliam rationem, ex lib. Ariſtot. de Meteoris, adducere: quòd, ſicut elementa rarefiunt adſcendendo; ita etiam condenſentur deſcendendo, & ſi ponamus, quod terra ſit frigida, gradu quarto: aqua frigida futura ſit, octauo. Item, ſi aqua quarto gradu humida, aer humidus futurus ſit, octauo. Ac propterea ſales eſſentiales, ſiquidem valde terreſtres ſunt, non poſſunt in aqua diſſolui, niſi mediante calore: ſuperueniente autem frigore rurſus concreſcunt. Non aliter atque aqua aerem mutari non poteſt; niſi interueniente calore, qui illam rarefacit & exhalare facit: ſed quàm primùm frigus ingruit, condenſatur rurſus, & formam ſuam priorem recipit.

† *Criſtalli nomen à natiuo accipiunt, ſuntq; ſolubiles omnes in humore copioſo: nam in pauco ſuo menſtruo concreſcunt etiam. Cum coagulat filtratus liquor aluminoſus, vitriolatus, ſalſus, acidus &c. cryſtallos vel lapillos vocant.*

α vel Hungaricum, aut etiam Hiſpanicum.

β vel laua in aqua clara fontana, defuſa ſemper turbida, donec aqua talis, qualis affuſa, permaneat lympida.

γ craſſum potiùs.

& non

ϑ *non eſt opus.*

ε *potiùs cum priore proprio decocto, parum recentis aquæ affuſo.*

ζ *& hoc aliquoties repete: ſingulis vicibus, vbi decoctum, ab igne ſemotum, refrixerit, cremorem, tùm ſuperna parte, inſtar pelliculæ ſublimatum, tum parietibus cacabi adhærentem, collige, diligenter laua, &c.*

η *Cremor tartari in omnibus obſtructionibus admodum eſt vtilis. In melancholia hypochondriaca expediendâ nihil feliciùs eſt, ſi aliquot diebus eius drachma ſemis, vel ſcrupuli duo, in iuſculo, cum capparum decocto, exhibeatur, & exteriùs ad hypochondrium ſiniſtrum emplaſtrum ex ammoniaco in aceto ſquillitico ſoluto applicetur. Senibus maximè, & qui obſtructæ ſunt alui, conducit. Inſigne euadit catharticum, ſi huius cremoris ſcrupulus vnus, cum extracti ſcammoneæ granis 7. 8. vel decem, in iuſculo vel vino propinetur.*

Nota BARTHII.

I. *Vt hic ſal eſſentialis, ſiue cryſtalli tartari, benè præparentur, & rectè vſurpentur: cauendum eſt, ne illos in vaſis metallicis præparemus, aut ex ijs exhibeamus. Ratio eſt: quòd ſicut omnia mixta, de aciditate vitriolica, participant; ita vinum illa abundet, & quidem copioſiori, perfectiori, & magis completa, quàm*

omnia

omnia reliqua vegetabilia. Quapropter omnia acida, tàm vegetabilia; quàm mineralia, cùm ſint eiuſdem naturæ & originis, maximam habent cum metallis ſympathiam, & tantam quidem, vt, poſitis, aut liquefactis ijs, in vaſis metallicis, acidum hoc vitriolicum illis adhæreat: quod dum facit, multum virium amittit, & exigui effectus eſt in Medicina.

II. *Sunt, qui, vbi tartarus ebullit, & ab igne remotus refrixit, cochleari ligneo, cremorem quendam in ſuperficie aquæ ſuperiori concreſcit, colligunt. Id quod mihi non tantum videtur laborioſum; ſed etiam inutile. Nam cryſtalli parati, vt ſupra dictum, habent eandem virtutem & proprietatem, quam cremor.*

III. *Et quia cremor, propter eximiam ſuam aciditatem valde diureticus eſt: cauendum: ne ægris exhibeatur, corpore priùs non purgato. Alias enim abducit ſecum humores craſſos, ſibi, in meatibus, per quos tranſit, obuios, ad renes & vretires: ibique cauſſatis obſtructionibus, magnos dolores efficit.*

SAL IMPERATORIÆ.

Siccatam calcina ad albedinem: α ſal extrahe, cum aqua eiuſdem herbæ ſtillatitia, vel communi, β digerendo per noctem.

Poſtea

Postea aquam per inclinationem γ effunde: cauendo, ne feces turbentur; aliam vsque tertiò reaffunde, digerendo vt suprà. Tandem omnes aquas filtra: & coagula. Si coagulum non sit satis album: calcina in crucibulo, ad rubedinem;(non tantùm crucibuli; sed etiam, si vis, ipsius salis: quia salia fixa igniuntur,antequam liquescant)cauendo, ne δ liquescat: deinde resolue, ε filtra & coagula. ζ Sic sal habebis albissimum; vt nulla dissolutionis, filtrationis, & coagulationis repetitione opus habeat.

Ita sal extrahitur ex Saluia,& omnibus herbis: sed tali calcinatione perit sal volatile, siue essentiale, manetque solum elementale, η quod in humido facilè soluitur, & semper saporem habet ingratum. Interim sal hoc etiam extrahi potest menstruo latis vulgari, vt nunquam in humido soluatur, & saporem habeat gratum.

α *hoc est, cineres albos.*

β *calida; non tamen feruenti: quod obseruandum.*

γ *& filtrationem.*

δ *Nonnulli parùm curant liquefactionem in igne. Citiùs enim albescunt salia; sed propter fluxum eiusmodi salia postea rarò consistunt, sed plerumque in liquores ab aere resoluuntur,*

tur, quin imò non leuem virium patiuntur iacturam.

ε in igne.

ζ idque sæpius repete, donec salia fiant purissima.

η fixum potiùs siue terreum.

Saliũ vegetabiliũ crystallinorũ præparato genuino.

Sales vegetabilium crystallinos seu transparentes instar salis petræ feceris, si cuiusque cineres, post calcinationem, denuò cum æquali parte sulphuris commistas, calcinaueris, idque igne non admodùm leni, & tandem beneficio aquæ communis destillatæ extraxeris, filtraueris, & euaporaueris, donec tantum aquæ cum sale restiterit, quosque ille in crystallos in frigido abire possit. Hi sales sunt omnium optimi: nec enim facilè in deliquium abeunt, nec lixiuium resipiunt: quin imò sales hoc modo præparati mirificè operantur. Sic sal absinthij, hac methodo præparatus, purgat per vomitus, ventriculi & pectoris impuritates expediendo, si eius scrupulus vnus, vel drachma semis, in vncijs duabus aquæ propriæ, id est, absinthij, exhibeatur. Sic sal Imperatoriæ, iuxta hanc sententiam ex radicibus factus, & à 4. ad 8. gr. in robsambucino exhibitus, tollit omnes febres intermittentes.

SAL TARTARI.

Sternitur tartarum, in vase terreo, non vitre-

vitreato, plani fundi, ad craſſitudinem digiti. Reuerberatur poſtea, ad albedinem vſq;, ſpacio quinque vel ſex horarum, igne ita moderato, propter fuſionem, vt vas ſaltem candeat. Tartarum, ita ad albedinem calcinatum, perfunditur aqua communi digeritur, filtratur, & coagulatur.

Huius præparationis compendium fieri poteſt: ſi tartarũm ad nigredinem comburatur, pòſt diſſoluatur, & coaguletur.

Modus hic non eſt aſpernendus, præſertimque obſeruanda in eo ignis lenis moderatio, quo hic ſal melius fit, quàm fornacum figulinorum intenſiore. Ex hoc ſale per deliquium ſoluto fit oleum tartari per deliquium, de quo ſupra, quod rarò ad medicos venit vſus, niſi quod eſt conſtitutiuum magiſterij tartari, de quo mox.

SAL CORALLIORVM.

Hoc fit, digerendo α corallia trita, in aceto, ter deſtillato, β per noctem: poſtea filtrando, & acetum ad ſiccitatem euaporando. γ Sic ſal coralliorum manet in fundo vaſis: quod vt pulchrius euadat, diſſolui poteſt aliquoties in aqua deſtillata, δ filtrari, & denuo coagulari. ε

Vſus. Vires eius ſunt excellentes. Sanguinem enim in vniuerſo corpore mundificat:

priſtinum ſanitatis vigorem reſtituit: fluxus vteri, ventris, hæmorrhoidum ſiſtit: roborat cor & ſtomachum; omnes obſtructiones viſcerum reſerat; concretumque ſanguinem diſſoluit. Prodeſt & in hydrope, conuulſionibus, paralyſi, calculo, ſuffocatione matricis, ſi cum aqua, affectui præter naturam conueniente, exhibeatur. Doſis à granis decem, ad ſcrupulum vnum, vel duos, pro ratione ætatis, & vehementiæ morbi. ζ

α *& ſoluendo.*

β *Nonnulli acetum ſic conficiunt. Deſtillant à cineribus herbæ Kali lib.* 1. *ſenſim priùs infuſi, propter metum ſcilicet efferueſcentiæ, aceti deſtillati optimi libras ſex, cohobando bis vel ter. Acetum tale fit dulce, & non admodum mordax; nec tamen magnis caret viribus: ilicò enim corallia, vt & perlas, ſoluit.*

Croll. pag. 162. γ *vel: poſt ſolutionem abſtrahendo acetum ad ſiccitatem.*

δ *vel, quod melius, rore Maiali ſupra triticum collecto & deſtillato.*

ε *donec ſal candidiſſimum habeas, ab omni acetoſitate liberum, id quod facilè obtinebis, ſi acetum ſuperius ad operationem hanc citiùs abſoluendam adhibueris.*

ζ *De natura & viribus ſalis coralliorum videatur Crollius*, Baſil. Chym. pag. 16. & *Anshelm.*

Anshelm. Boetius de Boodt, cap. 152. lib. 2. de gemmis.

Quercetanus Pharmacop. Dogmat. c. vlt. *sal ita elicit: corallia crasso modo conterantur: postea ritè dissoluantur in succo limoniorum vel berberum: qui succus post illorum dissolutionem rursus separetur: & quod in fundo remanet, (quodq; postea pluries cum aquis cordialibus dissolui & coagulari potest, ad aciditatem dissoluentis acidi tollendam) dicitur sal coralliorum. Nonnulli autem magis operosiùs sic præparant? Corallia benè trita (quamuis, corallia crasso modo conterenda esse, censeat Quercetanus dicto loco) vasi vitreo, apposito alembico, imponunt, eaque, vt vasis fundus ex candescat, ad albedinem vsque calcinant. Calcem aceto destillato potenti immittunt, ac in loco tepido digerunt ad octiduum quotidiè bis agitando materiam; ita tingitur colore rubro: postea colaturam diffundunt, repetunt infusionem. Deinde tincturas omnes simul collectas vesicæ injiciunt, phlegmaque omne alembico abstrahunt, liquoremque crassum, qui in fundo remansit, in vitrum paulatim infundunt, seorsumque omne in calido exhalare sinunt. Quo euaporato noua coralliorū rudimenta apparent, quæ abluuntur aqua calida sæpius, qua abstracta, exsiccatam materiam supra cineres calidos*

fouent per hebdomadas aliquot ; ita enim ſal albiſſimum conuertitur , quod in quolibet liquore promptiſſimè ſoluitur .

Nota BARTHII.

An hoc ſal tantarum ſit virium , meritò dubitari poteſt . Nam ſi illum deguſtes ; quid aliud, ex ingratiſſimo eius ſapore, iudicabis eſſe, quàm calcem viuam , aceto præparatam ? Deinde quis non ſuſpicetur , nobiliſſimas eius vires, calcinatione eiuſmodi , corrumpi & deſtrui ; cùm geſtata tantum , in febribus & alijs quibuſdam morbis , omnem tinctturam ſaturatam , & colorem facillimè amittant ? Quid? quòd valdè abſurdum ſit : velle ex omnibus rebus extracta facere, olea, quintas eſſentias, præſertim ex ſubſtantijs per ſe planè vel ſubtilibus, vel homogeneis , quales ſunt vniones , corallia, moſchus , ambræ &c. Induunt enim non rarò Chymicè præparata quædam aliam naturam, & non præparatis planè contrariam . Immò quædam alia non præparata maiores vires habent , & naturæ humanæ conuenientiores , quàm ſi Chymicum ignem experta ſint : quòd in pipere fieri cernimus . Affecto enim ventriculo , grana illius aliquot deglutita plus efficiunt , quàm ſi magna copia oleum eiuſdem aromatis exhibeatur . Atque hac de re Feliciſſimum etiam Platerum p. m. auditores ſuos ,

olim

olim pro lectione, fideliter commonuisse, constat.

BVTYRVM CORALLIORVM.

Recip. coralliorum rubrorum & salis petræ, ana part. æquales: calcina igne forti, horam vnam. Pòst edulcora, affusa toties aqua pluuiali destillata, donec nulla ampliùs acrimonia salis petræ, in aqua, gustu percipiatur. Hinc coralia edulcorata pone in phialam: & affunde ijs acetum destillatum: cumque octiduum ita steterint, filtra per chartam, & rursus affunde acetum destillatum recens: & perge, vt priùs, idq; toties repete, donec coralia sint planè dissoluta. Hæc postea sume, & pone in phialam vitream: & destilla ex B. M. Sic remanet in funde essentia coraliorum: cui affunde aquam pluuialem destillatam, eamque dissolue: & rursus destilla: hocque sexies aut septies repete, donec aceti acrimonia gustu non ampliùs deprehendatur.

SAL CALCVLI HOMINIS.

Recip. lapides aut calculos hominis: & calcina primùm igne moderato, dein magno; inque pulnerem redactos, & cum æ-

quali portione ſulphuris, & ſalis petræ, mixtos reuerbera, in alcohol albiſſimum, quod, ad ignem cinerum moderatum, in ſuccum berberum clarificatum poni oportet, donec totum diſſoluatur. Tunc, filtrato liquore, exſtillandus is eſt, per balneum, ad ſiccitatem. Sic ſal manebit in fundo vaſis.

Vſus. Expellit potenter calculum è renibus & veſica. Exhiberi poſſunt eius grana tria aut quatuor, in vino albo, Luna creſcente: eſtque doſis aliquoties repetenda.

SAL COLCOTHARIS.

Colcothar perfunditur aqua pluuiali, & ſal, digeſtione vnius diei vel noctis, in eam ingreditur, qui filtratur, & ſal poſtmodũ coagulatur. Rubedo aliqua, ſi ſexies aut quinquies iterum calcinetur, & ſalſedo ſemper eluatur, tandem dulcis relinquitur, & vocatur dulcedo vitrioli, teſte Libauio, *in alchymia*: quæ maior eſt, ſi ex vitriolo Veneris paretur, [a] & præſens eſt in vlceribus malignis remedium.

Colcothar qdnam?

† *Colchothar eſt caput mortuum, reſiduum ex deſtillatione olei vitrioli; vel eſt ipſum vitriolum ad ſummam rubedinem calcinatum. Vſus ſalis colcotharis eſt rarus, niſi quòd nonnulli in diaphoreticis id valdè commendent gr. duobus vel tribus.*

[a] *Terra*

a Terra vitrioli dulcis, per hunc modum parata, habet tantùm vim emplasticam & stipticam, nec est vera ea dulcedo, quàm aliàs vitriolum; & omnia in se continent acria. Illius vsus est in emplastris & hæmorrhagijs nariũm. Terra vitrioli.

VITRIOLVM VOMITIVVM.

Dissolue vitriolum album in aqua communi, filtra, & coagula. Repete hoc secundò. Tertiò dissolue in aqua rosacea: pòst filtra, & coagula. Dosis à drachma semis ad drachmam vnam.

ALIVD.

Dissolue vitriolum album in qua destillata: filtra: & in vase terreo fac aquam exhalare, donec cuticulam superiùs contrahat. Tunc vas pone in locum frigidum, vt crystallos producat: quibus separatis, fac reliquum humorem euaporare, donec rursus cuticula oboriatur: & vt suprà, crystallisa, hocque secundò repete. Tertiò crystallos in aqua rosacea dissolue: euapora: &, ut supra, cystallisa, igneque lento exsicca.

Vsus. Dosis à scrupulo vno ad drachmam semis, in hausti uini, uel cereuisiæ, aut conserua rosarum. Felici cum successu exhibetur in febribus, uentriculi cruditatibus, catarrhis, lumbricis, peste, &c.

Paracelsi Gilla.

† *Vocatur à Paracelso* lib. 1. de rebus naturalibus cap. 8. (*vbi agit de virtutibus vitrioli crudi & colcotharis) Grilla non Gilla, aitque id nominis vitriolum accipisse secretè. Liquorem verò vitrioli ad cerebri magnos illos affectus, vertiginem, phrenesin, maniam, caducum,* tertio & quarto capite 2. de viribus membrorum internorum, *vocat arcanum, quod ex Grilla extractum est. Siue itaq; illo, siue hoc nomine appellaueris, perinde fuerit. Videatur Crollius*, pag. 118.

α *Dosis hæc autoris est nimis magna; vltra scrupulum semis enim vix exhibetur.*

β *potissimùm quotidianis, quæ sunt ventriculi, cum aq. centaurij minoris, vel potiùs in eiusdem decocto.*

A L I V D.

Extrahe sal ex capite mortuo vitrioli, quod à sublimatione florũ sulphuris reliquum est.

Vsus. Salis huius scrupulus vnus, in aqua fœniculi adsumptus, vomitum concitat, sedes mouet, & sudorem. Interdum etiam somnum conciliat.

Angeli Salæ vitriolum vomitiuum.

Est & vitriolum aliud vomitiuum & purgans simul, quod Angelo Salæ adscribitur, sequentem in modum paratum: Recipe vitriolum Romanum cœruleum, q.v. reduc in puluerem, & supra chartam in loco calido, sine radijs solaribus

bus, in pulucrem album exſicca ; poſtea ſolue in acq. centaurij minoris, per filtrum traijce; remotis fecibus, liquorem lympidum, è balneo, ad tertiam partem deſtilla. Vas in locum refrigerationi accommodatum repone, vt concreſcãt cryſtalli, quos ſeparatum ſiccabis, ſeruato tamen colore cæruleo ; cryſtallos toties collige, quoties neceſſitas exigit, ſemper videlicet deſtillando ad tertiam partem, & frigori poſtmodum exponendo ; collectos cryſtallos ſerua in vitro probè occluſo. Hoc vitriolum per vomitum & ſeceſſum purgat corpus. Doſis a gr. 5. ad 10. in liquore aut aqua deſtillata appropriata. Eximium eſt in febribus peſtilentibus.

Nota. Vniuerſaliter in omnibus vomitorijs vitriolatis exhibendis, ſedulò cauendum eſt ab aſthmate, alijsq; pectoris affectibus. Vitriolum enim crudum venenum eſt, ſuffocando enecans, &, quomodocunq; præparatum, vix omnem ſuffocandi prauam deponit indolem.

SAL aut VITRIOLVM LVNÆ.

Recip. Lunæ fulminatæ, & in ſubtiliſſimas lamellas diductæ, vncias octo. Pone in cucurbitam : & ſuperfunde ſpiritus nitri q.ſ. vt nempe ad vnum digitũ ſupernatet. Dein claude vas, alembico non roſtrato, & digere in balneo vaporoſo, per viginti quatuor horas,

ras, ac deſtilla, calore lento, ſpiritus nitri volatiliores; donec videas, nihil ampliùs exſtillare. Tunc vaſe refrigerato, ſuperfunde alium ſpiritum nitri, digere, deſtilla, eò vſque, donec Luna pondere triũm aut quatuor vnciarum ſpirituum nitri magis fixorum ſit aucta. Tunc omne phlegma vapore balnei bullientis expelle; vasque exacte clauſum, in digeſtionem triginta dierum, in balneum vaporoſum pone: intra quod tempus Luna mutabitur in aquam viſcoſam albam, quæ, poſita in locum frigidum, congelaſcet in vitriolum viride & cœruleum.

Hac eadem via parari poteſt *vitriolum Solis*, ſuperfundendo ſpiritum nitri, ſuper ſalem præparatum, idemque regimen obſeruando, ſicuti de Luna dictum.

Vitriolũ Solis. Ex vtroque iſto vitriolo, debita proportione coniunctis, & in athanore decoctis, donec omnes calores apparuerint, & tandem in rubedine ſubſtiterint: paratur medicamentum quoddam, quod non minoris eſt efficaciæ & virtutis; quàm magnum illud lapidis Philoſophici arcanum.

Doſis eſt gr. vnum in omnibus morbis deſperatis.

SAL

SAL SIVE VITRIOLVM MARTIS.

Accipe ſpiritus vitrioli; vel ſulphuris per campanam facti, licet non rectificati, vnciam vnam, aquæ communis vncias duas. Miſce in matracio, & adde limaturæ ferri vnciam vnam; hocque obſeruatum colloca in cineres calidos, vt omnia bulliant lentiſſimè ſpacio ſex horarum. Poſtea infrigidari ſponte permitte: & inuenies in vaſe generatum vitriolum, viride, ſplendens, quod calore diſſoluitur frigore coagulatur, quodque autor Cheiragogiæ Helianæ, abſque omni ratione ſolida, Martis ſalem eſſe inficiatur.

Si quis verò hanc præparationem propterea damnandam cenſet: quòd corroſiuo præparetur, ob eandemque cauſam, Crollianam præferat: reſpondeo: eam non minùs hac ratione corroſiuis parari: atque meam. Per reiteratam enim calcinationem Martis & Veneris, cum ſulphure, aciditas Veneris vitriolica cum metallis fixatur: quod ex pondere facilè dignoſcitur: ſi omnia ſecundum Crollij mentem, & meam, rectè inſtituantur.

Ad aſthmata, etiam inueterata, & tuſſes, aliaſque pectoris infirmitates, ex Marte ſubitò fieri poteſt vitriolum albicans hoc modo: Re-

cipe

cipe limaturæ chalybis tenuis, puræ, & neutiquam puluerulentæ, vnciam semis: superfunde guttatim in scutella vitrea olei sulphuris per campanam facti, non rectificati, drachmas duas; statim incalescit, & totus Mars soluitur; sine quiescere & refrigerari. Sic fiunt crystalli; qui per aquam communem destillatam soluti, & à fecibus per filtrationem liberati, denuò in crystallos, aqua euaporata, redeunt. Eorum grana duo vel tria, in syrupis pectoralibus aliquoties exhibita, mirificè asthmata expediunt, idq; nec per vomitum, nec per secessus; sed sudoribus prorumpentibus.

SAL SIVE VITRIOLVM VENERIS.

Cuprum calcinatum, siue squamas cupri, reduc in puluerem subtilem, quem in aceto destillato, per diem naturalem, digere. Tinctum acetum per inclinationem effunde: & aliud reaffunde toties; donec non tingatur vlteriùs. Depletiones filtra: & tres partes fac euaporare, vel destilla: quodque relinquitur in fundo vasis; ponatur in locum frigidum. Sic generabitur vitriolum viride, obscurum, splendens.

ALIVD.

Laminæ Veneris cum ana sulphuris triti, vt dictum est, in calcinatione Veneris reducuntur

cuntur in puluerem ſubtilem: & in olla terrea, cum ſulphure trito, calcinantur, continuè baculo cupreo mouendo, donec totum ſulphur combuſtum fuerit. Hinc calx denuò teritur; & cum octaua parte ſui ponderis ſulphuris triti calcinatur, vt ſuprà, hocque quinquies aut ſexies repetitur. Poſtea calx iſta in aquam feruentem proijcitur, & baculo ſæpius mouetur, dum fundum vaſis petit, & aqua refrigeretur: quæ filtrata euaporet ex tribus partibus, & ponatur in locũ frigidum, vt cryſtallos cœruleos producat; vel ex toto euaporet.

Vide Crollium, pag. 218. & ſeq. *accuratiùs de hac præparatione præcipientem. Habetur & alia via compendioſior, qua fit vitriolum Veneris & Martis; ſed hermaphroditicum, id eſt, quod vtriuſque, Veneris nempe & Martis, naturam habet: ex ambobus enim conficitur, & vbiuis à Baſil. Valentino Monacho celebratur. Cuius vires in Medicina ſunt eædem cum hac autoris præparatione.*

Vitriolũ Veneris, & Martis hermaphroditicum.

SAL aut VITRIOLVM IOVIS.

Diſſolue ſtannum Anglicanum in aqua forti, facta ex alumine & nitro. Quieſcat ita diſſolutio; & videbis calcem ſtanni, albam,

bam, inſtar niuis, ad fundum vaſis, præcipitatum iri, quam ſublimari oportet, ſicuti cum flores albi antimonij parantur: & inuenies puluerem albiſsimum, inſtar pollinis, in capitello ſublimatorij, qui in aceto vini, ter deſtillato, diſſoluendus, & integrum biduum digerendus: vas ſæpè agitando. Dein eo, quod diſſolutum eſt, per inclinationem effuſo, aliud acetum vini reaffundendum ſuper id, quod adhuc diſſoluendum reſtat: & omnia menſtrua, vſque ad ſiccitatem, per B. M. exſtillanda, bonuſque vini ſpiritus ſuper id, quod in fundo vaſis remanebit, fundendus, digerendus, decantandus, & alius ſpiritus ſubſtituendus; donec totum reſoluatur. Tunc oportet duas tertias ſpiritùs, per balneum, exſtillari, & reliquum in frigidum collocari, vt cryſtalli formentur, qui ſeparati in liquorem reſoluuntur: ſi in locum humidum, ſuper marmor, ponantur.

Vſus. Tres aut quatuor guttæ eius, vmbilico feminæ hyſtericæ calidè infricatæ, veteri ſuffocationem ſtatim tollunt. Hic idem liquor ſummum eſt remedium in morbis Venereis. Curat omnis generis vlcera fœtida, fiſtulas, lupos, cancros, noli me tangere, & alia carcinomata maligna. Duæ aut

tres

tres guttæ, exhibitæ intra corpus, potenter aluum mouent.

SAL SATVRNI.

Calx ſaturni, ſiue minium, α perfunditur aceto deſtillato, vel ſaltem β eius phlegmate: digeritur per diem naturalem, ſæpius agitando. Poſt menſtruum abſtrahitur, aliudque ſubſtituitur, donec omnis ſalſedo extrahatur; depletiones filtrantur, & in cineribus, vel arena, coagulantur: Sic habes ſalem Saturni; ſuper quo ſi acetum ter deſtilletur, cum cohobijs, atq; etiam poſtea vini ſpiritus, cum trina cohobatione: ſal ſic virtutem adquirit admirandam, γ in ſanandis diuerſis morbis.

Vſus. Si eius ſex grana dentur in peſte, cum vino albo; curatur æger intra viginti quatuor horas. In hydrope dantur tria gana, in vino albo, quatuor diebus continuis: in colica ſex grana, cum vino albo: in lepra itidem ſex, cum aqua fumariæ, continuè per octodecim dies. Saccharum hoc ♃ intra corpus ſumptum, frigiditate ſua, libidinem veneream extinguit: ε ac propterea vtile ijs, qui in cœlibatu viuunt. Extrinſecus vſurpatum mira præſtat in vlceribus corroſiuis, malignis, cancroſis, lupo & ſimilibus. Contra putredinem oris etiam, & impetigines, ambuſta,

ſta, inflammationes, tumores, ζ puſtulas faciei rubras, præſtantiſsimum eſt medicamentum, ſi cum oleis, aut aquis conuenientibus, applicetur.

α *ſuprà cap.14. factum, ſub titul. Calcinationis Saturni.*

β *Verba illa*, vel ſaltem eius phlegmate, *deleantur.*

γ *Huius ſalis deprædicatio nimis pompoſa eſt, & valde aliena ab experientia, rerum omnium magiſtra.*

δ *vel mel, vel butyrum, de cuius vſu proli-xè Crollius*, pag.274. & 275.

ε *Caſtitatem præſtat etiam butyrum hoc Saturni, ſi vmbilicus & priapus eo inungantur, atq; ita deſiderium fœminarum minuit; aſt viciſſim ſi mederi velis, vtere balneo Laconico, & inunctione vmbilici cum ol. nucis moſchatæ deſtillato.*

Sal Saturni tumores diſſoluẽs.

ζ *Hoc mirum cuipiam videri poſſit, cum hoc ſit frigidiſſimæ naturæ, quomodo tumores, durities, & ſcirrhos diſſoluere poſſit. Attamen experientia hoc ipſum nos docet, & conuincit, vtut principia Galenica non vſq; quaque reſpondeant.*

CAP.

CAPVT XVIII.

De floribus.

FLORES BENZOINI. †

BEnzoinum teritur, α & ollæ rotundæ β imponitur; deinde clauditur duplici charta emporetica, conuoluta in modum manicæ Hippocratis: & datur poſtea ignis γ ad ſublimationem idoneus: δ floreſque niuei, qui nihil aliud ſunt, quàm ſal eſſentialis dulcis, ſæpius colliguntur.

Vſus. Valent ad aſthma, ε & omnes pulmonum morbos. Doſis ſcrupulus ſemis, in liquoribus vel ſyrupis idoneis. Topicum etiam remedium ſunt, ad tubercula, & ruborem faciei. ζ.

† *hoc eſt, aſæ dulcis.*

α *groſſo modo.*

β *cum pedibus.*

γ *arenæ, vel prunarum.*

δ *dum flores ſcilicet aſſurgunt; quod deprehendi poteſt, ſi chartæ admoueatur candela.*

ε *Si florum Benzoini drachmæ duæ, cum florum ſulphuris drachma vna miſceantur, & ex hac miſtura, quantum cum mucrone cultri capi poteſt, cum pauxillo ſalis, in ouo ſorbili,*

ſingulis diebus manè, ieiuno ſtomacho, exhibeatur, ad vitia pectoris feliciùs expedienda, præſertim in phthiſi, & aſthmate etiam inueterato, commendatur.

℥ cum vnguento pomato, aut butyro Maiali illiti.

FLORES SVLPHVRIS.

Parantur, miſcendo æquales partes ſulphuris, & colcotharis α perfectè rubificati exſiccatique; & ſublimando, β vt in antimonio (ſpatio tamen octo horarum operatio hæc perficitur, nec tanto opus eſt igne, vt in antimonio) dicetur. Secundò ſublimantur cum ſaccahro γ cryſtallino ſolo, vt magis ad aſthma, & alias pulmonum affectiones, conferant auxilium. Nec metuendum hic, ne ebullitio, liqueſcente ſulphure, ſublimationem impediat. Quocunque enim modo ſulphur ſublimetur, ſiue per ſe, ſiue cum additione, ſemper ebullit.

Fit etiam hæc florum præparatio, miſcendo ad libram vnam ſulphuris, libram vnam ſemis farinæ laterum; Vel, ad libram ſulphuris addendo colcotharis, & ſalis decrepitati, ana libram ſemis; Vel, per ſe ♂ etiam, abſque vlla additione.

Vſus. Flores hi valdè reſiſtunt putredini, ac propterea in peſte, tam præſeruationis, quàm

quàm curationis gratia, vel in aqua carduibenedicti, aut meliſſæ, vel theriaca, vel ſyrupo acetoſitatis citri, ad drachmam vnam, vtiliter vſurpantur. Præſeruant à febribus & epilepſia. Sudorem in lue venerea promouent. Conducunt in omnibus morbis, qui exſiccatione opus habent: in omnibus pulmonum affectibus, aſthmate, tuſſi antiqua & recente, catharris ad pectus defluentibus: pleureſi, colica: apoſtematibus, & ſimilibus.

Poſſunt etiam exinde tabulæ formari, hac ratione: Recip. gummi tragacanthæ in aqua roſarum moſchatarum, aut cinamomi diſſoluti ſcrupul. duos: ſacchari finiſſimi ſubtiliſſimè pulueriſati vnc. ſex: flor. ſulphuris vnciam vnam: ſpec. diarhod. abbat. aut diatragac. frigidi, magiſterij coralliorum, ana vnc. ſemis. Miſce: & tunde hæc ſimul, cum tragacantha diſſoluta, in mortario marmoreo. Deinde manibus, oleo aniſi aut fœniculi oblitis, paſtam hanc diligenter ſubactam ſuper tabula munda, ligno rotundo, extende, tabulaſque ex ea, quibus manè, & ueſperi, ad omnes pulmonum morbos, & catarrhos capitis exſiccandos, utaris, confice.

Doſis eſt drachma una.

α *Hi tamen flores propter acredinem non vsquequaque vtiles sunt.*

β *per arenam ex cucurbita flores in alembicum colliguntur.*

γ *Sublimatio cum saccharo candi vix potest operi conferre: liquescunt enim vna & saccharum ebulliendo sublimationem impendit; potiùs miscendi sunt flores sulphuris cum saccharo candi, & vel forma electuarij, vel morsellorum, vsui adseruandi.*

Flores sulphuris simplices.

δ *Qui modus vltimus omnium est syncerissimus, sitque hoc modo: Cucurbita terrea, ad quàm priùs duo alembici vitrei congrui sint selecti, ita vt vnus post alium possit adhiberi, locetur priùs vacua in arenam; quæ vbi gradibus ignis paulatim fuerit ex calefacta, immitte sulphuris communis, in frustra conquassati, manipulum vnum aut alterum, & appone alembicum. Videbis paulò pòst eleuari flores, si modò ignis iustè administratus fuerit; aliàs, si intensior is fuerit, iacturam patieris operis. Quòd si itaque nonnihil florum in alembicum eleuatum fuerit, illo sublato, substituatur alter, & identidem flores sic, repetitis sæpè alternis alembicorum vicibus colligantur. Quòd si elegantiores & puriores adhuc desideres, hanc florum sublimationem semel atque iterum reiterare poteris.*

Hos

Hos flores ſi in vſus adhibere velis medicos, poteris partem quandam cum alijs, ex gr. gummatibus ſequentibus ſelectiſſimis, in tenuiſſimum puluerem tritis, mixtam ſeruare ad vſum, ſuadente idipſum Paracelſo, in lib. 8. paragr. pag. 232. de aſthmate, & cap. de ſulphure 3. tom. 7. pag. 174. *Flores ſulphuris compoſiti.*

Recipe ergò florum ſimplicium ſulphuris, ter eleuatorum, vnciam vnam & ſemis: myrrhæ electæ drachmam vnam: aloes epaticæ ſcrupulum vnum: croci grana quindecim: terræ ſigillatæ ſcrupulum vnum: ſacchari q. ſ. Diſ. ſoluatur hoc in aq. roſarum, vel pectorali, & fiat, maſſa, ex qua formentur rotulæ, vel cum tragacantha in aq. roſacea diſſoluta F. tabulæ; aut cum theriaca extract. electuarium. De his vt & eorundem compoſitione, egregiè: præcipientem, vide Crollium, in Baſil. Chymic. pag. 229. & ſeqq.

RVBINVS AVRIPIGMENTI DIAPHORETICVS.

Recip. auripigmenti elegantis & ſplendidi vnc. vnam. Redige in puluerem valde ſubtilem: & ſublima in phiala, aut paruo matracio, igne forti, donec fundus vaſis candeſcat. Et habebis, intra dimidiam horam, pulcherrimos rubinos, circa collum vaſis ſublimatos.

Vſus. Dantur hi rubini, à ſex ad octo grana, in brodio conſeruationis zingiberis, ad prouocandos ſudores, in morbis venereis, ſcabie, & ſimilibus.

Ijdem rubini, puluerisati cum æquali pondere florum ſulphuris, & in matracio, igne arenæ aut cinerum, ſecundi gradus, per dies octodecim, aut viginti, digeſti, mirificè catharros exſiccant.

Doſis eſt ab octo ad duodecim grana, in pulmonum adfectibus, exhibita in roſarum conſerua. Idem puluis ſudorem etiam *mouet*.

ALIVS RVBINVS ARSENICI DIAPHORETICVS.

Sublima arſenicum, in matracio, bis aut ter igne arenæ, per quinque aut ſex horas, donec euadat planè cryſtallinum: ſemperq; ſepara puluerem ſubtiliſſimum, qui collo matracij, inſtar farinæ volatilis, adhæret, eſtque ipſum arſenici venenum. Partem cryſtallinam puluerisa: eamque bene miſce, cum tandundem florum ſulphuris: & ſublima, ſicut ſuprà, in maſſam rubram, quæ ſpecificum eſt remedium in affectionibus pulmonum.

Vſus intra corpus, ad ſudorem concitandum, exhibetur, à granis ſex ad octo.

Extrin-

Extrinsecus vsurpatus curat omnia vlcera maligna; & curatu difficilia.

Nota BARTHII.

Quercetanus auripigmentum totum, per se sublimare consueuit: & rubinos inde ortos collegit: quos postea in puluerem reduxit, sine vlla alia præparatione; eamq; exhibuit, ad grana tria; quatuor; quinque, in liquore sudorifero infusam, vt in aqua cardui benedicti; vel vlmariæ, vel cum extracto angelicæ mixtum. Est admirandum diaphoreticum; ad omnia carcinomata, pestem, lepram, & ad omnes pestiferos & arsenicales morbos:

FLORES † ANTIMONII.

Electum stibium, in subtilem puluerem redactum, ex aludele terreo, in alembicum α rostri expertem quidem, sed tamen in vertice peruium, ad humidos spiritus emittendos; cum mobili cono, β sublimetur secundum artem, dando ignem, per gradus, decem vel duodecim horas, γ ad flores albos excipiendos: ad citrinos, per viginti quatuor horas: ad rubeos, per triginta sex, ignem continuando & augendo. δ Albi flores si spiritu vini circulentur, facultatem emeticam amittunt, & per inferiora tantùm purgant.

† *Elegantiores fiunt flores antimonij, ſi, ſecundum Crollium, ex retorta, per arenam admiſtam ſublimentur*, pag. 132.

α *potius in ollas, artificiosè ſibi incumbentes.*

β *vitreo vel terreo.*

γ *ignis gradus hanc florum antimonij variationem præſtare non poſſunt.*

Flores antimonij non niſi correcti in medicũ vsũ accerſendi.

δ *Flores antimonij in medicum vſum accerſendi non ſunt, niſi corrigantur: id quod de vitro eiuſdem rectè à veris Chymiatris pronunciatum eſt. Primò itaq; vt flores antimonij probè corrigantur, habeantur flores antimonij albi, qui communi more fiunt, per ſublimationem ſcil. in aliquot ollis, ſupernè ad orificium cucurbitæ ſeſe excipientibus, ceu monet hic autor. Quæ via quidem expedita; ſed feliciùs proueniunt, ſi fictilis cucurbita, ex bona materia facta, inferiùs propè fundum ſit tubulata, eiq; poſtea, firmiter in furnum collocatæ, adaptentur alembici cęci inuicem ſeſe capientes: itaq; qua ſe cupiũt, ſint perforati: eorum ſunt numero ſe vel plures; in ſummitate verò apponatur alembicus vitreus roſtratus, cui cucurbita regalis adiecta ſit. Primùm itaque, vbi, ignis gradibus admotis, cucurbita tubulata per ſe vacua fuerit ignita, ex antimonio trito cochleare vnum paulatim, & poſt vices, eſt iniiciendum; ſtatimq; liqueſcit*

Flores antimonij albi.

ſcit & vi ignis tolluntur flores ſurſum, in ſuperimpoſitos alembicos cæcos. Antimonium verò iniectum eſt cum ferreo ſtilo incuruato aliquoties per tubulum mouendum: ſic enim citiùs & velociùs ſurſum fertur. Omnibus citè rectèq; inſtitutis, etiam ad diſtantiſſimum alembicum roſtratum flores eleuantur, cum aliquota parte phlegmatis acidi, quod in cucurbitam annexam dilapſum colligendum eſt, ſuoq; vſui deſtinatum reſeruandum. Et hic ſit modus florum alborum eliciendorum tutiſſimus.

Poſtea recipe ſalis tartari, frequenti ſolutione & coagulatione ſummè depurati, quantumuis, (quæ ſanè purificatio ſalis tartari apprimè eſt neceſſaria; alioquin apparatus hic noſter non procedet) & affunde tantum de aceto deſtillato, vel potiùs de ſpiritu vini, quantum pro ſolutione ſalis ſufficit: abſtrahe acetum, ſiue vini ſpiritum, lento igne, in balneo, vt euaporet; nonnihil enim acredinis ſimul progreditur: affunde vicißim acetum deſtillatum nouum, vt dictum, & abſtrahe, eodem modo reiterando laborem, donec tandem acetum eiuſdem ſaporis deſtillando egrediatur, quod octaua vel nona imbitione & deſtillatione fiet, & hoc Chymici eſt imprægnare. Huius igitur ſalis, aceti ſpiritu imprægnati & exſiccati, accipe, e. g., vnciam vnam & ſemis; florum antimonij alborum mo-

Florum antimonij correctio.

dò præ-

dò præparatorum vnciam vnam: Miſce, & in crucibulò ad ignem ſubitò liqueſcant: Maſſam liquefactam, ferè inſtar ſanguinis rubram, effunde ſupra marmor, quæ vbi refrixit, erit coloris cinericij. Poſtea tere materiam, & affundè illi in vitro ſequentem aquam vitæ aromatiſatam: Recipe galangæ, galliæ moſchatæ, caryophyllorum, cinamomi, vel caſſiæ ligneæ veræ, macis, ana vnciam ſemis: croci drachmas tres. Teratur mediocriter, & affundatur alcohol vini: in lento cinerum calore tincturam extrahe; poſtea per declinationem dufer tinctum ſpiritum vini, & affunde recentem, donec ampliùs nõ tingatur. Demum omnem ſpiritum vini tinctum & aromatiſatum affunde tartaro & antimonio ſimul, vt dictum eſt, liquefacto, addendo ſalis vel magiſterij perlarum, & corallorum, ana drachmas duas: Omnia, vitro clauſo, digerantur in calore cinerum, per duos dies. Poſtea, adoptato capitello, deſtilletur lento igne ſpiritus vini, & remanebit in fundo tinctura aromatum præcedentium, cum puluere antimonij & tartari: abſtrahantur omnia ad ſiccitatem; & colorerit inſtar caryophyllorum. Ita habebis antimonium optimè præparatum. Seruetur in vitro clauſo puluis, quia in aere reſoluitur. Atq; hoc ſine vlla formidine tutò intra corpus exhibere poteſt. Et hæc eſt correctio antimonij Crolliana, p. 132. & 133.

Plant

Flaui autem & rubei antimonij flores non, niſi peculiare quoddam inſtrumentum, ſi ſemper eos habere velimus, ad hoc artificium conſtruendum requirunt, quod deſcribere data opera ſuperſedemus.

Flores antimonij flaui & rubei.

Tandem hi flores omnes, tàm albi, quàm colorati, vomitiui ſunt, & quidem rubei vehementiores cæteris. Verùm ſi, præter illam Crollij præparationem, ex vini & mellis ſpiritu aliquandiu circulentur, omnem deponunt violentiam, retinentq; ſolam deijciendi facultatem. Violentia enim à cruditate eſt, quæ coctione & nobilium menſtruorum clementia miteſcit. Horum florum grana 6, 7. 8, aut ad ſummum 10. mouent blandè quatuor vel quinq; ſedes, ſine omni vomitu; cùm tamen ante hanc rectificationem priorum florum duo vel tria grana non tantùm aluũ perturbent ſed & enormes cieant vomitus.

Flores antimonij omnes vomitiui ſunt niſi corrigantur.

ALII FLORES PER INFERIORA TANTVM PVRGANTES.

Sublimá puluerem emeticum, cum duplá quantitate ſális fuſilis. Laua id, quod ſublimatum eſt, ſuperq; illo aquam vitæ accenſam bis aut ter combure.

Doſis à ſex ad octo grana.

SVBLIMATIO SALIS ARMONIACI.

Recip. ſalis armoniaci lib. vnam, ſquamatum

rum ferri vnc. decem. Miſce: & ſublima in aludele aut matracio, forti igne. Vaſe refrigerato, ſepara, quod ſublimatum eſt, & miſce cum quinque aut ſex vncijs ſalis communis præparati: repetendo iſtam vltimam ſublimationem, quinquies aut ſexies, nouum ſalem ſemper addendo.

Vſus. Doſis eſt duodecim, ſedecimve granorum. Exhibetur, in omnibus febribus, tanquam inſigne ſudorificum: quod ſemel atque iterum repetendum. Conuenit etiam hic ſal ſublimatus metallis in mercurium fluidum reducendis.

MERCVRIVS SVBLIMATVS.

Recipe mercurij purgati, per ſalem præparatum, acetumque, & per corium traiecti, vitrioli rubificati, ſalis præparati, ana lib. vnam: ſalis nitri vncias quatuor. Terantur & miſceantur ſimul in mortario lapideo, cũ modico aceto, tamdiu, donec mercurius nullo modo appareat viuus. Omnia benè miſta pone in cucurbitam α lutatam: cui ſuperpone alembicum, roſtri breuis: dando ignem, per gradus, vt artis eſt, per octo vel decem horas. Aqua fortis, quæ primò effluet, ſeruetur. Pro ſecunda ſublimatione: ad libram vnam ſublimati, addantur ſalis præparati vnciæ duodecim, & vitrioli

vnciæ

vnciæ quatuor. Pro, tertia, ſale duntaxat ſublimetur.

& *qualemcunque*.

Præterea ſublimatio mercurij haud vulgaris hæc eſt: Soluatur argentum viuum purificatum in aqua forti, donec totum abſorptum ſit ab ea, poſtea ſolutio fundatur ſuper vitrioli exſiccati & ſalis communis præparati, ana partes Mercurio analogas & cum ſpatula lignea diligenter ſubagita, cauendo ſpiritus acres euaporantes. Tandem ex cucurbita ſublima, & plerumque glaciei tranſparentis inſtar Mercurius elevatur. Poſſemus etiam hic Mercurium in cryſtalli formam; ſingulari quodam proceſſu, redigere, qui alios omnes ſublimatos puritate & virtute longè antecelleret; verùm eius ſaltem innuiſſe hac vice ſufficit.

Mercurij in cryſtalli formã traductio.

ALIA MERCVRII SVBLIMATIO PERFECTIOR.

Recip. Mercurij cinabaris reuiuificati, vti dictum, *cap. de Mercurio*, lib. vnam. Diſſolue eam, in aqua forti communi: dein aqua forti, per deſtillationem rurſus euocata, aut ad ſiccitatem euaporata, recipe mercurium præcipitatum, eumque in mortario marmoreo [non metallico] diligentiſsimè pulueriſa, cum æquali pondere ſalis decrepitati; &

vitrio-

vitrioli, ad albedinem tantummodo calcinati. Dein, cum omnia bene miſcueris, pone ea in cucurbitam vitream, ſuo alembico rectam, in arenam: aut in matracium forte, colli ſatis ampli, & quod ſaltem octo pollices, aut circiter, altum ſit: vt primi vapores tantò meliùs egredi poſſint. (Aliàs matracium periclitabitur: ſi non cautè & prudenter ignis regimen obſeruetur.) Da ignem per gradus, donec collum matracij albeſcere incipiat: & tunc claude foramen, papyro, ignemque auge, per quinque aut ſex horas. Atque hoc modo pulcherrimum mercurium ſublimatum cryſtallinum habebis: quem frigefactum ſepares. Et eſt hic Medicinæ multo aptior, quam præcedens.

SVBLIMATVS DVLCIS PVRGANS, † Siue DRACO MITIGATVS.

Recip. mercurij purgati, vt ſuprà, vel mercurij cinnabaris reuiuificati, vnc. 6. mercurij ſublimati præcedentis vncias octo, Tere ſimul, & tamdiu, donec nullum mercurij viui granum appareat. Poſt adde ſalis præparati ℥ (ad mercurij impuritates retinendas) duas aut tres vncias: & ſimul rurſus trita pone in matracium, quod ad dimidiam tantummodo partem reple. Hinc ſublima, in ci-

neri-

neribus vel arena, per quinq; aut ſex horas: cumq; matracium refrixerit, diſcinde illud ferro ignito, ea parte, quæ media eſt, inter ſublimatum & ſalem, qui in fundo remanſit; ac rurſus ſublimatum redige in puluerem: & ſecundò ſublima abſque additione. Ita ſufficienter præparatus erit, ad felicem eius vſum, tam internum, quàm externum.

Vſus. Sublimatus hic panacea erat Quercetani: quam in pilulas redigebat, quæ tum temporis, à nomine ipſius pilulæ de Monſie vt de la Violette dicebantur, & plurimis, præſertim lue venerea β infectis, in vſuerant. Exhibetur autem in omnibus affectibus, etiã ad præcautionem morborum, ſingulis menſibus. Doſis eſt à granis duodecim, ad viginti, & triginta; quæ cum granis quatuor aut quinque ſcammoneæ ritè præparatæ, aut trochiſcorum alhandal, aut panchymagogi, aut alterius purgantis, commiſceri poſſunt, ad pilulam vnam atq; alterã inde formandã.

† *qui eſt panchymagogon Quercetani.*

α *Ad ſublimatum hunc dulcem conficiendum nõ opus eſt vlla ſalis vel colcotharis additione. Statim enim, ac poſteaquam cum mercurio viuo eo pondere, quod innuit proceſſus, fuerit cõiunctus, & triturando miſtus, omnia corroſiua & vitrioli & ſalis emoriũtur, & puluis fit dulcis.*

cis. Itaq; ſalis, vel vitrioli, adiectione nulla opus eſt, ſed ſi velis operari dextrè, binos mercurios iunctos per ſe in matracio ſublima, more ſolito, idque tertiò repetendo, ſemper abiecto mercurio crudo, qui in extima parte interdum ſimul viuus ſurgit, reiectis fecibus, in fundo matracij reſtitantibus.

Mercurius in certis vehiculis exhibendus.

ß adhuc recenti; inueteratam enim non tollit. Aliàs euacuat & curat morbos omnis generis. Ac nec per ſe, neq; in conſeruis exhibendus eſt, ſed plerumq; maſſis pilularum immiſtus, ad concinnandam pilulam, integrè eſt deglutiendus, v.g. Recipe ſublimati dulcis gr. quindecim vel. 20. adde maſſæ pil. cochiarum, vel alicuius alterius purgantis, vt diaphœniconis, &c. ſcrupulum ſemis, miſce; vel eidem pulueri mercurij dulcis extra maſſas adde gr. 4. vel 5. ſcammoneæ præparatæ, vel trochiſcor. alhandal, & cum ſyrupo aliquo fac pilulam paruam; quæ omnes humores electiuè, ſine aliqua perturbatione, purgat. Exhibetur dextrè, in omnibus affectibus, in quibus euacuatio requiritur. Poſſet etiam hic puluis cũ extracto panchymagogo, quod ſuprà docuit autor cap. 6. miſceri, & dari ea doſi, qua diximus.

Nota BARTHII.

I. *Quicunque ſublimatum dulcem, cum fructu, & tuto exhibere voluerit? caueat ſibi, in illius præparatione, à ſublimato, qui cum arſe-*

arſenico paratus eſt. Grauia enim is inducit ſymptomata, & periculoſa.

II. *Quandoquidem mercurij bene præparati proprium eſt: humores peccantes reſoluere, & fluxiles reddere: eos verò attractos, & in ſtomachum allectos, ob virtutem cathartica, quam habet nimis debilem, non euacuare: oriuntur inde ijs, qui eo continuè vtuntur, valde pernicioſa ſymptomata; veluti oris ſaliuatio, cerebri refrigeratio, & defluxiones, ſuper diuerſas corporis partes: non quòd mercurius malè fuerit præparatus, ſed malè exhibitus. Propterea qui feliciter illum, intra corpus, exhibere volunt: ſemper eum miſcere debent, cum aliquo extracto, aut pilulis, vt priùs monſtratum.*

III. *Sublimati dulcis bene pręparati ſignum eſt: ſi ſit albiſſimus, & aliquomodo cryſtallinus, & vt ſit factus modò ſuperiùs deſcripto. Nam ſi, in initio, ignis detur vehementior, aut igne nimis diu vrgeatur: rubicundus euadit, & amittit ſuum ſpiritum vitriolicum, quo priuatus, non poteſt non eſſe inutilis & nociuus. Ac memini: Nobiliſſimo cuidam militi ac Signifero drachmas duas eiuſmodi ſublimati dulcis ſubruffi exhibitas eſſe, pro doſi: quæ tamen nullum ſedem mouerint.*

IV. *Mirum eſt; ſalem, colcothar, mercu-*

rium, per ſe, non eſſe venena; ſed ſimul ſublimata, naturam prorſus venenatam induere; quam hac; per ſalem aut colcothar, præparatione, rurſus exuant.

V. *Qui accuratiſſimè mercurium hunc dulcem purgantem præparare ſatẽgit: à mercurio, ſublimatoque communibus, vt abſtineat, neceſſe eſt. Illorum verò loco, vtatur aquis Philoſophicis & metallicis, nec non mercurio ſublimato, in quintam planè eſſentiam redacto. Modum autem eliciendi mercurium, è metallis, ad hanc præparationem neceſſarium: quendam illuſtriſſimum Germaniæ Principem ipſe Quercetanus docuit talem.*

Mercurii è metallis eliciẽdi ratio.

Recip. antimonij crudi libras duas: Iouis, Saturni, ana vnc. tres. Fundantur priùs metalla: quibus fuſis, adde paullatim antimonium: & omnia fundantur. His fuſis, adde tartari puluerisati vnc. duodecim: ſalis petræ vnc. octo. Miſce. Proijce hos pulueres, ſimul mixtos, ſenſim ſupra materiam fuſam: quam deinde ex igne exime. Et inuenie, in fundo, vncias octo vel decem Reguli. Hunc ſeorſim funde: habebis Regulum, Saturni, & Iouis qualitatibus imprægnatum. Loco Iouis & Saturni, addere poteris Lunam, Venerem, & etiam parum Solis: Huic

regulo

regulo addatur mercuri ſublimati duplum: & per retortam expelletur Mercurius currens, pro panacea. Egredietur etiam axungioſa quædam materia, quæ plurimùm confert ad Mercurium vitæ parandum.

VEL.

Fac Regulum, communi modò, cum Marte. Huius recip. libram vnam ſemis. Fundatur in tigillo: ac ſuper eum fuſum proijce Veneris drachmas ſex: Iouis vncias duas: Saturni vncias duas ſemis: Lunæ, Solis, ana vnc. vnam. Sic fiet *Electrum maius*.

Recip. Electri part. vnam: Mercurij in meteoron redacti part. duas. Pelle per cornutam, dando ignem ſ. a. Sic habebis magnam quantitatem Mercurij currentis, ad præparandam panaceam, ac medicinam vniuerſalem, vt ſuprà. Ex gummi, quod etiam elicitur, magna copia, ac in calido liqueſcit, facies Mercurium vitæ præſtantiſſimum, vt antehac indicatum.

VI. *Sunt, qui arcanum corollarium Crollij vlteriùs cum aceto præparant, vt planè album reddatur: hocque ſublimato dulci longè anteferendum cenſent. Arcanum enim illud, ita paratum, in conuenienti aqua aut liquore*

dissolui aiunt ; Mercurium verò sublimatum dulcem neutiquam : vnde hic , ventriculi tunicis & intestinis adhærens , saliuationem interdum efficiat copiosam , si eius vsus in dies continuetur .

ALIVS MERCVRIVS SVBLIMATVS DVLCIS.

Recipe mercurij sublimati vncias sex: foliorum α Lunæ vncias duas : Tere, simul misce : & sublima ex matracio, in arena . Vase refrigerato,partem volatilem separa ; fixiorem & crystallinam tere : & cum fecibus ,in imo vasis relictis misce : secundò & tertiò sublimando, vt suprà , & tandem abluendo . Dosis à gr. sex, ad octo , vel decem . Purgat suauiter .

[Quanquam talem sublimatum dulcem , cum alijs metallis , parare nunquam tentauerim : tamen non dubito , quin fieri possit, solo auro excepto . Vti verò is nobis , à Dn. Bonnæo, amico nostro, communicatus fuit; ita eundem, huius artis studiosis,publicè donandum duximus .]

α *Vtrum sublimatus cum Luna , sine additione mercurij viui , in sublimatum dulcem abire possit, dubitatur meritò , & forsan non immeritò negatur ; verùm magis congruens videtur processus hic : Recipe mercurij sublimati elegan-*

elegantiſſimi vncias quatuor: Mercurij viui purgati, foliorum Lunæ ſinæ, & talci, ana vncias duas: miſce, fiat puluis, quem ſublima more antea dicto, idque quatuor vicibus; vltima ſublimatura puluerem collige, & in matracio puluerisatum in arenam calidam ſtatue, per diem vnum atque alterum. Fit ita puluis magis albicans; doſis à gr. V. ad XV. Purgat ſuauiter, ac vrinam mouet. Non per ſe tamen exhibendus; ſed in pilulis, vt in priori factum.

MANNA MERCVRII.

Diſſolue mercurium α in aqua forti. Poſtea aqua marina β præcipita: & ex cucurbita, per arenam, deſtilla, ignem ſub finem augendo, vt mercurius ad latera vaſis ſublimari poſſit. Vaſe refrigerato, fecibus, in imò vaſis ſubſidentibus, abiectis, ſublimatum ſeorſim collige: & iterum in eadem aqua diſſolue, & deſtilla, vt ſuprà. Habebis aquilam cœleſtem, niue candidiorem: γ cuius vſus in morbis venereis maximus. Doſis à granis decem ad quindecim. Purgat tantùm per inferiora.

α *probè mundatum.*

β *qua deficiente accipe ſalem marinum, in aqua communi calida diſſolutum.*

γ *ante vſum aqua aliqua cordiali, vt roſacea, vel alia, priùs lauandam.*

MERCVRIVS SVBLIMATVS ESSENSIFICATVS.

Liquefac vnciam vnam auri, aqua Philosophica, vti *capite* 16. monstraui, purificati, cum ana reguli Martis stellati. Dein, cum refrixerit, pulueriſa id ſubtiliter, in mortario ferreo; & fac amalgama, cum ſex vncijs Mercurij, ſepties ſublimati, & toties reuiuificati: quod pone in paruam retortam, eamque in arenam ſepeli, & da ignem medium inter ſecundum & tertium gradum, per triduum. Quo elapſo, deſtilla, leui igne ſuppreſſionis, & adiunge vas recipiens, ex dimidia parte aqua plenum. Sic Mercurius aufert ſecum partem auri, tinctura que Reguli ſtellati animabitur: qui exinde cum Mercurio ſepties meteoriſato terendus, & in aquilam cœleſtem reducendus, vt ſuprà dictum: qui effectus habebit tantò maiores, quantò magis Philoſophicè ille eſt elaboratus.

AQVILA IMPERIALIS.

Recipe mercurij ſepties meteoriſati, mercurij cinnabaris reuiuificati, ana vnc. quatuor. Miſce: & tere ſimul, donec nullum granum mercurij viui conſpiciatur. Poſt pone in matracium capax, & ſuperaffunde libras duas aquæ communis, aut circiter, quam ſæpe agita, & horis duode-

duodecim elapſis decanta, ſeorſimque ſerua: & duodecies aliam ſuperaffunde; eadem obſeruando, vt priùs. Pulueremin fundo matracij ſicca, & ſublima ter aut quater, donec nempe nullum granum mercurij viui aſcendat: quem ſingulis ſublimationibus ſeparari oportet.

Vſus Doſis eſt, ad decem grana. Purgat valde leniter, & quidem altero die, poſt eius aſſumptionem, conuenitque omnibus morbis venereis.

Aquis ſeparatis, oleum tartari ſuperfundi poteſt, ad faciendum præcipitatum rubeum, curandis vlceribus malignis idoneum.

Aut poterunt aquæ euaporari, & puluis, qui in fundo reſtat, in pulchrum & purum ſublimatum, communem ſublimari: qui in fundo matracij terram quandam rubicundam relinquet.

FLOS AVRI PRETIOSVS.

Aurum optimè per antimonium purificatum, & per ſpiritum ſalis, aliquoties ſolutum & attenuatum, teritur, cum ſeptem partibus ſalis armoniaci depurati, & in alembico cœco ſublimatur, vt flos auri, vnà cum ammoniaco, euehatur, qui poſtea ablutione edulcorandus.

Doſis gran. ſex: cordiale præ cæteris eximium.

VELLVS AVREVM.

Collige rorem, ex tritico, menſe Maio, ante exortum Solis, cœlo ſereno, loco editiore, linteo expanſo, & in diſcum expreſſo, atque in vas fictile effuſo. Stet per dies quatuordecim, vel etiam menſem vnum, in loco aliquo, tantiſper, donec craſſior & feculenta pars ſubſidat. Filtretur. Cape, quod purum & clarum eſt, ac eo vitrum orificij ſtricti, & latioris fundi, reple, tertia ferè ſui parte; inditis duodecim auri folijs, aliquantulum inciſis. Obturetur membrana triplici, & collocetur in locum calentem, ſiue tepidum, æſtate, putà, ad ſolis radios, hyeme, retrò fornacem. Ac dum menſes nouem cum dimidio præterierint, aperiatur vitrum: & fac, aliqua pars exhalet. Poſtea effunde totum liquorem, vna cum remanentis: ac vitrum rurſus clauſum colloca in cineres calidos, vſque dum exſiccetur. Permittatur adhuc, aliquamdiu exſiccari. Atque ita demum lana illa aurea, quæ antea viſum verè effugiebat, ſpontè ſua de lateribus vaſis reſoluta, fundum petet. Quam, plumis leuiorem, ab aere & vento cuſtodi, & vſui reſerua.

Si

Si rorem priùs deſtillaris, ac poſtea auri folia adieceris, ſoluetur quidem etiam hoc modò aurum; verùm non in eiuſmodi minutas particulas, quæ ipſis atomis æquari poſſint.

Præparare hanc lanam auream ita ſolitus fuit excellentiſsimus Philoſophus & Medicus, D. Iohannes Vveidnerus *p. m. Reipub. Sprottauienſis Phyſicus Ordinarius. Cuius cum in ſuo ipſius corpore periculum feciſſet, ea in ſpecifico liquore conuenienter vſus, nunquam, ab eo tempore, paroxyſmis arthricicis infeſtatus fuit: cum antea ſubinde podagricus decumberet, & immanibus iſtis cruciatibus & doloribus vehementer torqueretur. Idem etiam vnum & alterum, in agone iam quaſi conſtitutum, elegantiſſimis hiſce floſculis aureis, & hoc eximio cordiali, in vitam reuocauit. Ac fortè hic ipſiſſimus auri pollis eſt, de quo Palmarius, doctiſſimus FernelI. diſcipulus,* libro de febre Peſtilentiali cap. 18. *ait: Auri pollis, arte noua, roris Maij beneficio paratus, citra ignis vim, mirificam efficaciam habet, aduerſus omnia venena, atq; cardiacum eſt omnium præſtantiſſimum.*

CA-

CAPVT XIX.

De Magiſterijs.

MAgiſterium eſt, quando corpus miſtum ita præparatur arte Chymica, citra extractionem: vt omnes eius partes homogeneæ ſeruentur, in nobiliorem, vel ſubſtantiæ, α vel qualitatis, gradum traductæ: exterioribus impuritatibus ſegregatis.

α *ſeu conſiſtentia.*

Vel eſt Ens medicum, ex toto, citra vllam ſeparationem, impuritatibus duntaxat ſegregatis, elaboratum & exaltatum. Huc igitur pertinent medicamenta, quæ ab alteratione ſaltem ſuam perfectionem habent.

MAGISTERIM TARTARI.

Recipe olei tartari, ex ſale reſoluti α & purificati, vncias quatuor β ſpiritus vitrioli γ vnciam vnam: Hunc guttatim ſupra tartari oleum, in vitrum capax, inſtilla: Sic fiet δ coagulum albiſſimum. Humiditas ſupernatans euocetur ε lento calore, ad ſiccitatem ſalis: ſuper quo deſtilla, ter vel quater, vini ſpiritum. Atque ita habebis tartari albi vitriolati fixi ζ vncias duas, & drachmas duas.

Vſus. In omnibus viſcerum obſtructionibus:

bus: calculo: η nephritide: ictero: menſium retentionibus: melancholia: θ ſplenis duritie: febribus: hydrope: ſummo cum fructu exhibetur. Doſis à ſcrup. ſemis ad integrum.

α *ceu docuit autor ſuprà cap. 6.*

β *duæ potiùs ſumendæ.*

γ *ſuprà cap. 4. præparati.*

δ *iſtorum duorum, diuerſis inter ſe naturis purgantium, ebullitio cum calore, & tandem amica pax & coagulum.*

ε *vel euaporando, vel deſtillando.*

ζ *Magiſterium tartari Crollio* pag. 115. *eſt tartarus vitriolatus, ex quo generale digeſtiuum, ad omnes obſtructiones ſoluendas, conficit. Eius vncia vna in libris tribus vini ebulliendo diſſoluitur: hoc poſtea miſcetur cum decocto paſſulato, pro lubitu, eiuſq; ſingulis diebus manè & veſperi exhibetur hauſtus. Vel recipe iuris pulli vncias quinq; in paropſide ſupra lentum ignem calefac, adde tartari vitriolati doſin, (quæ a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulos duos) & cum cochleari argento moue diutius, donec ſoluatur, & iuſculum aceſcat.*

η *In obſtructiones renum deoppilatiuum certius & euidentius nullum eſt, quàm quod ex vitriolo & tartaro conficitur. Tartarus itaq; vitriolatus & ſpecificum quoddam purgans hic omnem paginam abſoluunt, præſertim ſi ſit ob-*

ſtructio

ſtructio recens, nec ab impactis grandioribus profecta calculis: hæc enim curam aliam requirit. Cryſtallus hic tartari iſtis æquiualet: nam obſtructiones & tartarum ipſum ſoluit, expellitque. Quum autem omnes obſtructiones renum ſint à tartaro, ſiue illæ recentes, ſiue confirmatæ fuerint; maximè præſtare ſpecificum tale, cuius vi & poteſtate inſit a tartarus, in omnibus humani corporis partibus genitus, mirabiliter expelleretur, adeoque omnes obſtructiones maximoperè expedirentur. Id quod de ludo humano omninò ſperandum eſſe cenſemus, cuius præparationem Paracelſus quidem paſſim commendat; nuſpiam tamen eius deſcriptionem genuinam, à multis hactenus deſideratam & anxiè quæſitam, reliquit.

Morborũ tartareorũ cura.

Ludi humani præparatio.

♃ Hinc affectum eſſe chronicum conſtat, nec ferre fortiora, aut multa remedia, quibus tamen ægri ſe diu ſæpè fruſtra excruciant. Quapropter imprimis, vt ventriculus benè coquat, laborandum; ne flatus & cruditates gignantur, aliauè excrementa praua; vnde illuuies hæc in venis meſeraicis colligitur, quæ etiam ex ſentina hac, vt expurgentur ſenſim, producendum, cor reficiendum, recreandumque. Quapropter tartarea & vitriolata medicamenta hoc loco primatum obtinent: per ea enim in venis meſeraicis congeſta melancholica excrementa per

Melãcholiæ cũra generalis.

aluum

aluum expurgabuntur, calorque præternaturalis hepatis, & lienis contemperabitur. Interdum etiam vomitiones admodùm proficuæ sunt; sed vtrobique prudentia Medici desideratur: à qua cùm pendeat omne curationum momentum: sæpè perit omnis felicitas; nisi illa cautè & religiosè, sed cordatè, subsit. Aliàs in hoc casu vomitus minime formidandos, experientia deprehensum est. Quod si animus dein sit conuertendus ad purgantia specifica, ibi sæpè vsu venire solet, vt ab exhibitione horum. præsertim solutis obstructionibus internis viscerum, aluus ita proritetur, vt quasi dysenteria subsequi videatur: huic prouidendum fuerit corroborantibus nonnullis accommodatis.

, potiùs ad scrupulos duos.

Tartari verò Crolliani vitriolati talis, exempli gratia, vsus esse potest: Recipe scammoneæ vnciam vnam: in mortario in puluerem (pistillo priùs oleo amygdalarum dulcium illito; aliàs enim scammonea non potest teri) reduc; extrahe cum spiritu vini partes puriores: fecibus abiectis, aufer menstruum per calorem ex balneo, & scammonea in forma pulueris in fundo manebit. Huius grana 5.6.7. vel 8. cum scrupulo vno tartari huius vitriolati exhibita, impuritates omnes feliciter exturbant. Proinde de hoc testatum facimus, quòd eo ad febres,

præser-

præsertim chronicas, arcanum non detur præstantius. Vel sic procede, menstruum scammoneæ tinctum funde super puluerem tartari vitriolati: & abstrahe iterum colore balnei; sic enim vnitur essentia scammoneæ cum tartaro vitriolato.

MAGISTRERIVM SVCCINI.

Dissolue rasuram succini albissimi in spiritu vini, vt tingatur. Post filtra & ad dimidiam partem euapora.

Vsus. Idem, qui aliàs olei est siccini. Datur in aqua adpropriata, ad grana quindecim.

MAGISTERIVM PERLARVM ET CORALLIORVM.

Dissolue corallia, vel perlas trias, in aqua, α valdè acida facta cum spiritu vitrioli, vel in aqua acida puluris emetici, siue mercurij vitæ; digere per noctem: & super dissolutionem, priùs filtratam: injce guttatim oleum tartari: β sic albescet instar lactis. Superfunde aquam communem, & digere; sic præcipitabitur puluis candidus, ad fundum vasis. Aqua separatur, & alia superfunditur ter vel quater: donec omnis acrimonia separetur. Tandem puluis exsiccatur, & ad vsus seruatur. γ Accipies drachmas quinque semis ex vncia vna coralliorum. Potest etiam hoc magisterium parari: dissoluendo salem perla-

perlarum, aut coralliorum, in aqua communi, & ſuperfundendo olei tartari q. ſ.

Magiſterium hoc perlarum eaſdem habet vires, quas ipſe perlæ, quæ temperie & vitibus aurum valdè æmulantur: ac propterea ſpiritus cordis vitales corroborant: palpitationem cordis, & animi deliquium, tollunt: & meritò omnibus cordialibus medicamentis miſceri debent: appetentiam Veneris excitant: melancholiæ reſiſtunt, dentes dealbant: vertigini medentur: memoriam confortant, & fœtum in vtero: omnes prauos humores, in corpore exiſtentes, exſiccant: & à varijs morbis omnes corporis humani partes præſeruant. ſ De coralliorum viribus, ſ in ſale eorum dictum eſt.

In ſoluendis perlis & corallis aceti acrimonia minimè nocua.

α *potiùs in aceto deſtillato; quamuis olim pro eo Thomas Monfetus, Medicus Anglus, Practicus quondam Francofurtenſis inſignis, ad magiſterium perlarum extrahendum, vini ſpiritu optimo vtatur. Minimè verò acetum quoddam radicale adhibendum cenſet, ob maximam ſcil. acrimoniam qua illud imbutum, ita vt huic eluendæ vix trecenti aquæ congij ſufficerent, vt ipſemet ſcribit, ad Dn. Monauiuum*, in Epiſt. Medicin. à Scholzio editis, epiſt. 277. *Verùm ſi Crolliano modo* p. 162. *proceſſum fuerit, nullus ſenſibilis acrimoniæ metus eſſe poſſit, cuius*

etiam

etiam ſuprà cap. 17. ſub titul. de ſale Corallio-rum meminimus, vbi ſimul acetum quoddam compoſitum, maguarum virium, pro diſſoluente admodum idoneo, adiunximus, quod huc referẽ-dum. Aſſi non tantùm eo artifices contenti, cùm inſuper varia à varijs excogitata ſint ſolutionis menſtrua. Nam nonnulli ſolutionem perla-rum per ſpiritum Guaiaci abſoluunt; quidam per ſuccum limonum, & liquorem betulæ eam ſic expediunt: ſucci limonum expreſſi & depu-rati libras duas, cum libris octo liquoris betu-læ; menſe Aprili collecti, in olla denuò treatã-liter coquunt, &, denuò addendo ſucci limo-num libram vnam, deſtillant poſtea ex cucurbi-ta, bis vel ter; hoc menſtruum ſeruant in vi-tro probè obturato; ad vſus prædictos.

Varia ſolutio-nis men-ſtrua.

Men-ſtruũ re-liqua fa-cilè ſu-perans.

Cunctis iſtis menſtruis palmam facilè præri-pit ſpiritus quidam ſecretus cum ſuo phlegma-te, ſi perlæ, in marmore ſaltem tritæ, ſoluantur in hoc phlegmate: ſolutæ poſtea, & à fecibus li-beratæ, cum pauxillo ſpiritus prædicti infuſi rurſus præcipitentur in liquamen, inſtar ſperma-tis, tantæ volatilitatis, vt etiam viſu dignoſcan-tur in auras abire. Hæ cum ſpiritu vini poſtea extractæ, vel cum eodem plenè per retortam actæ, præbent cordiale, tantarum virtutũ, quãtas nulla aliàs præparatio perlarum polliceri poteſt. Doſis gutt. i. vel ij. in aqua conuenienti.

& per

ß *per deliquium ſcilicet factum.*

ñ *Doſis à gr. 5. ad 15.*

γ *De viribus perlarum videatur Crollius*, pag. 162. & 163.

Ad magiſteria Coralliorum paranda eadem quidem menſtrua, quæ antea ad perlarum ſolutionem à nobis accommodata fuerunt, proſiciunt, nec alia eſſe poteſt via magiſterij coralliorum, quàm quæ antea in perlis fuit. Maioris tamen lucis gratia habetur & alia, & quidem arcana, magiſterij coralliorum præparatio, qua illud ita efficitur, vt inſtar butyri in ore liqueſcat: magnum magiſterium ad menſtrua inordinatè fluentia corrigenda, ſtomachoque robur conciliandum, in morbis diſſolutis, vt lienteria, dyſenteria, diarrhæa, &c. *Butyrũ coralliorum.*

ε *Videantur quoque de his Crollius*, Baſil. Chymic. pag. 165. & 166. *& Anshelm. Boetius de Boodt*, cap. 154. lib. 2. de gemm.

MAGISTERIVM, LAC, CREMOR † ſeu butyrum Sulphuris.

Recipe florũ ſulphuris drac. j. ſalis tartari drac. iij. Miſce: & ſuperfunde aquæ communis libr. tres: Digere in arena, per diem naturalem: ita, vt ſub finem aqua ferè bulliat: α poſtea filtra calidè, per chartam emporeticam: & ſuperfunde aceti deſtillati ß q. ſ. Sic cremorlacteus ſulphuris paulatim petet fun-

dum. Separa diſſoluens, per inclinationem: & reiteratis ablutionibus materiam edulcora. Vltimò digere cum aqua cordiali, γ & exſicca. Et ſic habebis lac, ſiue cremorem ſulphuris albiſſimum.

Vſus. Magiſterium hoc ſulphuris balſamum eſt humidi primigenij: confortat vires naturales: ſanguinem purificat, morbos pulmonum, vt tuſſim, aſthma, phthiſin & curat: in exſiccandis catharris, ventoſitatibus ſtomachi tollendis, iſchiade & podagra ſummopere vtile: ab apoplexia, poſte, lepra, & neruorum conuulſionibus, præſeruatiuum egregium; hecticis etiam ſua confortatione prodeſt. Tantum pulueris cum aquis ſpecificis ε commiſcetur; quantum ad eas albicante colore tingendas ſatis eſt. Datur manè & veſperi cochlear vnum; & ante exhibitionem accuratè cum vehiculo humido commiſcetur. Exhibetur etiam cum ſaccharo cryſtallino pulueriſato, & cum ſyrupis adpropriatis.

† *Dicitur etiam ſupereminentia Sulphuris. Autor aliàs huius compoſitionis eſt Doctor Samuel Schlegel, Anhaldini Principis Medicus, à quo Comitem de alta Flamma hoc ſibi coemiſſe fertur quingentis coronatis.*

α *& ſulphur penè omne ſolutum fuerit.*

β *Crollius affundit vinum auſteriuſculum.*

γ *ſeu*

ϒ *seu spiritus vini.*

♂ *Phthisis hereditaria difficulter curatur,* Phthysis
imò ferè nunquam, propter altiùs impressas aui-
tæ constitutionis radices, quæ curationes nul-
las recipiunt. Inducias quidem interdum pa-
tiuntur, ne nempè grauiùs affligant; sed consum-
matæ radices nusquam. Quia verò phthisis ple-
rumque destillationes comites & causæ sunt, eò
incumbendum, vt, purgante specifico præ-
misso, simul cerebrum, tanquam membrum
mandans, suis appropriatis & confortatiuis di-
ligenter in suo vigore conseruetur. Deinde respi-
ciendum quoque est ad illapsos humores in ipsos
pulmones, vt expectorantibus, mundificatiuis,
aut, si tenues sint incrassantibus, domentur. Sic
butyrum hoc sulphuris est expectorans egre-
gium. Ad consolidanda autem pulmonis vlcera
balsamum habemus rubicundissimum nobilem,
aliquoties expertum & comprobatum. Nam
huius guttæ 6. vsque ad 20. in decoctis pectorali-
bus, quotidiè manè & vesperi, intro sumtæ pul-
mones putridos & exulceratos, præmissis ta-
men mundificantibus & expectorantibus, mira-
biliter restituunt, vlcera consolidant, & ad per-
fectam curationem disponunt.

ε *Vt aq. cinamomi, melissæ, lauendulæ; aq.*
epileptica Langij, hirundinum: vel in spiritu
vini.

Crolliana lactis sulphuris præparatio.

Hic primus modus subsequentibus duobus longè præstat; expeditiorem tamen ex Crollio pag. 199. *lactis sulphuris præparationem sic damus: Recipe sulphuris flaui, triti vel cribrati, vel florum sulphuris (qui meliores sunt) partem vnam, & salis tartari, ad viriditatem ferè calcinati & fusi, partes tres: pone in vitro ore capaci, vel olla fictili, luto obducta, collocetur in arenam, affundatur aqua pluuialis destillata ad eminentiam 6. digitorum: vitri quarta pars sit vacua, quæ extra arenam promineat; subijce ignem successiuè, vt bulliat; lignea spatula diligenter agitetur, donec sulphur ferè omne in illis ebullitionibus solutum sit, quod spatio 5. vel 6. horarum fit: tunc enim liquor rubescit, mediocriter saltem in spissando instar lixiuij. Si aqua inter bulliendum euanescit, affundatur alia feruida. Suprà pone alembicum cæcum; hac enim ratione aqua non euaporat. Vltimò, vbi ferè omne sulphur solutum est, & liquor rubens ad eminentiam trium digitorum transuersorum restat, tunc ita calidè filtratur, per chartam emporeticam. Si non omnia transeunt, ea iterum aqua communi soluantur, &, vt antea, coquantur, & defiltrata calida solutione parum in alio vitro ponatur, & confestim, dum adhuc calet, affundatur vinum calidum austeriusculum lentè, [in ipsa autem affusione fœto, admo-*

admodùm ingratus ſentitur) celeri tamen & alto viciſſitudinarioque lapſu, (hinc ebullitio) tamdiu, donec colorem ſpiſſi lactis acquirat. Hoc poſtea in peculiari vitro ſeruatur, & proceditur eodem modo, cum reſtante ſolutione calida & vino. Vltimò omnem lacteum liquorem miſce, & pone in loco tepido; donec albedo ſulphuris à vino, quod erit cærulei & rubei coloris, in fundum deſcendendo ſe ſeparauerit. Abſtrahe tunc vinum illud tinctum per inclinationem, & affunde aquam pluuialem deſtillatam miſcendo: ſtet per diem & noctem, ac iterum effundatur, affundendo nouam hocque toties reiteretur, donec nulla nigredo ſeu impuritas in aqua ampliùs appareat, nec ſenſibilis fœtor adſit. Poſtea poſt debitam reſidentiam & effuſionem aquæ, ſiccetur lentè per ſe, in hypocauſto, & ſeruetur inſtar pollinis, vel, antequam planè ſiccetur, miſceatur aqua cinnamomi, vel alia appropriata, vt fiat pultis inſtar vel lactis, &, priuſquam ad vſum medicum adhibeatur, diligenter moueatur.

ALIVD.

Fit etiam: miſcendo ſulphur tritum cum arenæ, vel vitri tuſi, ana æqualibus partibus: & deſtillando per retortam, igne moderato: apponendoque vas recipiens, quod acetum

deſtillatum contineat. Et ſic ſubſtantia ſulphuris deſtillata præcipitabitur in puluerem album, quem exſiccabis.

ALIVD.

Lac ſulphuris etiam parari poteſt, cum ſulphure & arena, miſcendo cum aqua vitæ, & deſtillando in cineribus, per retortam. Valet ad cancros venereos, vlcera maligna, ſerpigines, lichenes, &c.

Hæc præparatio nec genuina eſt, nec etiam magni vſus aut momenti. Fit enim aqua quidem albicans; ſed intra corpus non vtilis: externis potiùs accommodanda.

PRIMVM ENS ANTIMONII.

Recipe mineræ antimonij, ſubtiliter puluerisatæ, libram vnam, affunde ſpiritus aceti, in quo ſal fuſum circulatum eſt, libr. quatuor. Digere ſimul, per menſem, in fimo: filtra ſolutionem: feces abijce: abſtrahe, per cineres ſpiritum aceti: & edulcora per aquam ſimplicem, dum in fundo reſtet materia duriuſcula, inſtar lapidis. Affunde vinum cenificatum: hoc eſt, quod paratur, ter vel quater abſtrahendo, per balneum, ſpiritum vini rectificatum, à ſale tartari, deinde iſtud ſal tartari ex retorta deſtillando in ſpiritum) Fac, ſoluatur: liquorem factum iterum

abſtra-

abstrahe, filtra, & remanebit, in fundo, quasi salis coagulum, quod super marmore deliquescat in cella: istumq; liquorem, dissolutum per se, putrefac, in balneo, per mensem. Sic paratum est primum Ens antimonij, quo manè in aurora tamdiu in omnibus morbis vtendum esse aiunt: donec capilli & vngues decidant; noui autem in eorum locum renascantur.

CAPVT XX.

De tincturis solidiusculis & panaceis.

TINCTVRA ANTIMONII.

FAC lixiuium ex cinere clauellato, calce viua, & cineribus communibus: α in quo dissolue hepar β antimonij; γ digerendo in arena, per noctem; vt ferè γ bulliat. Tincturam δ separa: & filtra: & si placet, ε per acetum, in puluerem croceum præcipita, ac multis ablutionibus edulcora.

α *cum aqua communi, vel vino.*

β *suprà cap. 12. factum.*

γ *non ferè, sed reuera in cacabo ferreo bulliat, &c.*

δ *calidum quodammodo adhuc.*

nam & per ſe tinctura ſubſidet, licet non tam confeſtim.

Vera lilij paracelſi compoſitio.

Pro tinctura antimonij reponatur vera compoſitio lilij Paracelſi, ex lib. de vit. long. *quæ tandem ad tincturam inde extrahendam multùm operæ conferre poteſt, & eſt diaphoreticum vel hydrotecum inſigne, & magnarum virium; exhibetur enim ad quoſlibet morbos, à gr. duobus ad quinq; vel ſex, in vino vel aqua cordiali, De quo etiam vide Alexand. à Suchten.* libr. de Antimon. myſt. gem. pag. 196. & 284.

Tinctura antimonij exaltata.

Quod ſi tinctura hæc antimonij deinceps, per multa cohobia, menſtruo aliquo, donec, in nobiliſſimam eſſentiam exaltetur, contracturam inprimis expodraga, in articulis externis cauſatam feliciter curat, ſi obſeruatis obſeruandis, ad legitimam nempè diætam pertinentibus, & corpus mundificantibus, quotidiè aut alternis diebus, gutta i. de tinctura exaltata, cum vehiculo appropriato, in aurora exhibeatur, & ſudor vel in lecto, vel in laconico, procuretur (id quod in declinatione contracturæ fieri debet) & ſic contractura nulla arthritica reſiſtit, Imò hæc antimonij tinctura, ita in ſummam ſpiritualitatem deducta, auro potabili vix quicquam concedit.

Deniq; huicce tincturæ antimonij dulciſſima ſul-

ma ſulphuris vitrioli eſſentia, philoſophicè præparata, maximè æquipollet viribus ſuis & mirabiles effectus facit. Doſis eſt à gr. i. vſq; ad iiij. In aq. meliſſæ noxios humores totius corporis expellit, venerem ſtimulat, vterum rectificat, eiuſque motus inordinatos ſiſtit, & in vtroque ſexu prolificam vim ſeminis ad liberorum generationem operatur. In aqua petroſelini idem penè præſtat; ſed inſuper hydropem perfectè curat. Vſus autem iſtius eſſentiæ aliquandiu continuandus.

Sulphuris vitrioli eſſentia dulciſſima.

PANACEA ANTIMONII CATHARTICA.

Recipe antimonij bis in igne fuſi lib. vnam: vitrioli rubificati lib. duas. tere, & miſce: ac pone in retortam, cum aceti vini deſtillati vncijs tribus aut quatuor; atque exige omnes ſpiritus, igne reuerberij, per horas duodecim. Hinc phlegma, ab omni deſtillato, quod in recipiente eſt, per balneum, abſtrahe. Sic oleum, inſtar auri flauum, in fundo vaſis, remanebit.

Recipe huius olei vnciam vnam: aloes hepaticæ vncias duas. Miſce: & digere in balneo, per octiduum. Tandem fac, humiditas ſuperflua, ad calorem moderatum, exhalet, ad talem conſiſtentiam, quæ pilulis formandis inſeruire poſſit.

Doſis

Dosis est à tribus, ad quinque grana.

PANACEA SVLPHVRIS. ANTIMONII.

Sulphur cinnabaris antimonij, quæ in collo retortæ, cum liquor gummosus ex duobus draconibus destillatur, subsistit, hac ratione elicitur.

Fac lixiuium fortissimum, ex æqualibus partibus cinerum clauellatorum, & calcis viuæ: atque in hoc cinnabaris antimonij pulueriſata, inque vas terreum, aut ferreum, posita, bulliat horas tres, aut quatuor. Lixiuium euadet totum rubicundum, quod, calidum adhuc, per chartam emporeticam filtra, & Mercurium fluidum, qui in fundo vasis inuenitur separa. Pòst quiescat lixiuium per noctem: & puluis rubeus, qui est sulphur antimonij, fundum petet. Hoc separa, & aqua communi bene elotum sicca.

Recipe huius sulphuris vnc. vnam: spiritus sulphuris per campanam facti, aut vitrioli, vncias tres. Misce: & in retortam posita, digere in cineribus, triduum aut quatriduum. Pòst destilla ex arena, &, quod destillatum fuerit, ter cohoba: dando ignem magnum, circa finem, & tantum, vt retorta candescat, per horas tres aut quatuor. Sic habebis sulphur fixum, cuius sume vnciam

vnam

vnam: eamque misce exactè cum drachmis duabus magisterij coralliorum.

Dosis est à decem ad quindecim grana, in morbis chronicis: quæ sæpius reiteranda.

PANACEA † VITRIOLI.

Dissolue vitriolum cœruleum, in aqua pluuiali destillata calida: quam tertiò filtratam, lento balnei calore, euaporare facies, donec cuticulam in superficie contrahat. Tum liquorem restantem calidum proijce in vas plumbeum. α in quo prius bacillos, β hinc inde transuersos, per circuitum, posueris: Ita per triduum in loco frigido relinque, vt crystallos virides γ producat: quibus separatis, liquorem restantem decoque: δ & in eodem vase plumbeo repone: toties id repetendo: donec omnis liquor in crystallos abierit. Vitriolum smaragdini cŏloris, his reiteratis dissolutionibus & coagulationibus summè depuratum, reduc in puluerem subtilem, quem spatio 5. vel 6. dierum, tali calore exsiccabis, vt æstiualem Solis non excedat: donec foris & intus candidum appareat. Tum dissolue in aqua destillata: filtra: quod indissolubile, abijce: coagulá in vase plumbeo: exsicca in hyocausto, ε ad albedinem, vt suprà: reiterando hanc operationem,

nem, vſque tertiò; vel donec in diſſolutione, nihil maneat indiſſolutum. Vitriolum hoc candidum pone in matracium firmum, ſigillo Hermetis munitum : quod in cineres ita calidos colloca: vt Solis æſtiui calorem ne excedant. Decimo die flaueſcet: & vigeſimo reductum erit in alcohol, inſtar ſanguinis rubicundum. ☽ Vaſe fracto, impone in cucurbitam altam, & ſuperfunde acetum, ter deſtillatum: vt ſuperemineat quatuor ad minimum digitis. Superpone alembicum cœcum, & per quatriduum in balneo tepido digere, ſpatula lignea quotidiè mouẽdo. Vaſe refrigerato: quod tinctum eſt, effunde: aliudq; acetum reaffunde: digere: moue: ſepara toties; donec acetum tincturam vlteriùs non attrahat. Quod in fundo remanſerit, abijciendum. Acetum tinctum, lento balnei calore, ad ſiccitatem deſtilla. Manebit in fundo puluis rubicundus, quem etiam tertiò in eodem aceto diſſolues: digeres: ſeparabis: deſtillabis: exſiccabis. Puluerem rubicundiſſimum pone in retortam, adhibito receptaculo grandi, dando ignem, per gradus. Primò egredietur ſpiritus flauus: poſtea rubicundiſſimus. Continuetur ignis in eodem gradu: donec appareant ſpiritus albi. Tum ceſſandum. Vaſe refrigerato, repe

ries

ries in fundo retortæ, terram diaphanam, puram, candidiſſimam, » quam ſpiritibus ſuprà dictis paulatim imbuens, digerendo, imbibendo: donec ſpiritus & anima proprio corpori ſint reſtituta. Tandem terram hanc benedictam in athanorum pone, in vaſe hermeticè clauſo, & per quadraginta dies decoque, donec figatur. Doſis eius à granis tribus ad quinque vel ſex, in morbis deploratis maximè.

† *Num Panacea vera detur, anxiè hucuſque inter Medicos diſputatum & conflictatum. Plerique autem Medicorum æſtimant, impoſſibile eſſe eam dari, propter innumeram & inexplicabilem morbum varietatem, reticendo luxationes, & alios morbos Cheirurgia egentes, vt firmiſsimis rationibus demonſtrare conatur Rulandus*, in Progymnaſ. q. 51. *Verùm quæſtionem hanc, pro huius temporis tractu, huius vel illius indiuidui poſsibilitate & impoſsibilitate, metiendam non eſſe cenſemus; ſiquidem ſi ἁπλῶς eam conſideremus, de eius ſcilicet compoſitione & viribus prope diuinis, planè de eius veritate, conſentientibus tot viris eminentiſſimis, conſtabit, ita vt nefas eſſe putemus, experimentis tot præclariſſimis reclamare velle. Quocirca Panacea res impoſſibilis non eſt. Num autem eam inter modernos tùm Medicos Hippocrati-*

Anuualdum Panaceam verã habuisse, ex nõnullis constat.

craticos, tùm Pseudospagyricos, reperiri liceat valdè & meritò ambigimus. Interim qui Panaceam. e. g. Anuualdinam defendunt, firmiter asserunt: ipsum Anuualdum Panaceam quidem veram habuisse, eamque ex Italia, ab alio quodam confectam & acceptam, secum attulisse, & multis etiam eadem in grauissimis morbis consuluisse; postea verò, ac tandẽ vt omnem illam veram Panaceam deperderet, composuisse illud pharmacum, quod apud Crollium, excinabari, croco, & conchis, pag. 123. *descriptum extat, eidemque veræ Panaceæ portiunculam adiecisse, vt hac ratione dictum: Pharmacum de veræ Panaceæ viribus participaret. Sed hanc litem non faciemus nostram; quin potiùs cuilibet suam relinquentes opinionem.*

α *Plumbum enim magnam habet conglutinandi vim.*

β *ligneos abiegenos, non quernos; aliàs enim armenti instar nigresceret.*

γ *potiùs cœruleos.*

δ *ad cuticulam vsque.*

ε *retrò fornacem, vel in vmbris.*

ζ *Vix tam citò hoc succedit.*

η *hoc nihil est.*

Panacea Vitrioli ab autore proposita, penè eadem est cum Isaaci Hollandi essentia Vitrioli benedicta, quam habet in opere minera-

nerali: ſed, vt verum fatear, vtraque præparatio eſt admodùm laborioſa & longiſſimi temporis. Neque autor noſter eandem vnquam confecit; tantùm abeſt, vt de certitudine eius nos confirmare poſſit. Itaque ne in ignoto Pelago vela ventis committamus, hac præparatione potiùs ſuperſedere, quàm eandem laboriosè venari velle, expedit. Nihilominus non vituperamus propoſitam in ea vitrioli purgationem, tum etiam, quomodo ex hac vitrioli purgatione ſpiritus & tinctura elici poſsint: reliqua verò nullius ſunt momenti.

TINCTVRA AVT SVLPHVR NARCOTICVM VITRIOLI.

Recipe limaturæ chalybs puriſsimæ part. vnam: vitrioli Cheſsiaci aut Veneris part. duas. Miſce; & pone in matracium colli breuis, ſuperque affunde acetum deſtillatum bonum: vt ad digitum vnum ſupernatet. Hoc poſtea lentè exhalet, ad ſiccitatem, dando ignem fortem, circa finem, vt omnia candeſcant. Hinc vaſe frigefacto, pulueriſa iſtam materiam, & ſuper eam affunde acetum nouum, vt ad tres digitos ſupernatet. Quo facto, digere, per biduum, aut triduum; donec nempe acetum bene coleretur: quod poſtea decanta & aliud rurſus

ſus affunde, donec omnis tinctura extracta ſit. Tunc guttatim funde olei tartari q. ſ. ſuper acetum coloratum, donec omne ſulphur narcoticum, ad fundum, fit præcipitatum: a quo omnis acrimonia repetitis ablutionibus, ſegreganda: poſt ipſum ſiccandum, & ad vſum aſſeruandum.

Inſigne eſt anodynon, & reliquis omnibus meritò anteferendum: quodque Paracelſus ſummoperè commendat, & magni æſtimat.

PANACEA ALIA FAMOSISSIMA.

Recipe cinnabaris mineralis veræ q. ſ. Redige in alcohol, ſuper marmore. Poſt inde in catinum triquetrum, mediocris capacitatis, ſuperimpoſito operculo cõcauo, circa commiſſuras bene lutato, quod operculum in medio foramen habeat exiguum. Superimpone adhuc alium catinum triquetrum, & hermeticè iuncturas claude. Poſtea inſtitue ſublimationem, prunis ſubiectis. Quod in ſummo ſublimatum inueneris, abijce, tanquam venenum cinnabaris arſenicale: quodque in fundo reſtat, ſimiliter abijce, vtpote terram mineralem vtilem. Quod verò operculo illi adhæſerit, ſiue in conuexa, ſiue altera parte, diligenter collige

pulue-

puluerisa, & affuso spiritu vitrioli, digere in loco calido, per quinque vel sex dies. Postmodum effunde spiritum vitrioli optimè edulcora. Calcina etiam parum, vt sal spiritus vitrioli tantò melius decedat: iterumque aqua elue. Dosis gr. sex, septem.

PANACEA SOLARIS DIAPHORETICA.

STOMACHVS STRVTHIONIS PARACELSI.

Recipe aquæ Philosophicæ lib. 1. Mercurij sublimati vncias duas. Misce: & in hac aqua solue mercurij vulgi tantum, quantum aqua soluere potest. Dissolutio tardè procedit: ac propterea opus est digestione. Solutioni adde liquoris gummosi vncias duas. Misce, & destilla, idque bis vel ter repete, donec aqua nullas feces post se relinquat. In omnibus destillationibus ascendet mercurius sublimatus, qui singulis vicibus in aquam reponēdus. Hac aqua extrahitur quinta essentia metallorum, mineralium, & marchasitarum.

QVINTA ESSENTIA TARTARISATA, SIVE SPIRITVS vini Tartarisatus.

Destilla feces vini exsiccatas, in modum

aqua foris. Aquam & oleum ſepara, & ſerua. Interim feces ad albedinem calcina, quas oleo ſuprà dicto imbibe; &, vt ſuprà deſtilla, & calcina; toties id opus repetendo; donec oleum fuerit clarum, vt aqua, & dulce, nec aduſtionem ſapiat. Ita habebis quintam eſſentiam tartariſatam, quæ corroſiua omnia ex metallis tollit.

Solis ſublimatio.

Recipe Solis per antimonium purgati, & in bracteolas ſecti, vel, eius loco, Solis foliati, vncias duas: ſtomachi ſtruthionis vncias quatuor. Solue; & deſtilla per alembicum, igne forti, a ſub finem, ad ſublimationem vſque, vt vitrũ candeat. Vaſe frigefacto, cohoba & deſtilla; idque ter repete, ſingulis vicibus, quod ſublimatum fuerit, ſeparando. Quartò deſtilla lentè phlegma, & iterum nouum affunde, ad vncias quatuor; & fac, vt priùs, donec tota aqua conſumta, & omne corpus exaltatum & ſublimatum fuerit, in albedinem exaltatæ aquilæ, & id eſt, mercurij ſublimati. Denuò totum ſublimatum repone, cum phlegmate, deſtillando phlegma, ſine aſcenſione ſpiritus.

Mercurius vitæ.

Fit, vt eſt in Archidoxis Paracelſi, *libr*

de

de arcanis, cum parte vna antimonij, & parte vna, vel, ſecundum alios, duobus mercurij ſublimati. Rectificatur poſtea, & ſoluitur ſuper marmore, vel vitro, deinde congelatur, deſtillando phlegma, & modicum aciditatis; donec guttæ, in phlegma decidentes, incipiant præcipitari. Tum amoto accipiente, & alio ſubſtituto, deſtillatio igne moderato vrgetur. Hoc quater repeti debet; quartò maſſa ♃ erit clara & alba.

Coniunctio Solis ſublimati & Mercurius vitæ.

Recipe Solis ſublimati, ſiue olei eiuſdem ſupradicti, ſine phlegmate, partem vnam; Mercurij vitæ clarificati partes duas: Miſce ſimul & lento igne deſtilla ſpiritus. Quod coagulatum remanſerit, ſolue ſuper marmore: tertiò ſolutionem & coagulationem repetendo. Tum ſupra hanc materiam affunde duas partes quintæ eſſentiæ tartariſatæ, deſtillando, per alembicum, ad ſiccitatem vſque; reaffundendo aliam deſuper toties, donec eſſentia dulcis deſtilletur, vt impoſita fuit. Quo facto, ſuper huius medicine partem vnam, affunde partes quatuor ſpiritus vini, ſine phlegmate: digerendo, donec conſumatur. Sic habebis Solis & Mercurij

vitæ coniunctionem: cuius dosis guttarum quatuor, in vino albo. Prodest in omnibus morbis desperatis, & quorum causa est occulta.

[Fama est: Rosbergium huius Panaceæ authorem esse: quam ego quidem nunquam parare tentaui. Interim volui eam hic inferere, vt Chymicorum iudicia de ea colligerem.]

α *Generaliter dicuntur omnes aquæ fortes stygiæ, quòd hæ perinde, vt ille ferro edomando sufficit, omnia metalla corrodendo soluant, & in se absorbeant.*

β *Hoc non procedit.*

γ *Butyrum potiùs erit clarum & album*: de *quo sufficienter suprà cap.* 12. *sub titul. mercurius vitæ, sine puluis emeticus.*

Panacea solaris diaphoretica secundum præscriptum autoris nostri nullo modo confici potest, ac multa sunt in hac ipsa descriptione, quæ inuicem pugnant, propterea q; neq; vera, neq; verisimilia possunt esse. Misso itaque hoc ipso, eidem æquiualens, vel potiùs maius, addemus, bezoarticum scilicet solare clarissimi Hartmanni, cuius confectio est talis: Solue aurum finum in aq. Philosophica, abstrahe menstruum in B. sæpius, vsque ad olei formam in fundo cucurbitæ subsistentem; pòst superfunde acetum

Bezoarticũ solare Hartmãni.

destil-

destillatum radicatum, ad supereminentiam 3. digitorum, & destilla, idque fac, donec acetum planè in ea acrimonia prodeat, qua affusum est, & à Sole omnes corrosiui spiritus hoc modo fuerint ablati: tandem affunde spiritum vini proprio sale alkalizatum, & digere per quindenam; postea spiritum vini, eundem ex B. destillando, aufer, & manet oleum Solis in fundo instar sanguinis rubicundum. Huius olei recipe vnciam semis, adde solutioni butyri antimonij, cum spiritu nitri facti (ceu suprà ostensum est in antimonij diaphoretici) vel potiùs bezoartici mineralis (descriptione secunda c. 12.) vncias quatuor: & progredere eodem modo, qui ibi propositus, destillando & cohobando sæpius, donec extremo loco ipse puluis, in igne docimastico calcinatus, redeat in puluerem purpureum elegantissimum, earundem planè virtutum, quas de Panacea sua Solari autor hic deprædicat. Dosis gr. 3. 4. 5. 6. in conuenientibus vehiculis, in morbis venenatis & διαφόρησιν exigentibus.

TYROCINII CHYMICI

LIBER TERTIVS:

De quinta essentia.

CAPVT I.

De quinta essentia sanguinis humani.

Quinta essentia vox homonyma est.

QVintæ essentię vocabulum homonymum est. Interdum significat quamuis speciem Chymicam, crassitie materiæ elementaris, corpulentisq; fecibus exutam: ac opponitur magisterio; in quo tota substantiæ moles ferè remanet, sed exaltata & depurata. Interdum, vt nos eam hic accipimus denotat substantiam æthereã, cœlestem, ac subtilissimam; è tribus principijs cuiusuis corporis misti soluti, à qualitate elementari, sensibili, corruptibili, & mortali, per varias operationes Chymicas; orbatis, & in vnum, seu corpus spirituale, seu spiritum corporeum, coagulatis, conflatam. Dicitur à quibusdam Medicina, κατ' ἐξοχὴν: ab alijs Elixir, ob insignes virtutes, quas, in præ-

seruа-

ſeruatione corporis humani à varijs morbis, exerit: ab alijs Cœlum, duplicem ob rationem. Primò, quòd ſicut cœlum non ex quatuor elementis, ſed materia quadam æthærea, & quinto quaſi elemento, factum, nec corruptioni vlli obnoxium eſt: ita & quinta eſſentia vera, ab omnibus ſecibus elementorum ſit ſecreta: ac quamuis non planè incorruptibilis: attamen ad eam ſubtilitatem, tenuitatem & ſimplicitatem ſpiritualem redacta, vt nihil heterogenei, à quo corrumpi poſſit, in ſe continere videatur. Deinde, quòd, ſicut cœlum in hæc ſublunaria potenter agit, rebus omnibus vitam largiendo & conſeruando: ita etiam hæc quinta eſſentia corporis humani valetudinem conſeruet, iuuentam extendat, ſenectam remoretur, & omne morbi genus abigat.

Eſſentiæ quintæ ſanguinis humani præparatio.

Paratur autem quinta eſſentia ſanguinis humani hunc in modum: Recipe quantitatem ſatis magnam ſanguinis virorum ſanorum, in flore ætatis conſtitutorum: pone in vaſe circulatorio, iuſtæ capacitatis, in B. M. continuè bulliens, donec draco à propriam caudam deuorauerit, (hoc eſt, toties reaffunde ſuper caput mortuum, donec puluis maneat ſiccus, & nihil deſtillet.) Vaſis refrigeratis, materiam eximè,

quæ inſtar hepatis erit, eamque in particulas ſcinde: & per cucurbitas altas, eodem balnei calore, elementum aqueum, ſiue phlegma, deſtillatione ſepara. Deſtillatum ſuper propriam terram α reaffunde, & pone in B. bulliens, in ijſdem vaſis circulatorijs, per decem dies, vt ſuprà, poſtea phlegma deſtillando, & propriæ terræ reaffundendo, vt ſuprà: quinquies eundem proceſſum repetendo, & vltimò totum phlegma deſtillatum reſeruando. Vaſis refrigeratis, materiam exime, & retortæ amplæ inde, adhibito recipiente capaci: deſtilla ex cineribus elementum aeris, β igne per gradus ſubminiſtrato. Nubeculis in recipiente diſparentibus, ignis intendatur: vt elementum ignis, in forma olei rubri, ſiue purpurei, egrediatur. Sub finem ſublimabit ſe aliquid de ſale armoniaco. Vaſis refrigeratis, ſepara aerem, ſiue ſpiritum, ab igne, ſiue oleo; vel blanda deſtillatione balnei, vel per tritoriũ. Spiritum, cum ſale armoniaco, reaffunde fecibus, digere per triduum: & per retortam nouam deſtilla, ſub finem dando ignem, ad ſublimationem idoneum, vt totum ſal ſpirituale, vel ſaltem maior eius pars, ſublimetur, & cum ſpiritu in recipiente miſceatur. Nouum ſpiritum fecibus reaffunde: digere: & de-

& deſtilla toties, vt ſuprà, donec terra priuetur anima: quod cognoſces, quando, ſuper laminam candentem poſita, fumum non ediderit. Notandum, antequam ſpiritus animetur; debere eum ſepties rectificari, ſingulis vicibus phlegma & feces ſeparando:& partem eiuſdem ſeorſim reſeruari, prodiſſoluente parando, vt poſteà dicitur. Nigrum nigrius nigro, hoc eſt, caput mortuum, γ. calcina in reuerberio, ſpatio quinq; dierum, igne moderato, in vaſe vndique clauſo:donec nigredo vertatur in albedinem ſubflauam, & tandem in rubeum colorem. Tum terra apta erit ad ſuſceptionem ſpiritus animati. Imbibe terram calcinatam proprio phlegmate,& per viginti quatuor horas, in cineribus, digere, & deſtilla; hoc ter repetendo. Terræ exſiccatæ da decimam partem ſui ponderis ſpiritus animati: digere in balneo, quantum ſatis; poſtea humiditatem inſipidam deſtillatione blanda ſepara. Reaffunde nonam partem ſpiritus animati: digere: deſtilla vt ſuprà. Deinde da octauam partem ſpiritus animati: poſtea ſeptimam: ſextam: quintam: quartam partem: tamdiu cum quarta parte imbibendo;donec terra in duplum ſui ponderis accreuerit. Et hoc eſt, quod Auicenna dicit: *Scias, quod terram*

terram oportet nutriri primò modicè aqua ſuâ, & poſtea maiori, ſicut videre eſt in infantis educatione. Idcricò multoties contere terram, & paulatim imbibe eam, ſingulis octo diebus: decoque, & poſtea mediocriter calcina in igne: nec tædeat te, opus multoties reiterare: quia terra fructum non gerit abſq; frequenti irrigatione. Caueas tamen, ne imbibas terram, niſi paulatim, & cum longa contritione, poſt ſiccationem terræ. Vnde in hoc eſt pondus vbique notandum, ne ſcilicet nimia ſiccitas, vel ſuperflua humiditas, opus corrumpant. Et intantum decoque aſſando, quantum diſſolutio exposcit imbibendo. Hæc Auicenna. Vnde etiam Geber ait: *ex multiplici ergò reiteratione imbibitionis, & aſſationis, maior pars eius atquietatis deletur; reſiduum verò per ſublimationem.*

Pone itaque terram prædictam in cucurbitam altam, cui alembicum, cum receptaculo, ſimul adapta rimulis luto diligenter conſtipatis, ne quid exſpirare poſſit. Et da ignem cinerum, ſpatio duorum dierũ, quouſque fumus ille mundus & albus aſcendat, & inſtar Talci, ad latera cucurbitæ hæreat. Et hoc eſt, quod dicit Clangor buccinæ: *Idcircò quanto magis poteris, ipſum corpus ſubtilia: & eum mercurio mundo coque; cumq; cor-*

pus

pus aliquam partem mercurij in se hauserit & concluserit: ipsum subtilia igne fortiori: donec ascendat albissimus puluis, instar niuis; adhærens spondilibus Aludel: Cinis verò, in fundo manens, est fex, & scoria vituperata abijcienda, in quà nil vitæ habetur.

Prædicti mercurij meteorisati accipe vnciam vnam; misce cum septem vncijs spiritus rectificati, non animati. Digere per biduum, in balneo: postea destilla per cineres; deinde per balneum, cum reiteratis cohobijs; donec nullas relinquat feces. Tandem per quadraginta dies circula. Vsus eius ad tincturas metallorum, & lapidum eliciendas.

Ex eodem mercurio & eius oleo fit Elixir, ad desperatissimos quosque morbos pellendos; in hunc modum: Recipe huius mercurij vnciam vnam: cui adde octauam partem sui ponderis olei rectificati: decoque in Athanore, per octiduum: postea imbibe, cum septima parte: &, vt suprà, decoque: deinde cum sexta parte: tandem cum quinta, toties reiterando; donec materia fiat instat syrupi spissi, nec vlteriùs decoctione induretur. Tum per quadraginta dies decoque: & fiat lapis rubicundus, cuius dosis gran. vnum, vel duo, in liquore appropriato.

a quæ

α quæ relicta fuit in deſtillatione.

β hoc eſt, ſpiritus.

γ ſeu terram reſiduam poſt extractam animam.

δ Oleum hoc debebat eſſe ἀφθαρτὸς ſeu incorruptibile; ſed hic poſitum tale non eſt: ſiquidem flammam concipit: ergò autor hic finem non aſſequitur. Omnia quidem in hoc proceſſu poſſunt procedere; verùm cum ad coniunctionem deuenitur, tunc aqua hæret.

Adiungeremus hiſce, commentarij loco, præclara & admiranda nonnulla ſanguinis humani inſignia. Imprimis diceremus de Biolychnio illo, ſeu lampade vitæ, quam vocant, mirabili prorſus & ad omnem poſteritatem commendabili opificio, totius Spagyricæ operationis artificio ſingulari: quod ſtupendo admodum magiſterio grauiſſimorum in corpore humano, ſed proprio, affectuum, ac mortis deniq; ipſius, indicem in ſeſe continet, diceremus præterea de cura morborum deploratiſsimum magnetica, ex mumia ſanguinis hominis ægrotantis deſumta: ſed quoniam talia à Iohanne Erneſto Burygrauio iam publici iuris facta ſunt, in libello Biolychnij, curis ſecundis auctiùs edito, anno 1611. Franckeræ, apud Dominicum Balck, Lectorem eò remittimus, modò tantùm ex eodem eadem repetituri, & quæ minùs clara ſunt, ſtylo magis

Biolychniũ ſeu lampas vitæ.

aperto

aperto interpretaturi annitemur. Ros Iouis amphibij vegetabilis, in descriptione Biolychnij, est spiritus vini summè exaltatus, de quo mox, subsequenti capite; ad vini quintæ essentiæ præparationem. Is cum sanguine humano proprio, vel eius, cui conficiendum est hoc biolychnium, adhuc calente, & ex vena cordis, seu basilica, saliente, coniungitur proportione analoga; qualis est sanguinis ad alcohol vini tripla; quadrupla, vel quintupla. Mista per filtrum traijciuntur, & in Pelicano ansato, Hermeticè clauso, tertiam saltem partem eius complexa, in B. digeruntur, donec, naturali quadam fermentatione, tota capacitate vasis à mixtura illa occupata, & separatio puri ab impuro facta fuerit. Purum quod est, aurei coloris, seruatur seorsim, & exaltatur, per retortam vitream, cum suo recipiente firmiter & continuè ferruminatam, solo siphunculo, per quem liquor intromittendus est, ad collum suum permeabilem, decies vel duodecies ex B. cohobando, donec nimirum pretiosus liquor perfectè præparatus fuerit. Iste tandem adapto elychnio ex asbesto, hoc est, immuni ab igne; artificiosè parato, in lampade aurea, vel argentea, vel vitrea, radijs solaribus, per speculum concauum in ellychnium coactis, accensus, sanitatis vel morbi certissimus index, reponitur.

Cura morborum magnetica.

De cura morborum magnetica ex sanguine homi-

hominis ægrotantis instituenda rectè præcipit Surggranius, qui videatur.

Philtrũ ex sãguine humano.

Nunc pergimus de quodam philtro, ex sanguine humano præparando, præceptionem instituere. Sæpius autem usu venisse animaduersum est, quòd inter diuersos duos odia & simultates vigentes, quin etiam inter vxorem & maritum iurgia & rixæ, odium intolerabile procrearint, ac alter alterum tanta mentis auersatione ac acerbitate insectatus fuerit, vt neque præsentis vultum, neque absentis recordationem, tranquillo animo ferre potuerit.

Τῆς ἀντιπαθείας. exemplũ mirabile & memorabile.

Cuius odij exemplum memorabile est patris filium ex coniuge legitimè natum, haud alio modo auersantis, quam quo nonnulli feles reformidare, nec vllo aspectu vel alio sensu ferre solent; idque is tùm statim à partu fecisse dicitur, tùm etiam subsequente ætate. Cum enim pater iuberetur recens natum amplecti, abhorruit, nec postea eius præsentiam in eodem contubernio absque lipothymia tolerare potuit. Factum itaque est ab amicis, vt, cum puer decennis cum alijs pueris, vno eodemque habitu vestitis, inscio patre, in conuiuio ministrasset, neque dum à patre agnitus fuisset, pristinam tamen affectionem pater, præter omnem spem, passus fuerit, lipothymia cum algore sudoreq; inuadente: iussus ergò filius discedere, perpetuo postea diuortio

tio à patre eſt ſeiunctus. Huius formidabilis antipatheiæ cauſas conatus eſt reddere Andreas Libauius, ſingular part.4. ſed, niſi nos mens noſtra fallit, eiuſmodi naturæ obſoleta, ſeu rara non niſi ex intimis naturæ abſconditis cenſeri, & determinari volunt, cum minùs obnoxia ſint vlli qualitatùm elementarium miſcibili poteſtati, ad cauſarum tantarum concurſum prorſus inutili. Nos certè, quia animalia etiam inter ſe infenſiſſima in gratiam rediguntur, huic abominabili affectui rectiſſimam medelam adhiberi potuiſſe non dubitamus.

Modus animos etiã inter cõiuges diſſentientes vniẽdi.

Modus eſt talis: Recipe ſanguinem ex baſilica ſiniſtri brachij, &, quantum opus eſt in tantundem alcohol vini opt. per infundibulum, è vena ſalientem, eius perſonæ, quæ ab altera odium patitur: digere, benè clauſo vitro, per pluſculos dies, poſteæ deſtilla ex B. vaporoſo per alembicum, ad ſiccitatem. Eius aquæ deſtillatæ exhibe alteri perſonæ quæ odium alit, in vini hauſtu, iciuno ventriculo, drachmam i. vel duas, aliquoties repetendo; & mirabili admodum metamorphoſi animi diſſidentium concidiabuntur, omniumque rixarum fomites, ſeu irritamenta, ceſſabunt, modò præter hanc medicinam etiam piorum conſolationes, & iucunda ſuaſiones accedant; maleuolorum verò obſtreperorum gannitus abarceantur. Hac ratione

cõniu-

coniuges sæpè furijs in perpetuas lites agitatos, redintegrato pristino fauore, in mutuum amorem redisse, explorata & toties confirmata experientia fidem fecit.

Oleũ sanguinis humani ad caducum.

Sequitur iam oleum sanguinis humani, ad caducum etiam inueteratum sanandum perquam celebre: Recipe sang. homin. sanorũ, & iuuenum, venas primo vere incidentium, satis magnam quantitatem; adde alcoholis vini præstantissimi partes tres (ad partem tertiam) & in cucurbitis probè munitis in ventre fimi equini digere, putrefaciendo per quadraginta dies, deinde destilla in cineribus per alembicum; & prodit, vnà cum aqua, oleum elegans: separa phlegma ab oleo, destillando per B. lene, oleum pelica per retortam è cineribus rectifica per se, nouies repetendo eandem destillationem. Sicque admodum nobile fiet oleum, cuius scrupulus semis in aq. pæoniæ, singulis diebus, per mensem integrum, à Luna noua incipiendo, epileptico exhibitus, prætereaque singulis nouilunijs semel per integrum annum scrupulus integer repetitus, si diætæ ratio simul habeatur exquisita, certissimum morbum tollit, cerebrum confortando, malignitatemque totius corporis expellendo.

Balsamus sanguinis humani in fignis.

Sic non minoris excellentiæ & virtutis est Balsamus sanguinis humani, simili ferè modo conficiendus, qui talis est: Recipe sanguinis homi-

hominis ſani libram vnam : alcoholis vini optimi vncias duas ; poſt digeſtionem debitam , deſtilla ex B. bis ; deinceps repete totius digeſtionem in fimo equino , per ſeſquimenſem , aut ſeptimanas plures , donec videlicet aqua appareat gemina : inferior rubra ; ſuperior alba , quas ambas ſeparatim ſerua . Vtraque in caduco , capitis doloribus inueteratis , aliſq; cerebri affectibus , inſignem præſtat vſum , memoriam confortat , ſpiritus animales recreat , loquelam, vel impeditam , vel amiſſam, reſtituit , venena expellit , anguſtiam pectoris ampliat , pulmones impuritatibus infractos expedit , ſanguinem purificat , ac imprimis neruis mirificè opitulatur , alioſque vſus in tota Medicina , obſeruatis vbique cæteris ad bene medendum neceſſarijs, exhibet. Dantur in vehiculis appropriatis , vel etiam in vino , vtriuſque ana guttæ 6. ad 12. vſque .

Huius generis eſt aqua ſanitatis , quam vocarunt Veteres . Recipe ſanguinis hominis iuuenis & carnoſi libram vnam . Adde ſucci florum cholidoniæ maioris , & mellis virginei , ſeu primi , priùs tamen deſpumati tandundem : ſalis terrefacti manipulum vnum . Miſce : addendo pulueris zingiberis , galangæ, cinamomi , macis, caryophyllorum, cubebarum , cardamomi , granor. iuniperi , maſtichis , ana vnciam *Aquæ ſanitatis.*

vnam semis; xylo aloes drachmas quinque: musci optimi, ambræ gryseæ, in aq. rosarum dissolutorum, ana scrupulum vnum. Recondantur omnia in phiala Hermeticè clausa, eandem subtus terra in defodiendo per mensem: postea destilla, & quoslibet liquores, auctis ignis gradibus, successiuè egredientes serua. Iisdem vsibus inseruiunt, quibus præcedens balsamus: commodè itaque ad eosdem affectus applicantur.

Balsamus ex sanguine humano antipodagricꝰ.

Porrò ex sanguine humano balsamus quoque elicitur antipodagricus, infinitis elogijs dignissimus, & toties ab eruditis Spagyris singulari cum successu in debellanda podagra adhibitus. Eius modus talis est: Recipe sanguinis humani, adhuc calentis, satis magnam quantitatem, id est, duas vel tres metretas: putrefac in B. clauso vitro per integrum nouendium, vel etiam dies plures: deinde destilla per retortam, ex arenis, obseruatis tamen ignis gradibus. Omne, quod prodibit, collectum, serua, & lento B. calore per alembicum phlegma euoca; reliquum ex arena pelle per cornuta; emanebit oleum rubicundum & fœtens, eleuato, ad spondalia colli, sale proprio volatili; quem diligenter custodi. Oleum verò rectifica per colcothar, ex retorta, igne arenæ, aliquoties à recenti colcothare destillando: in quo probè correcto tandem solui prædictum salem & serua. Est balsamus

famus mirandarum virtutum in paroxysmis podagricis. Eo si inungatur membrum affectum sex diebus continuis, quotidiè bis vel ter: sistitur reuera dolor, tumore simul & rubedine, si qua fuerit, euanescente, & natura, per secessus crebriores, reliquum, quod noxium est, expediente.

Similis prorsus virtutis seu ἐνεργείας sunt olea ex sanguine ceruino & hircino, cum suis propriis salibus, in omni communiter sanguine existentibus eadem δοκιμασία præparata: nisi quòd ex prædictis animalibus, interiora viscera pulmonum, cordis, & hepatis, priùs particulatim dissecta, vnà cum sanguine putrefacienda sint, vt exinde nobilior quoque earum partium essentia simul eliciatur. Horum omnium etiam insignis vsus est in contracturis, à quibuslibet causis prouenientibus: magnam enim potestatem resoluendi habent, quam imprimis sal volatile conciliare videtur.

Olea ex sanguine ceruino & hircino.

His omnibus, tanquam appendicis loco, annectimus duplex arcanum; vnum sanguinis; alterum verò tartari.

Arcanum sanguinis humani, à Paracelso lib. 3. de nat. rerum, qui est de conuersatione rerum naturalium, mirificè commendatur. Parandi modus est talis: Recipe sanguinis humani puri & synceri libram vnam vel duas; relinque in vase ligneo, non metallico, donec omnis aquositas

Arcana sanguinis humani p̃paratio.

fonte sua, sine vlla alia motione, separatus fuerit, quam decanta: super sanguinem coagulatum, & ad magna quoddam redactum, fundi salis communis spiritum, seu aquam, vt vult Paracelsus; & continuò hac eadem, cum sanguine mista, eundem rubori pristino restitutum; postea nunquam putrescere sinit; sed perpetuò conseruat in vigore. Hoc arcanum, fecibus post aliquot dies remotis, vocat Paracelsus balsamum super omnia balsama, propterea que in Medicina vehementer commendat. Eius autem vsus in renouando sanguine per vniuersum corpus præcipuus videtur esse: ideoq; in hydrope, qui sanguinis stagnantis, & quasi corrupti, curatio est, omnium maximè commendabile fore, dubium non est vllum. Etsi enim hydrops à sale microcosmico resoluto, ac limites suos egrediente, sanguinisque massam à statu integritatis in peiorem, aquam videlicet, reponente. Quia igitur ad arcanum hoc imprimis salis spiritus assumitur, isque aliàs in hydropis, morbi nempe contumacissimi, eradicatione felicissimè vsurpatur: consequens est, mundificationem sanguinis ab vtroq;, nimirum à spiritu salis, & sanguine per spiritum salis rectificato, multum adiutum iri.

Spiritus salis præparatio.

Cæterùm præparatio spiritus salis, ad hanc extractionem à Paracelso adhibiti, in ipsius

Chei-

Chierurg. mag. l. 2. tract. 3. c. 2. *docetur, quæ talis est: Recipe salis communis albissimi, aliquoties fusi, quantum placet, (ideò autem fundi debet, vt per istas fusiones salis, etiamsi purissimum, spiritus arsenicales pereant) illius puluerem cum succo raphani expresso misce, & agitando solue; post resolutionem cum silicum vel laterum puluere, ad salem triplo vel quadruplo, ex retorta, igne nudo, & postremò vehementiori, destilla; destillatum cum optimo spiritu vini rectificato analogis partibus coniunge, & quinquies per cornutam rectifica. Hic est spiritus, vel aqua salis, quam Paracelsus ad comminuendum Solem, vt postea tinctura extrahi possit, & ad arcanum sanguinis commendat.*

Philosophicum arcanũ Tartari.

Superest extremo loco nullo modo prætereundum Philosophicum arcanum Tartari, quod vocant: compositum quidem: fit enim ex triplici tartaro, minerali, vegetabili & animali: sed magnarum virtutum. Eius descriptio genuina hoc est: Recipe tartari albissimi libram vnam; adde salis petræ finissimi libram semis. Puluerisentur tenuiter, & affuso alcohole vini correctissimo, vt quatuor digitis supernatet, obstructisq; diligenter orificijs; macerentur in B. vei fimo triduum integrum; postea per alembicum destilletur, leni igne; spiritus vini, qui simul & seorsim cum residentia reseruetur. Deinde

mense Maio accipe sanguinis hominis sani & integrè iuuenescentis, quantū satis est: exsicca in arena, donec in puluerem redigi queat: ex quo cum spiritu vini, antea ex tartaro & nitro destillato, extrahe tincturam, crebris affusionibus & destillationibus, donec nempe libram semis extracti sanguinis habueris: residuos autem à sanguine feces, tanquam inutile magma, abjice. Ab hac tinctura leniter per alembicum spiritum vini euoca, & tandem balsamum seu mumiam sanguinis, in fundo restitantem, in cineribus exsicca, vt penè puluerisari possit. Deniq; spiritum vini, hac destillatione euocatum, affunde reseruato tartaro & nitro simul iunctis, & relinque aliquamdiu, vt puriores partes in spiritum vini transeant; impuriores verò relinquantur: quibus inuicem probè beneq; deiunctis, reiectis nempe fecibus, imprægnatum a tartaro & nitro spiritum vini iunge cum puluere balsami sanguinis, paulò ante facto, & statue, iuncturis benè munitis, in capaciori cucurbita vitrea in B. per duodecim dies: postea paululum, bulliente B. per alembicum abstrahe menstruum, remanente in fundo pretioso arcano tartari. Eius guttulæ aliquot, vsq; ad scrupulum semis, vel etiam plusculum, in conuenienti liquore exhibitæ subinde repetita eadem dosi, obstructiones omnes totius corporis expediunt, inprimis verò

verò hepatis & meſenterij hydropem auferunt; febres, nominatim quartanam, tollunt, pleuritidi vnicè auxiliantur, ſitim leuant. Externè, præter vſum internum, herpeti, ac quibuſuis æſthiomenis, puſtulis faciei morphææ non abſimilibus, mentagræ, illitum mirabiliter hoc arcanum medetur.

Atque hæ ſunt præcipuæ ex ipſa Anatomia Medica petitæ ſanguinis humani præparationes, non niſi ſenſu, ratione & experientia comprobatæ; ſecus autem ſentientes non moramur, quippe vnicè confidentes, nos non malam gratiam inituros apud eos, qui, naturæ myſteria perſcrutantes, nec in minimis, nec in mediocribus acquieſcunt, ſed etiam ad abditiſſima vſque penetrare allaborant.

CAPVT II.

De quinta vini eſſentia.

POne vinum generoſum, ℞ per menſem, in ventrem equinum, vel eius vicarium, in vaſis circulatorijs, iuſtæ amplitudinis. Poſtea deſtilla in B.M. ſpiritū in cucurbitis altis, quem quater rectificatum, ſingulis vicibus ſeparando phlegma, ſepties adhuc deſtilla: ita, vt ex libris quadraginta vini, vnã ſepares ſpiritualiorem, (nam quod inter ſpiritū & phle-

gma deſtillatur, aqua ardens eſt) Spiritum, in vaſe vitreo ſemipleno, probè obturato, ne reſpiret, ſerua loco frigido. Interim phlegma deſtilla reſiduum, vſque ad mellis liquidi cóſiſtentiam. Quod prolectum eſt, redde fecibus: & iterum lento balnei calore tres partes euoca: ß deinde cucurbitam eximè: & pone in locum frigidum, vt cryſtallos producat: quos, ab omnibus ſordibus elutos, toties diſſolues, γ & coagulabis: donec aquæ limpidiſſimæ glaciem æmulentur. Interim ſi oleum pingue, & combuſtibile, è vino quæris: phlegma à cryſtallis ſereparatũ in B. M. vſque ad mellis liquidi ſpiſſitudinem deſtilla: poſtea in retorta per arenam pelle. Aqua oleo flauo miſta priùs egredietur: deinde oleum rubrum: vltimò reſina. Cryſtallis minutiſſimè tritis ſuperfunde ſpiritum ſuperiùs ſeruatum: digere in B. M. per triduum: poſtea in arena deſtilla: toties eundem proceſſum repetendo; donec ſpiritus perfectè propria anima imprægnetur; & corpus planè aridum, ſuper laminam candentem poſitum, fumum non edat. Tum corpori ♂ priùs, vt artis eſt, calcinato ſuperfunde octauam partem ſui ponderis ſpiritus animati: ε digere & deſtilla, vt priùs: deinde da ſextam partem ſpiritus: poſtea quintam

deinde

deinde quartam, toties cum quarta parte continuando, donec maior pars corporis, ſuper laminam candentem poſita, in auras abeat. Tunc impletur, quod Morienus dicit: *Hoc quoque te ſcire decet: quod anima citò corpus ſuum ingrediatur, quæ cum corpore alieno nullatenus coniungi poteſt.* Habito hoc ſigno, vaſi ſuperpone antinotorium: & da ignem cinerum, ſpatio duorum dierum, donec ſulphur vegetabile ♄ ſpondilibus vaſis inſtar Talci adhæreat. Huius ſulphuris accipe vnciam vnam, ſpiritus puri vncias 4. Miſce & digere per diem naturalem: deinde deſtilla in cineribus, cum cohobus, donec totum corpus aſcenderit. Tunc bis per balneum bulliens deſtilla & per ſexaginta dies circula: ſeparataque hypoſtaſi, quæ circa fundum Pelicani hærebit, ſerua quintam vini eſſentiam, ad infinitos morbos curandos, tam interiùs, quàm exterius, vſurpandam.

Poteſt etiam hæc quinta vini eſſentia breuiori tempore perfici. Imò cum hæc ederem, præſentibus & ſpectantibus quibuſdam meis diſcipulis, & amicis, ſpatio quinque ſeptimanarum eam abſolui, & auri tincturam rubicundiſsimam eadem elicui. Multæ enim ſunt viæ, teſte Gebero, ad vnum effectum & vnum intentum. Non poſſum autem

ſatis

satis mirari hoc loco: spiritum vini Gallici aut Germanici circulatum, mirabilem illum odorem non referre, quem Baptista Porta, vino Neapolitano tribuit, his verbis: Tunc resera osculum, & si foràs mirabilis fragrantia manabit, cui nulla res comparari poterit: scito, te optimum finem assecutum. Quod si odor vel color nó responderit: reclude vas, & iterum ad circulandum repone, donec signum assequaris. Atqui nec Italicus vini spiritus, teste Rubeo, tali præditus est odore. Ille enim, *cap. secundo, sectionis secundæ, libri sui de Destillatione*, in hunc modum scribit: *Vtinam viueret nunc vir clarissimus, Medicusq; præstantissimus, Eustachius Sanctio Senensis. Is enim, vt de me taceam experientia ipsa, quam fecerat diligentissimè, testari posset, aquam ardentem, si non mense solùm integro, sed duobus, atq; etiam tribus mensibus, imò vel anni toto circulo, vt Raimundus præscribit, ageretur, ad id odoris suauitatisq; nunquam peruenturam, ac potiùs colidiorem indies, acrioremq; fieri, vt quisquis velit, facilè potest experiri, & ratio ipsa, ab igne ac motu desumta, persuadet.* Quanquam illud non absolutè de aqua ardente simplici ac pura, vt posteriores putarunt, Raimundus intellexit, sed de ea, in qua dissolutum fuerit metallicum corpus. Canone

enim

enim ſecundo primi libri ſic ſcribit: *Hæc verò quinta eſſentia, ſic circulo acta & rectificata, non illo prædita odore fuerit, niſi corpus ſit deſtillatum in ea.* Vnde conſtat: Portam talem quintam eſſentiam vini, non è fornaculis, ſed ex ſcriptis Lullij & Rupeſciſſæ, male intellectis, depromſiſſe:

α *quale eſt Hiſpanicum:*

β *vt quarta pars maneat:*

γ *in phlegmate vini rectificati.*

δ *ipſi, ſeu ſali, per ignem rotæ ad albedinem vſque:*

ε *& leui calore balnei deſtilla, priùs digerendo, prodit ſolum phlegma inſipidum; poſtea adde ſeptimam partem ſpiritus animati.*

ζ *hoc eſt, terra foliata alba.*

Eſt & alia quintæ vini eſſentiæ præparatio, cuius etiam in præcedenti capite mentionem feccimus; ſed compoſita magis, ex vino ſcilicet generoſo, & vrina à pueris: 2. annorum, aut circiter natis, vinum bibentibus, collecta, quæ ad aurum potabile conficiendum egregiè valere creditur. Eius apparatus genuinus talis eſt. Primò fiat ex generoſo vino ſpiritus ſeu alcohol, ſine omni phlegmate, hoc modo: generoſum vinum, quale eſt Hiſpanicum, primò in clauſo, ſed capaci vitro, aliquandiu, vel in fimo, vel in eius vicario B. M. digeritur: poſtea ex eodem

Quintæ vini eſſentiæ cõpoſita.

eodem per phialam ſpiritus deſtillatur, iſque aliquotics per eandem phialam rectificatur, donec uempe ad ſummam tenuitatem peruenerit. Huius libræ duæ miſcentur cum libris ſex recentis vini eiuſdem generis, & per phialam denuò eadem quantitas, librarum nempe duarum, non plus nec minus, deſtillando prolicitur; atque ita deinceps poſterior quantitas duarum librarum, cum recenti vino ſepties vel octies ſemper addita, ac toties deſtillata, libras duas alcoholis vini ſpirituoſiſsimi & fortiſsimi tandem deponit, reliquo vino, ad reſiduos ſpiritus vinoſos exinde aliàs deſtillandos, reſeruato. Iſte verò ſpiritus diligentiſſimè in vaſe vitreo, Hermeticè clauſo, adſeruandus eſt. Deinde colligatur vrina à pueris 12. annorum, aut circiter natis, vinum bibentibus: eius ſufficiens quantitas in cucurbitis probè munitis in ſimo equino putrefiant, per 40. dies. Finito putrefactionis tempore, deſtilletur vrina ex arena per alembicum, in receptaculum maius, donec omnis humiditas ablata fuerit. Deſtillatum porrò tertiò à capite mortuo rectificetur per cohobia, vt exinde ſpiritus poſtea iuſtè eleuari poſſit. Ex phiala igitur prolixioris colli, cum ſuo alembico, & recipiente, iuncturis vndiq; probè dextreq; munitis, ac per ſpongiam, oleo oliuarum parcè imbibitam, & leuiter expreſſam, in colli orificio ſtatuminatam,

per

per B. feruens deſtillatio inſtituatur: eleuabitur ſpiritus vrinæ, inſtar cryſtalli, ac alembici ſpondilibus adhærebit, nulla concomitante humiditate aquea; ſed ſolo ſpiritu volatili prodeunte. Hæc verò deſtillatio ad completam eleuationem totius ſpiritus continuanda eſt. Feces poſt ſpiritum in phiala reſiduæ abijciantur. Quod autem ſupernè ſublimatione prodijt, cum aqua pluuia deſtillata ſoluitur & colligitur, ſimilique modo ex phiala, vt priùs, per ſpongiam oleoſam deſtillatur, idque ſexies repetitur, ſemper recentem aquam deſtillatam ſubminiſtrando. Hic denique ad ſummam puritatem deductus ſpiritus, inque phialam, Hermeticè clauſam conditus, per quidenam lento calore balnei roridi digeritur, donec totus in liquorem lympidum ſolutus ſit: huic poſtea additur æquale pondus ſpiritus vini ſuprà facti & correcti, ac ambo in frigidiſſimum locum poſiti, elapſa hora vna vel altera, in albiſſimum ſalem coagulabuntur. Qui ſal denuò, per lentum calorem balnei vaporoſi, in phiala Hermeticè ſigillata, ſpacio 20. vel 30. dierum in liquorem vertitur: ac in extremo loco, per alembicum, probè firmiterq; adaptatum, ex B. ſemel atq; iterum rectificatus, tandem fit excellens menſtruũ, quod eſt ſine omni corroſiuo & fętore, ad auri ſolutionem, ac liquorem inde conficiendum, maximo-

perè

pere desideratum. Calcinetur priùs aurum per argentum viuum & flores sulphuris, ceu docet autor suprà cap. 16. lib. 2. sub titul. calcinationis Solis, vt transeat in calcem tenuem, quæ deinceps tenuissima fiat per mercurium sublimatum purum, sæpius nimirum eundem ab illo sublimando, donec aurum, & spongiosissimum redditum, in massam maiorem & raram excreuerit. Cum prædicto itaq; menstruo hæc Solis calx subtilissima lento igne soluitur, in solutionem instar sanguinis rubentem: quæ deinceps, per mensem, clauso vase, digeritur, abstractoq; ex lentissimo B. spiritu soluente, (in eosdem vsus in posterum adhuc dum & perpetuò quasi sufficiente) aurum manet in forma olei rubicundissimi, suauem odorem de se spargentis, & in quolibet liquore solubilis. Idem verò oleum exaltatur seu purius actiuiusque redditur, quando nimirum, spiritu à corpore separato, sola tinctura, in qua potentissima vis duntaxat residet, per alembicum eleuatur. Solutionem itaque Solis non per B. destillamus, sed per arenas, ex vase humili, igne aliquantulum fortiori. Sic enim post primam partem menstrui, cum reliqua eius parte, ipsa auri tinctura per alembicum transit, instar sanguinis relinquendo post se, in fundo vasis, terram nigram, aridam, spongiosam & leuem; Ipsum autem menstruum, quod cum tinctura

Solis oleũ rubicundissimum.

Solis

Solis prodiit, per B. saltem tepidum, ex phiala cum alembico, separamus. Relictam tincturam in fundo vasis cum spir. vini tenerrimo solvimus, eundemq; ternis vicibus, vel ampliùs, denuò separamus. Hoc igitur est aurum potabile, non illud quidem philosophicum & verum, seu vnicum: ab illo enim hoc separatur multis modis, ac longè aliud est, neque hoc idem iustissimam veri auri potabilis δοκιμασίαν sustinere potest; reducitur nimirum, & cum corpore suo denuò in gratiam redit, quod planè alienum est à vero auro potabili. Potest autem in vsu medico idem penè præstare, quod aliàs de auro potabili sperandum esse censent Chymiatri, quantumuis hoc nostrum agat remissiùs, nec exaltatis seu astralibus morbis æquè medeatur omnibus.

Nota BARTHII.

Quintam vini essentiam Beguinus, qua se rubicundissimam ex auro tincturam extraxisse, hic profitetur, compendiosè ita parabat.

Accipiebat pintas vini Parisiensis quatuor: quas, duabus cucurbitis prælatis infusas, per octiduum putrefaciebat: frigefactasq; postmodũ in vnam cucurbitã effundebat: &, ex balneo roris, spiritus vini generosioris vltra quatuor communia prolectabat: quorũ singulis reaffundebat pintas vini recentis quatuor, (sic n. non opus est

putre-

putrefactione vini ; quia ſpiritus, propter ſimilitudinem, allicit & educit ſpiritum) & ex diuerſis cucurbitis deſtillabat : atq; ita pergebat, ſemper ſpiritualiſſimā vini partem nouo vino affundendo, & ſpiritualiorē inde rurſus eliciendo ; donec ex triginta ſex pintis retineret ſpiritus ſelectiſſimi quatuor, cum dimidia quas rectificabatur, tribus rurſus politicis, quartam cum dimidia relinqueret. Quanquam verò iſte vini ſpiritus iam adeò ſubtilis erat; vt, cum in cucurbitam infuſus eſſet, in momento quaſi, indicia eius adſcendentis adparerent: nihilominus tamen illum nouies adhuc rectificabat, ſpiritualiorem eius partem ſemper deſtillando: vt ita tandem, ex triginta ſex pintis, duas circiter libras ſpiritus dulceſcentis ſepararet, & in fundo libra vna ſemis aquæ ardentis, phlegmate omni deſtitutæ, remaneret.

Interim phlegma, quod ex deſtillatione vltimarū octo pintarū exceptū aſſeruarat, ad mellis liquidiſſimi conſiſtentiam deſtillabat : eiq; phlegma deſtillatum reaffundebat, & rurſus, donec oleum ſupernataret, deſtillabat. Quod vbi abſtractum erat, ſi liquorem per inclinationē effudiſſet, & poſtea deſtillaſſet: oleum inde extraxiſſet rubrum & flauum. Ipſe autem tùm ſuperfundebat aquam, & illam oleaginoſitatem cum aqua ſeparabat ; remanentibus, in fundo, cryſtallis, vel ſales, ſed paucos. Quia verò nobis ſatis

erat

erat, vidisse istos crystallos; & aliàs etiam multo labore opus fuisset, ad istas in sufficiente copia parandas: substituebat illis crystallorum tartari albissimorum, nouies nempe rectificatorũ, vncias sex: eas retortæ vitreæ imponebat, illique matracium satis amplum, in quod spiritus vini spiritualissimi libram vnã semis infuderat, Hermeticè adiungebat. Atq; ita spiritus salis, anima nempe, extorta, in spiritum vini, qui in recipiente erat, igne cinerũ transibat, audiebaturq; in vitro nubilo aliqua crystallorum tartari decrepitatio. Exibant autem spiritus, ex retorta, valde celeriter, &, quod mirum, vas recipiens non replebant. Fortè propterea, quòd spiritus animam attraheret; (vnde ei in recipiente quasi innatare videbatur) eaq; sufficienter animatus, postmodũ eam dimitteret. Vbi is enim satur erat, recipiens à spiritibus, ex retorta egredientibus, facilè replebatur. Spiritus autem per superiora retortæ conspiciebatur, egrediebaturque etiam liquor acidus, & oleum summitati retortæ adhærebat, transiturum etiam, si maior ignis fuisset adhibitus. Sed satius erat, ne adscenderet. Vt verò duo illa principia meliùs vnirentur: præsertim cùm caput mortuum non satis esset nigrum; eximebat id retorta, & imponebat in cucurbitam: Sic enim spiritus, velociter exeuntes, maius habent spatium; quàm cum ex retorta in ma-

tracium deſtillantur) eique omnem ſpiritum tartariſatum ſuperfuſum, igne cinerum, deſtillabat. (Nota: deſtillare quidem, ſed lentè, etiam ſi bulliat. Quod ſi autem ponatur in B. M. bulliens, citò, quod mirum, tranſit; ſed ſal vna non adſcendit.)

Tandem ſal, ex fecibus relictis, per calcinationem, fuiſſet eliciendus, reliquiſque duobus principijs, ſpiritui & animæ, tanquam corpus, adiungendus. Sed vt labore iſto ſubleuaretur, (Quamuis ſoluens multò euaſiſſet potentius: ſi nigrum nigrius nigro, in fundo retortæ remanens, potuiſſet in vitrum, & hoc in ollam, aut aliud vas terreum, bene clauſum, idq; horas triginta, igne vehementiſſimo, ad aliquam albedinem reuerberaſſet, & poſtea cum eo ſpiritum vini animatum ex arena deſtillaſſet) loco illius, ſumebat tartari albi, calcinati, ſicci, albi, (alij ſal tartari commune fixum ſubſtituunt) vncias ſex, ijſque ſuperfundebat ſpiritum vini prædictum, in cucurbitam paruam, & ter, ex cineribus, (forie tamen melius fuiſſet, ſi quidem ipſum capitis mortui ſalem non ſumſerat, ſi hoc decies repetijſſet, & quidem ex retortis) deſtillabat, ſemper ſpiritum ſuper feces reaffundendo. Tandem ſpiritum per ſe deſtillabat adhuc bis, in balneo, vt, ſi quæ feces adeſſent, in fundum deponeretur.

Hinc

Hinc recipiebat auri, bis per amalgamationem calcinati, drachmam vnam: cumque super ea parum aquæ ardentis, quæ inter ſpiritum & phlegma exſtillarat, bis combuſſiſſet: quintæ tandem eſſentiæ vnciam vnam ſemis ſuperfundebat: quæ, poſteaquam ita, per viginti quatuor horas, in arena mediocriter calida ſtetiſſet, rubicundiſſima euaſit. Num verò ea, genuinæ auri tinctura eſſe potuerit: lector beneuolus iudicet, Ego quidem iam tum., cum Clariſſimo Viro, Dn. D. Caſparo Geſchkio Sileſio, qui in hanc quintæ eſſentiæ præparationem, ſumtus mecum erogabat, valdè dubitabam. Interim tamen gratum nobis erat, tùm vidiſſe elegantiſſimam vini in ſua tria principia reſolutionem, eorundemque rurſus, in vnam ſubtiliſſimam & cæleſtem planè eſſentiam, compoſitionem.

CAPVT III.

De quinta coralliorum eſſentia.

PRimò deſtillanda eſt magna aceti acerrimi α quantitas, cum ſeparatione phlegmatis, ad hoc opus inutilis; nouum, ſingulis vicibus, ſuper priore, feces deſtillando, donec cētum circiter libras aceti per B. optimè rectificati habeas. Requirūtur etiam tri-

ginta ad minimum libræ coralliorum rubeorum, in puluerem ſubtilem redactorum: matracia item plurima, ampla, colli prolixioris, quibus ſingulis libra vna coralliorum imponatur, acetum paulatim, & per vices, propter nimiam ebullitionem, affundendo; donec ad quatuor aut quinque digitos ſupereminеat; perq; diem naturalem in B. digerendo; vſq; dum acetū dulceſcat, & colore flauo imbuatur. Tunc menſtruū decantandum, nouum reaffundendū: donec diſſolubile diſſolutum fuerit. Menſtruum ♃ per B. ex cucurbitis altis repetatur: ♄ & ad ſingulas ſalis libras, vnciæ duæ aceti ♂ affundantur, & deſtillentur: deinde vnciæ quatuor addantur: poſtea ſex; ita paulatim, & per vices, alendo, tandemque infuſiones de vncia in vnciam minuendo; donec acetum tam acre, atq; impoſitum fuit, deſtilletur. Phlegma omne inſipidum deſtillatum aſſeruandum. Salia, ♀ ſale aceti armoniaco imprægnata, in vapore calentis balnei fermentanda ibidem; donec odor grauis, & color ater appareat, relinquendo, quæ veræ putrefactionis ſunt indicia. Cumque hæc apparuerint: ſalia reſoluta calidè in retortas imponenda: eò quòd ſtatim in frigido concreſcant: & per balneum vaporoſum, vel cineres, phlegma ſeparandum;

dum; donec vapores, ſiue fumi albi, conſpiciantur. Tunc ceſſandum: & deſtillatio per arenam, in reuerberio clauſo, continuanda, vſque dum omnes ſpiritus egreſſi fuerint, & oleum rubrum, ſanguinis inſtar, guttatim effluxerit. Feces ſeruandæ ad vſus, vt poſtea dicetur. Liquores omnes deſtillatos odoratiſſimos, & inſtar aquæ ardentis ζ flammam concipiẽtes, pone in cucurbitas altas, & lento balnei calore à phlegmate ſepara: & loco frigido, in vitris probè obturatis, ſerua: poſtea igne aucto, phlegma vrge, & ab oleo ſeparatum ad vſus repone. Interim feces ſuperiùs reſeruatas calcina in Athanore, ſpatio quinque dierum, in vaſe vndique clauſa, vti Geber, *libro primo Summæ, capite quinquageſimo*, ſequentibus verbis docet: *Modus itaque calcinationis ſpirituum eſt: vt, eis ad fixionem, approximantibus, adminiſtretur ignis, ſucceſſiuè, & paulatim illum augendo, ne fugiant: quouſq; maximum eos tolerare ignem, contingat, & vas eorum ſit rotundum, vitreum beneè ſpiſſum, ne fundatur, vndique clauſum*: & vt inquit Lullius, ne inflammationem præſtet. Aut, ſecundum Alphidium, ſpiritus diſpergantur per aera: quod quæritur enim, non fieret. Poſtea vaſe aperto detur ignis per gradus: vt feces nigræ, cineritij coloris, fiant:

è quibus ſal eliciatur, cum phlegmate priori reſeruato, quod filtretur & coaguletur. Poſtea eundem ſalem diſſolue in phlegmate poſteriori ſeruato : donec purum euadat, quod calore moderato exſiccari debet. Huius ſalis recipe vncias duas: a digere in B. per triduum: poſtea leui B. calore deſtilla aquam inſipidam, quam ſeorſim ſerua. Reitera eandem operationem; donec ſal, in duplum ſui ponderis, proprio ſale armoniaco imprægnetur, & augeatur, vel etiam paulo plus, vel donec ſpiritus tam acer & fortis deſtilletur à ſuo ſale, atque cum impoſitus fuit. Tum ſal in vaſe idoneo pone ad ſublimandum, in cineribus, ſpatio duorum dierum, dando ignem, per gradus. Ita ſublimabitur ad latera vaſis materia candidiſſima, inſtar niuis, quæ dicitur verum Philoſophorum ſal armoniacum. Huius ſalis armoniaci recipe vnciam vnam, & ſpiritus rectificati vnc. quatuor: Miſce ſimul, & per biduum digere: deinde deſtilla, cum cohobijs; donec totum ſal cum ſpiritu aſcenderit. Hæc materia triuna b circulari debet, donec exaltatio voto reſpondeat. c Sic habebis quintam coralliorum eſſentiam: cœleſtem ſubſtantiam, ab omni fece terrena immunem, mercurium vegetabilem & mineralem,

lem, clauem Philosophicam, solidissima λ quæuis corpora aperientem, ad medicamenta virtutum admirandarum paranda, modo omnibus veris Philosophis noto.

α *Vt in salis corallorum præparatione, eorundemque magisterij confectione, suprà cap. 17. & 19. aceti etiam acerrimi loco menstrui adhibitionem minimè formidandam esse ostendimus: sic nec hic erosionem aceti veremur, vtpote ex Galeno ipso edocti, multa eiuscemodi intra corpus tutò propinari, quæ foris corpori admota & rubefaciunt, & erodunt, & crustas inducunt. An verò acetum crudum acerrimum, quo coqui passim vtuntur, minoris acrimoniæ erit stillatio? maioris imò efficaciæ, propter crassitiem suam, qua magis adhæret, & diutius infestare potest. Modò ita procedatur, ceu suprà cap. 17. sub tit. sal. coralliorum innuimus.*

β *id est, decantationes omnes.*

γ *ac relinquitur in fundo sal, qui est corpus coralliorum per acetum solutum.*

δ *recentis acerrimi.*

ε *coralliorum nempe.*

ζ *Si cum isto spiritu ardenti corallia alia pulueriſata coniunxeris, & in calido aliquandiu reliqueris, extrahitur tinctura coralliorum vera, quæ postea à menstruo hoc separata, inque liquorem reducta, egregium est mundi-* Tinctura coralliorum.

ficatiuũ ſanguinis, doſis gutt. 3. vel 5. ad 10. vſq; Melius verò procedit extractio, ſi corallia prius cum ſale petræ calcinentur, & diſcontinuentur, ac dein à ſale petræ per ablutionem liberentur.

n & ſpiritus ardentis drachmam ſemis.

ɔ ardentis ſcilicet.

ı ſaltem eſt biuna.

x id eſt, clariſſima euadat.

λ ſcilicet gemmas, cryſtallos, corallia, &c. non metalla.

Sal quidem & magiſterium coralliorum in Medicina maximè vtilia ſunt: longè tamen præſtat eorum quinta eſſentia, quæ nempe eſt interior & purior ſuccus ſeu liquor, per multas ſolutiones & digeſtiones tandem inde extractus. Cuiuſmodi apud varios ſunt varij. Sic Panotus de præp. medic. Chymic. *quintam eſſentiam ex margaritis (quæ eiuſdem confectionis eſt cum corallis) ſic extrahit: pulueriſa margaritas (corallia verò craſſo modo tunde) & in vino albo calido laua: deinde in optimo aceto deſtillato in Sole ſolue, vitro optimè obturato, ita tamen, vt ſingulis tribus diebus renouetur acetum, & effuſum diligẽter ſeruetur, ſolutis omnibus margaritis (coraliis) commixge & deſtilla acetũ & iterum nouũ acetũ affunde, ſolue, vt priùs, deſtillaue ante, & ſemper aliquid de margaritis (corallis) aſcendet: quod retine & diligenter cuſtodi, idq; reite-*

Quinta eſſentia perlarũ & coralliorum.

reitera, donec nihil de margaritis tibi reſtet ampliùs. Recipe poſtea omne deſtillatum, adde ad menſuram vnam margaritarum (coralliorum) camphoræ optimæ vnciam ſemis (reducit enim nobilem margaritarum eſſentiam, vt nihil remaneat, ſed tota margaritarum ſubſtãtia per alembicũ tranſcendat: habet enim miram vim volatilizandi, vt ita dicam, corpus margaritarum) deſtillationem adhuc ſemel repete. Recipe hoc vltimum deſtillatum pone ad calorem, non nimis fortem, ſed lentum; permitte exhalare acetum, in vitro orificij ſatis ampli, vt remaneat vigeſima pars margaritarum: pone in vitro mundo cum alembico, per ſe deſtilla lente igne, priorem aquã exeuntem ſolùm recipiens: &, vbi guttæ flauescunt, appone aliud recipiens; fortifica ignem, videbis tranſcendere materiam flauam craſsiculam, inſtar mellis. Hactenus Penotus.

Nos verò coralliorum quantitatem electam ſoluimus in ſpiritu aceti vini: hoc menſtruo aceti per deſtillationem remoto, ſal coralliorum denuò in nouo aceto deſtillato ſoluendum eſt, & feces remouendæ, abſtracto viciſſim per deſtillationem eodem; deinceps hæc operatio ſolutionis, per ſpiritum aceti, & coagulationis, ſemper reiectis fecibus, eſt peragenda, donec nullæ ampliùs feces ab ultimis ſolutionibus reſtiterint, atq; adeò ipſa corallia ab omni immunditie liberata

Alia coralliorũ eſſentia.

berata fuerint. Hinc cum aqua pluuia, vel rore maiali destillato, sal coralliorum purificatum est soluendum, & sæpius remoto hoc menstruo aqueo, omnes spiritus aceti, cum corallis residui, per destillationem ex cineribus auferendi; id quod ostendet ipsius aquæ postremò destillatæ dulcedo aliqua, spirituum aceti separationem factam esse coarguens. Huic sali coralliorum defæcatissimo in phiala affunde alcohol vini rectificatissimum, ad duorum digitorum eminentiam, vt orificio vasis bene occluso illud ad digerendum pone in B. per octiduum vel decendium. Corallia eo tempore essentiam suam, instar olei spissi, ad superficiem ipsius vini spiritus remittent, quam cautè separa: alioq; alcohole vini super affuso, & æqualis temporis spatio digestione instituta, eam toties collige, quoties visum fuerit. Conuertitur autem penè totus sal, relictis pauciſsimis feculis, in essentiam. Hanc de nouo cum spiritu vini aliquandiu circula, postea leni destillatione balnei spiritū vini separa & serua. Habebis veram coralliorum essentiam, magnarum virtutum in Medicina.

CAPVT IV.

De quinta perlarum essentia.

Dissolue margaritas in aceto ter destil-

lato:

lato: pòſt filtra: & euapora acetum, ad ſiccitatem, ſaltemque exactè depura, reiteratis in aceti ſpiritu diſſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus. Quo facto: ſepara ſalem aceti à ſale vnionum, diſſoluendo eum in aqua pluuiali, aliquoties deſtillata: hinc aquam per deſtillationem repetendo. Pòſt ſuper hunc ſalem, ita purificatum & ſiccatum, funde bonum vini ſpiritum, vt ad duos digitos ſupernatet, & digere in balneo, per octo ad decem dies: intra quod tempus ſpiritui vini innatare videbis eſſentiam perlarum, inſtar olei ſpiſſioris, quod ſepara: & ſuper ſalem, qui reſtat, recentem ſpiritum vini affunde, donec quaſi totus ſit in eſſentiam redactus; abiectis fecibus haud multis, quæ in fundo vaſis manſerunt. Tandem circula hanc eſſentiam, cum ſpiritu vini, dies quindecim, & deſtilla, per reuerberium clauſum, repetitis cohobationibus, donec omnis eſſentia per retortam exeat, quæ à vini ſpiritu ſeparata, cuſtodiri debet, inſtar theſauri pretioſi: quandoquidem vires deperditas ſenibus & reconualeſcentibus, egregiè reſtaurat.

Doſis eſt, ab octo ad duodecim guttas.

Tandem vt huic Tyrocinio Beguiniano colophonem imponamus, coronidis loco, præcipitatũ diapho-

Præcipitat⁹ diaphoreticus excellens.

diaphoreticum excellentiſſimum ſubſequentem, medicinæ alicuius vniuerſalis ſignaturam ſecum facilè præſeferentem, apponimus. Eius autem confectio, quamuis prolixa, tamen vtilis, eſt eiuſmodi; Primò omnium fiat ſpiritus nitri, ceu author docet c.4.lib.2.ſub titul. Spiritus nitri. Huius recipe libram vnam ſalis gemmæ, tenuiſsimè pilueriſati tandundem; miſce, & ex retorta conuenienti è veſtigio, cum ſuo recipienti antea coniuncta, deſtilletur ex reuerberio clauſo aqua rubicundiſsima, quam ſerua. Deinde recipe cinabarim natiuam Vngaricam rubicundiſsimam, quæ minera eſt mercurij ſeu argenti viui, probè à ſcorijs montanis ſeparatam, quantam vis, eamq; paullatim in aqua præcedenti ſolue, ac imprimis vide, vt cautè procedas: vehementer enim inuicem incaleſcunt; particulatim itaque minera iniicienda eſt, ac inſuper ad eius totalem ſolutionem, quæ egregiè vireſcit, ſatis magna quantitas menſtrui requiritur. Solutionem claram, & à ſulphure combuſtibili, quod vel ſupernatat ſolutioni, vel in fundo reſidet, per inclinationem decanta, & ex cucurbita in igne arenæ deſtilla. Prodit primò menſtruum, ac quæ principia ſunt ipſius mineræ, in fundo manent, iam quidem propter hanc ſolutionem & menſtrui ablationem diſcontinuata; ſed deinceps ſeparanda. Itaq; poſteaquam iam menſtruum omne

Vide Paracelſ. To.VI.

ſepa-

ſeparatum fuerit, vrge ignem aliquanto fortiùs, & ad latera ſeu ſpondilia cucurbitæ eleuabitur mercurius ſublimatus albiſſimus; in fundo verò retortæ ſulphuri & ſal dati ſubiecti ſimul reſidebunt. Detrunca itaq; cucurbitam videl. & mercurium ſeorſim, nec cum cæteris principijs confuſum; vt hæc eadem ab illo ſeparata habere poſſis. Sublimatum communẽ, diligenter collige, & cum aceto deſtillato, in cucurbita, igne arenæ ebullicndo ſolue: feces remoue: acetum clarum, mercurium tamen in ſe continens, abſtrahe ad ſiccitatem: quod reſtiterit, cum aqua pluuia, vel rore maiali, iterum ebulliendo, abiectis fecibus, ſolue, & aquam deſtilla vsq̃; ad magma quodammodo nigricans: idem cum recenti aqua pluuiali deſtillata, viciſſim ebulliendo, ſolue, ac, reiectis fecibus, deſtilla, idq; etiam tertia & quarta vice, donec nimirum mercurius poſt quartam deſtillationem planè albiſſimus reſtet.

Huic tandem affunde alcohol vini præſtans, & cum alembico cæco in B. digere, per aliquot ſeptimanas, vel etiam per integrum menſem. Interea reliqua quoq; principia, quæ in fundo cucurbitæ; poſt ablatum mercurium, reſtitere, ſepara, & clarifica; quod hac ratione obtinebis. Super eadem infunde aquam pluuiam deſtillatam calidam: ſtatim ſal ſoluendo ſeſe in eandem aquam abit; ſulphur verò flaueſcens ſolùm manet.

net. Quod si aliquid salis adhuc dum eidem adhærebit, illud per aliquot repetitas eluitiones aquæ pluuiæ destillata auferendum est, & priori salis extractioni miscendum. Vtrumque autem deinceps est purificandum, quod vnicè quoque per spiritum vini absoluendum est. A sale igitur aufer aquam destillatam, cum qua nimirum salem extraxisti & eundem cum spiritu vini optimo solue, fecibus remotis solutio futura est ex viridi flaueſcens: aufer spiritum vini ad cuticulam supereminentem, & sal ipsum, instar vitrioli transparentis, in fundo coagulabitur, quod diligenter collige & serua.

Sulphur verò aliquoties cum aqua calida destillata prius locum, & exsiccatum; simili modò cum spiritu vini aliquandiu digere, ac eundem postea auffer. In promptu itaque hoc modo sunt duo principia salis & sulphuris purificata: ad eandem puritatem redigendus quoque mercurius. Posteaquam ille fuerit per destinatum tempus cum spiritu vini digestus & solutus: rubeſcit enim totum illud compositum eleganter: ex retorta, in excipulum capacissimum, igne arenæ lentò primùm destilla spiritum vini, postea vrge ignem; & spiritus mercurij prodibit, sæpè hinc inde per retortam recipiẽtem extendendo, & sublimando instar crystalli: relinque omnia post exactam destillationem, &

post

post horas viginti quatuor spiritus mercurij crystallisatus in spiritum vini primò destillatum soluetur, qui denuò à spiritu vini separandus est: id quod fac per B. lene: Spiritus enim vini ascendit, & spiritum mercurij in fundo relinquit cineritij caloris, quem etiam serua. Habitis his principijs omnibus, tandem ad illorum coniunctionem anaticam est descendendum, quam hoc modo solue: Primò omnium fiat aqua coniunctiua ex eadem minera hac via: Solue mineræ argenti viui Vngarici vncias sex, in aqua soluente, ex nitro & sale gemmæ primo loco facta, ac, sequestratis fecibus solutionem ex B. leni destilla, ad crassitiem vsque oleosam: affunde recentem aquam soluentem, ac vicissim ad oleositatem destilla, idque fac quinquies vel etiam sexies.

Postea repone in B.M. clauso vase, ad putrefaciendum per quatuordecim dies, tandem destilla lento igne arenæ, donec, quicquid aqua superfluum fuerit, separetur: vbi spiritus albicantes prodierint, muta recipiens, aliudque apponendo, & diligenter lutando, eos cape, cum aqua postea simul transeunte; vrge destillationem, vsque ad ignitionem vasis: aquam hanc serua. In huius vncijs sex, solue salis suprà facti vncias duas: ac circula aliquandiu in B. postea super vnciam semis sulphuris fundę

istius

ipsius aquæ, in aqua nempe sal est solutum & digestum, unciam unam semis ac vicissim per B. lene tandem separa ad crassitiem demùm affunde eiusdem aquæ priorem quantitatem, nempe unciam unam semis, & destillando per B. enca atque ita perge, donec cum sulphuris uncia semis, salis, uncia una integra fuerit copulata; id quod ex pondere cognosces, an ex amborum factus sit unus viscosus quidam liquor.

Harum unciarum una semis adde uncias duas spiritus mercurij suprà præparati, inque phiala, sigillo Hermeticè clausa, coque in Athanore, prudenter adhibitis ignis gradibus, donec omnia in pulverem rubicundum versa fuerint; id quod spatio mensium trium vel quatuor fit.

Pulverem hoc modo præparatum, & iterum cum alcohole vini correctum, serva. Est Medicina universalis, cuius gran. 1. vel ad summum 2. in vehiculis convenientibus, in quolibet morbo exhibita, balsamum internum, ad expellendum intrò hospitantem hostem, vel per vomitum, vel per alvum, vel per sudores, mirificè adiuvant.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM.

COROL.

COROLLARIVM.

VTi olim Sapientiſſimi quique & Philoſophi eminentiſſimi Naturæ vires admirandas, & proprietate diuina planè inſignitas, non ſtylo quodam vulgari & aperto, ſed varijs numeris & figuris miris, occultarunt, ne vel naturæ, vel artis arcana temerario quodam auſu omnibus indifferenter proſtituerentur: ſic Philoſophis Hermeticis (vt videre eſt ex Hermetis tabula Smaragdina, & Ioannis Dee Londinenſis Monade Hieroglyphica) ea facultas conceſſa, vt, quia rerum Domini facti ſunt, etiam Nomina ad arbitrium diſpenſarint, & ſuos partus pro libitu veſtierint, ne quibuſlibet abſtruſiores ſuos ſenſus proderent, & nobiliſſimas huius artis Hermeticæ margaritas porcis & ſuibus proijcerent. Quocirca Planetas terreſtres certis ſuis notis Hieroglyphicis inſignierunt, imò totam Mineralium familiam eiuſmodi arcanis & abſtruſis ſignis ſummo adornarunt ſtudio, idque ſola de cauſa, vt rerum latentes & non cuiuis obuias, virtutes filijs artis exponerent, ab illiſque ſolùm perciperentur. Vt autem & Medicinæ Hermeticæ Tyrones aliquam certam earundem conſignationem habeant, eas, quantum medicinalibus inſer-

uiunt, & quibus ipſimet vtimur, tyrocinio huic Chymiatrico, coronidis loco, annectere placuit.

NOTÆ METALLORVM.

Saturnus	Plumbum	♄
Iupiter	Stannum	♃
Mars	Ferrum	♂
Sol	Aurum	☉
Venus	Aes, Cuprum	♀
Mercurius	Argentum viuum	☿
Luna	Argentum	☽

Notæ

Notæ mineralium & aliarum rerum Chymicarum.

Antimonium
Arſenicum
Alumen
Acetum
Acetum deſtillatum
Amalgama
Aqua fortis
Aqua Regis
Aqua vitæ
Alembicus
Æs vſtum
Mariæ balneum
Cœmentare
Calx viua
Caput mortuum
Calcinare
Calx
Cineres
Cineres clauellati
Cinnabaris
Crocus Martis
Cryſtalli
Coagulare
Cucurbita
Digerere
Filtrare
Fixare
Lutum ſapientiæ
Lutare
Marcaſita

Mercurius ſublim ?

Oleum

Putrificare

Puluis

Sal commune

Sal petrę

Sal armoniacum

Sal gemmæ

Soluere

Spiritus

Spiritus vini

Sulphur

Sublimare

Stratum ſuper ſtratum

Tartarus

Tigillum

Vitriolum

Viride æris

Vitrum

Vrina

Cera

Borax

Ignis

Aer

Aqua

Terra

Annus

Dies

Nox

Hora

Menſis

Ignis rotæ.

INDEX CHYMICARVM operationum & medicamentorum præparationum.

A

Acetum alcaliſatum ſeu raticatũ p. 156. 161

an ad magiſterij perlarum præparationem adhibendum 415

deſtillatum 155

therbinthinatum 160

Aceti ſal duplex 159

Æs vſtum 346

Alcohol quid 44

vini ibid.

Aloe roſata 221

Aloe flores ibid.

Aloeticum balſamum, vel extractum 220.221

Amalgamatio 49

Animos, etiam inter coniuges diſſentientes vniendi ratio 487

Aniſi oleum 169

Anodyna & narcotica differunt 235

Antepilepticum ex cinnabari 214

Antimonium 42. *Vngaricum rarò affertur genuinum in alias regiones* 138

Antimonium diaphoreticum 298
Antimonij butyrum 275
calcinatio 72. 292
flores 273. 391. 305. *albi* 392.
flaui & rubei 395. *correcti* 393. 395. *purgantes* 395
hepar 291
oleum 186. 188 296
panacea 425. 426. 432
præparatio 293. 294
primum ens 422
regulus 294
sal 295
tinctura 176. 423
vitrum correctum 294
Aqua acida buxi 113
guaiaci *ibid.*
iuniperi *ibid.*
quercus *ibid.*
antepileptica Quercetani 115
cichori simplex 113
ophthalmica 114. 115
fæniculi 112
fortis communis 120
perpetua 123
ophthalmica 111. 116
Aqua ouorum 164
philosophica seu regiæ 121. 123
124
rosa-

rosarum 107. 109
sanitatis 449
sudorifica externa 117. 118
theriacalis 116
zedoariæ 117
Aquila cælestis 405
imperialis 406
Arcanum & tinctura reipsa non differunt 193
Arcanum sanguinis humani 451
tartari 453
Auri augmentatio 321
calcinatio 148
cæmentatio 356
depuratio optima 352
solutio 121. 124
sublimatio 434
sublimati & ☿ ij. vitæ coniunctio 435
oleum 412
vitrificatio 322
fulminatio & percussio vnde 397
flores pretiosi 409
Aurum Medicorum 295
potabile 191. 350. 463
fulminans & diaphoreticum 355

B

Balſama parandi modus 196.197.207
Balſamum aleticum 220. 222.
caryophyllorum 199
cinamomi ibid.
diakibr. Quercetani ad hernias 201
fæniculi 197
malacticum 202
pectorale 132
ſanguinis humani 448.450
Saturni 206
ſulphuris 199. 249
terebinthinæ 168
vulnerarium 171. 206
Benzoini flores 385
Bezoarticum Iouiale 304
Lunare 303
Martiale 303
metallicum 354
minerale 299
Solare 193.302.436
Biolychnium ſeu lampas vitæ 444
Butyrum antimonij 275
coralliorum 373.417.
ſulphuris 417

C

Calcinatio 44
Calcinatio antimonij 272. 292
coral-

coralliorum 258
cryſtalli 266. 268. 270
Iouis 332. & *ſeq.*
Lunæ 347
marcaſitæ argenti 271
Martis 337. & *ſeqq.*
Mercurij 304
nitri ſeu ſalis petræ 261
perlarum & omnium lapidum 148
etiam duriſſimorum 158
pumicis 265
ſalis communis 261
Saturni 332. & *ſeq.*
Solis 384
lap. ſpongiæ 265
Veneris 346
vitri 148
vitrioli 265
Calx Chymicorum 44
Calcis analogia cum ſulphure. 39
Canones ad deſtillationis doctrinam neceſſarij 100. & *ſeq.*
Caput mortuum & phlegma non ſunt principia 43
Caryophylli 41
Caryophyllorum balſamum 199
oleum 169
Cautiones Vin exhibitione vomitoriorum antimonialium & aliorum obſeruandæ 283. & *ſeqq.*

Cau-

Cautiones in exhibitione Mercurialium notandæ 325
Cementatio . 54
Cementatio auri 350
Cementum optimum 351
regale 350
vulgare ibid.
Ceraunochryſon diaphoreticum 355
Ceræ oleum 164. 166
Cinamomi balſamum 199
oleum 170
Cinefactio 57
Cinabaris vtilitas 290
præcipitata diaphoretica 323
Cinabarin faciendi modus 123
Circulatio 87
Chinæ eſſentia 241
Chymia eſt ars 3
à pharmacopœia differt 6
Chymiæ definitio 1
etymologia & ſynonymia 2
obiectum 4
finis 6
partes 26
Chymica medicamenta ſunt ſuauiora vulgaribus 6
ſunt ſalubriora & tutiora vulgaribus 24
ſunt ſalubria & tuta, licet acria 12

non

non ſunt periculoſa
propter acredinem
ab igne contractam 13
non ſunt venenata
& humanæ naturæ
aduerſa ; etiamſi
metallica 8
non redduntur inutilia
ob præparationem 16
non redolent empyreu-
ma 15
non ſunt emortua ca-
dauera 18
non imprimunt membris
principalibus prauam
diſpoſitionem 21
Chymicorum medicamentorum acredo non ab efficiente, ſed à materia proficiſcitur 14. 15.
Chymicorum medicamentorum empyreuma, ſi quod adſit, duobus modis corrigi poteſt 17.
Chymica principia tria ſunt 34
quid ſint 35
inter corporis & ſpiritus
naturam ambiunt 36
inſunt omni miſto 37
non euertunt principia phy-
ſica & medica 29
quomodo fuerint inuenta 31
à natura vniuerſali mon-
ſtrata Chymicis 31
coagu-

Coagulatio 93
Cæmentatio 54
Cohobatio 71
Colocynthidis extractum 209.215.229
Commixtio 55
Coniunctio Solis ſublimati & ☿ ij vitæ 354
Confortatiuum regium ex ſpiritu roſarum, ambra, & moſcho 111
Coralliorum hiſtoria 252
butyrum 373.417
calcinatio 258
magiſterium 414
quinta eſſentia 472.473.476
ſal 369
ſolutio 152.215
ſyrupus 254.257
tinctura 252.254.256. & ſeqq.471
Coriandri oleum 169
Cornu ceruini extractum 220
Correctio medicamentorum malignorum vera 9
Corroſio 49
Corroſiua omnia à metallis auferens 434
Corpus miſtum omne in ſua tria principia recludi poteſt 40
Cremor ſulphuris 417
tartari 362.366
Crocus Martis 337. & ſeq.345
metallorum 291.292

Vene-

Veneris 347
Cryſtalli Iouis 334
tartari 362
Cryſtalli calcinatio 266.268.270
liquor 269
Cryſtallum minerale 261

D

Deliquium 75
Deſiccatio 59
Deſtillatio 65
alia recta, alia obliqua 67
quæ requirat 101
per balneum 103
per cineres & arenam *ibid.*
per veſicam *ibid.*
per retortam 104
per deſcenſum 72
Diagridium correctum 315
Diaphoreticum paracelſi in peracutis 130
Digeſtio 79
Draco mitigatus 398

E

Electrum maius 403
Emplaſtrum diaſulphur Rul. 201
Epar antimonij 244
Eſſentia coralliorum 467.472.472
chinæ 241
perlarum 472.474
ſanguinis humani 438

ſulphu-

ſulphuris vitrioli dulcis 425
vini 455.459
vitrioli benedicti 439
tartariſati 433
Extractio 60
generaliter conſiderata 61
ſpecialiter ſic dicta 92
quintæ eſſentiæ è metallis, mineralibus, & marcaſitis 433
tincturarum è metallis & lapidibus, 443
Extractum agarici 209
aloes 220.221
colocynthidis 209.215.229
cornu ceruini 229
hellebori ſimpl. 209.229
comp. 224
hepatis bubuli 212
narcoticum, laudanum dictum 233.239
panchymagogon 225. *& ſeqq.*
ad quartanam 229
rhabarbari 209.216
ſcammonij 209.215
ſenæ *ibid.*

F

F*Ermentatio* 90
Filtratio 74
Flores aloes 221
antimonij 373.391.395
albi

albi 392
flaui & rubei 395
correcti 393.395
purgantes 395
æuri pretioſi 409
benzoini 385
ſulphuris ſimpl. 386.388
comp. 389
Fœniculi balſamum 197

G

GRilla Paracelſi 376

H

HEllebori extractum ſimpl. 209.229
comp. 224
Hepar antimonij 291
Hepatis bubuli extractum 212
Heraclinum oleum 173
Hermetica ars vnde Chymia dicatur 2.
Hiſtoria coralliorum 252
ſtanni & plumbi 335
Hydromel vinoſum 91
Hyoſcyami præparatio & tinctura 241
tinctura planè inutilis eſt ad laudani opiati confectionem 237

I

IGnitio 57
Iupiter diaphoreticus 334
ouiale bezoarticum 304
ouis calcinatio 332. & ſeq.
cryſtalli 334

Lac

Lac 41
Lac ſulphuris 250.417.& ſeq. 420.421.412
Lapis prunellæ 261
Laterinum oleum 179
Laudanum optatum 273.239
Ligaturæ in hernia adhibendæ deſcriptio 205
Lignum viride 41
Lilium Paracelſi 424
Liquor cryſtalli 269
Lixiuium è fecibus reguli 296
Ludi humani præparatio 413
Lumbricorum oleum 164
Lutatio 96
Lunare bezoarticum 303
Lunæ calcinatio 347
tinctura 348
Lutum ſapientiæ 65.66
pro fornacibus conſtruendis 97
pro retortis loricandis ibid.
pro vitris hydrijs fractis conſolidandis 98
pro vitris ſimul lutandis ibid.
pro roſtro alembici cum recipiente lutando ibid
pro retortis cum recipientibus collutandis &c. 99

Mace-

Maceratio 83
Macis oleum 169
Magiſterium quid? 410
coralliorum 414
perlarum *ibid.*
ſuccini 414
ſulphuris 417
tartari 410
Manna Mercurij 405
Martiale bezoarticum 303
Martis calcinatio & crocus 337. & ſeqq. 345
regulus ſtellatus 297
Medicina vniuerſalis 480
Medicamentorum correctio vera 9
Mellis tinctura 244
Mercurij hiſtoria 273
calcinatio 304
boni notæ 308
manna 408
in criſtalli formam inductio 397
ſubſtantia 304
Præparatio & purgatio *ibid.* 308 & 310
ex metallis eliciendi modus 402
Mercurius primum Chymicorum principium 38
naturalis 304
artificialis 306

essensificatus 406
Lunæ 307
sublimatus communis 396.397
dulcis 398
præcipitatus albus 319
flauus 313
rubens 312.317.407
optimus 313
alius 318.319.320
cinnabaris diaphoreticus & catharticus 323
diaphoreticus 322
specificus contra gonorrhœam 324
Veneris diaphoreticus 325
vitæ 275.354.434
ad vlcera 326
Mercurij vis emetica quomodo tollatur 321
Mercurij vitæ & auri sublimati coniunctio 435
Metallorum generatio 329
crocus 291.292
Menses philosophicus 82
Menstruum quid?
pro magisterijs, reliqua facilè exsuperan 416
pro extractis cinnandis conuenientiss. 212

Minium

Minium faciendi modus 332
Mixtura ſimplex 131

N

Nepenthes ſeu laudanum 233
Nitrum 42
Nitrum præparatum 261
Nitri calcinatio *ibid.*
ſpiritus 151

O

Oleum antimonij 186.187.188.296
croci metallorum 167
caryophyllorum 169
ſem. aniſi, coriandri, 169
ceræ 164.166
cinamomi 170
croci metallorum 187
ad hemicraniam comp. 178
heraclinum 173
laterinum 179
lumbricorum 164
macis 169
ouorum 163
piperis *ibid.*
ſaluiæ 164
ſalis communis 182
ſanguinis humani 448
ceruini & hircini 451

ſacchari ſimpl. 172
comp. ibid.
Saturni 155
ſolis rubicundiſſ. 462
ſuccini 175
ſulphuris 180
per campanam 136
tartari 174.218
terebinthinæ 167
vini 194
vitrioli commune 183. 184.186
antepilepticum 185
dulce 186.191
ad vteri ſuffocationem comp. 179
Olea *in ſua eſſentia puriſſima an ſint combuſtilia* 162
in eſſentias reducendi ratio 198
Opium *ſeparato ſulphure φλογιςῶ fœtido & immaturo anodynum fit* 234
Thebaicum præſtantiſſimum 238
quomodo præparetur 239.240
Ouum 41
Ouorum *oleum* 163
aqua 164

P

P*Anacea vera an detur* 42
antimonij 425.426.43
alia Quercetani 399

ſola-

ſolaris diaphoretica 433
vitrioli 427
Panchymagogum 225
Perlarum calcinatio 148
eſſentia 472.474
magiſterium 414
tinctura 259
Philtrum ex ſanguine humano 446
Phlegma & caput mortuum non ſunt principia 43
Pilulæ de terebinthinæ 168
Piperis oleum 163
Præcipitatio 51
Præcipitatus albus 310
alius 318.319.320
cinnabaris diaphoreticus & cathartícus 323
diaphoreticus 322
flauus 313
rubeus 312.317.407
ſpecificus ad gonorrhæam 324
ad vlcera 326
Præparatio non reddit medicamenta inutilia 16
Primum ens antimonij 422
ſulphuris 181
Principium nullum planè ſimplex eſt 43
Principia Chymica. vide *Chymica principia*,

Puluis emeticus 275
è cinnabari antepilepticus 290

Q

Quinta essentia 438
Quinta essentia coralliorũ 467.472.473
metallorum, mineralium, & marcasitarum 433
perlarum 472.474
sanguinis humani 438
tartarisata 433
vini 455.459

R

Regulus antimonij 294
Martis stellatus 297
Rectificatio 70
Reuerberatio 58
Rhabarbari extractum 209.216
tinctura 246
Rubinus arsenici diaphoreticus 390
auripigmenti diaphoreticus 389
Rosarum aqua 107
spiritus 109.111
tinctura 195

S

Sacchari oleum simplex 172
compos. *ibid.*
tinctura 247

Sal tertium Chymicorum principium 39
generationis cauſsa 19
marinum 42
Sal eſſentiale ex herbis elicien di modus 359
360
Sal aceti duplex 159
ammoniacus ſublimatus 395
antimonij 295
calculi humani 373
cardui benedicti 359
coralliorum 369
colcotharis 374
imperatoria 366
Iouis 334.331
Lunæ 376
Martis 379
ſaluiæ 367
Saturni 407.383
Solis 378
tartari eſsentiale: 362
fixum 368
ſuccini 376
Salis ſpiritus communis 145.149.252
chalybeatus 151
compoſitus 150
dulcis 148
oleum 182
calcinatio 261

Salium vegetabilium cryſtallinorum præparatio 368
Saluiæ oleum 164
Sanguinis humani balſamum 448.450
eſsentia 438
oleum 448
philtrum 446
ceruini & hircini oleum 451
Sapor ingratus ſenæ & rhabarbari quomodo corrigendus 217
Saturni balſamum 206
calcinatio 332.& ſeq.
oleum 155
ſal 207.383
Scammonium benigniſſimum 228
correctum ſeu præparatum 315
Scammonij extractum 209.25
Senæ ſapor ingratus quomodo corrigatur 217
Senæ extractum 209.215
Smaragdi tinctura 431
Solare bezoarticum 193.302.436
Solis oleum 462
calcinatio 348
panacea diaphoreticæ 433
ſublimatio 353
augmentatio 321
vitrificatio 322
Solutio 26

Solu-

Solutio auri 121. 124
perlarum & coralliorum 114
Spagyria vnde dicatur Chymia 2
Spiritus nitri 151
roſarum ſimpl. 109
comp. 11
ſalis communis 145. 149. 452
chalybeatus 151
compoſitus 150
dulcis 148
ſulphuris 134. 136
talci 134
tartari 129
terebinthinæ 131. 133
vini 125. 126. 128
tartariſatus 191. 433
vitrioli communis 136. 141
coralliſatus 141
antepileticus 173. 174
philoſophicus 142. 290
Spiritus vini an ad extracta purgantia vſurpari debeat 209
ad extracta purgantia menſtruum eſt non idoneum 213
quomodo purgantium vim infringat 211
ad extractum colocynthidis & ſcãmonij vſurpandus 215
Spiritus vitrioli an refrigeret? 143

Stanni

Stanni historia 335
Stibium. vide *Antimonium*
Stomachus struthionis Paracelsi 433
Stratificatio 53
Sublimatio 61
Sublimatio auri 434
salis ammoniaci 395
Succini albi præparatio artificialis 177
magisterium 414
oleum 175
sal 176
Sulphur alterum Chymicorum principium 39
Sulphuris proprium ibid.
analogia cum calce ibid.
Sulphur auratum diaphoreticum 295. 296
narcoticum vitrioli 431
Sulphuris balsamum 199. 149
butyrum 239. 417
flores simpl. 386. 388
comp. 389
oleum 180
lac 250. 417. 420.
magisterium ibid.
primum ens 181
spiritus 134. 136
tinctura & præparatio 249
sulphuris vitrioli essentia 425
Syrupus coralliorum. 254. 257

ex-

extract.chinæ comp. 243
flor.calendulæ *ibid.*
centaurij min. *ibid.*
hyoerici *ibid.*
papaueris erratici *ibid.*
ſambuci *ibid.*
tunicæ *ibid.*

T

TAlci ſpiritus 134
Tartarum vitriolatum 410
Tartari arcanum 453
cremor 362.366
cryſtalli *ibid.*
eſſentia 433
magiſterium 410
oleum 174.218
ſpiritus 129
ſal eſſentiale 362
fixum 368
tinctura 248
Terebinthinæ balſamum 168
oleum 167
pilulæ 168
ſpiritus 131.133
Terra vitrioli dulcis 375
ſancta 292
Theriaca Germanorum 231

Tinctura extractio ex corallis & perlis 259
ex metallis & lapidibus 443
ex metallis & mineralibus 265
Tinctura byoscyami inutilis ad laudani opiati confectionem 237
Tinctura antimonij 187.251.274.423
coralliorum 252.256.258 259.260.461
croci 245.246
Lunæ 348
mellis 244
perlarum 259
rhabarbari 246
rosarum & violarum 195
sacchari 247
smaragdi 251
sulphuris 200.249
tartari 248
vitrioli 431
Turpethum minerale 314.316.327

V

VEneris calcinatio 346
crocus 347
Vellus aureum 408
Vini spiritus 125. & *seqq.* vid. *Spiritus vini essen-*

essentia 455.459
oleum 194
Vitriolum optimum quodnam 137.139
Romanum nullum ortu 139
Vitrioli natura & species 136
Vitriolum Iouis 381
Lunæ 377
Martis 379
Solis 378
Veneris 380
Veneris & Martis hermaphroditicum 381
vomitiuum 375.376
Vitrioli essentia benedicta 430
panacea 427
spiritus. vid. *Spiritus vitrioli*
sulphur narcoticum 431
terni dulcis 375
tinctura 431

Z

Zedariæ aqua. 117

IN-

INDEX

CVRATIONVM MORBORVM.

A

Aeris contagiosi remedia 232
Albugines 111
Alui fluxus vid. *Ventris fluxus*
Aluus blandè quomodo soluatur 168.223 249.315
Ambusta sanandi ratio 163.166.283.319
Angina 129.151
Ani fistulæ 135
Animi deliquium 170.175.192.245 248.415
Apoplexia 165.170.175.92.193 223.245.348.418
Apostemata 147.160.168.223.299.387
Appetitus languens 141
Arthritis, articulorum dolor 118.163.164 236.243.281 409
Asthma vid. *Respirandi difficultas.*

Cache-

Cachexia 339
Calculus 132.147.166.175.232 236.264.266. 267.268. 269 275.370.374. 410.
Caligo oculorum 112
Callus 203
Calor præternaturalis 223
Canori cura 207.382.383.422
Capitis defluxiones 175.223.232
morbi & dolores inueterati 449
Carcinomata maligna 382.391
Cardialgia 236
Carnem luxuriantem consumens 327
Cerebri membranæ malè affectæ 363
affectus 165.170.269.303. 306.347.376.448. 449
inflammatio 348
Cæcitas 112.116
Cæliaca 270
Colica 151.223.232.236.269. 383.387
Colli immundities 262
Concoctionem promouentia 170.172.195
Confortatiuum viscerum 111
Contracturæ 147.167.251.424.451.

Contuſiones, earumque lituræ 132.207
Conuulſiones 165.175.348.370
418
Cor refrigerantia, roborantia, eiuſque languores & ægritudines auertentia 115.170.233.263.370.
408.409.415.
Cordis palpitatio 175.192.415
Cutis vitia 271.272.274

D

Decoctum purgans in quartana 230
Delirium 236.348
Dentes dealbantia 135.415
Dentium dolores ſopiens 173
Diarrhæa 170.279.338.417
Diureticum 134.176
Dyſenteria 224.252.255.268
338.417
Dyſpnæa. vid. *Reſpirandi difficultas,*
Dyſuria. 175. vid. *Vrinæ ſuppreſſio.*

E

Elephantiaſis 314
Epilepſia 147.173.175.176.285
192.193.236.268
208.290. 376. 387
448.449.
Eryſi-

Erysipelas capitis 386
Exanthemata 193
Expectorans medicamentum 173

F

Facies pustulæ & tubercula 384.385.455
rubor 384.385
rugæ 174
Faucium ardor 262
scabrities 263
Febres 147.151.188.192.195.
223.236.264.276.278.
291.303.314.319.368.
375.387.396.411.413.
455.
Febres ardentes, malignæ, pestilentes
141.155.193.
255.262.264.
291.299.308
Fissuræ labiorum, manuum, pedum 163
papillarum in mammis 166
Fistulæ 135.167.382
Flatus 117
Fluxus hæmorrhoidum 370
hepaticus 208.254
hystericus 175.269.370
ventris. vid. *Ventris fluxus.*
Fœtum in utero confortans 415

Fractura 267
Fucus 134

G.

Gallicus morbus. vid. *Lues Venerea.*
Gangræna 179
Generandi vim promouens 111
Gingiuarum vlcera 135
Gonorrhœa 134. 314. 324
Gutturis inflammatio 263

H.

Hæmorrhagia 240. 255. 341. 375
Hæmorrhoidum fluxus 370
Hectica 245. 418
Hermicrania 178
Hepar alterantia, confortantia, aperientia, 170. 195. 255. 263 339. 343. 413
Hernia inteſtinalis 164. 201
Herpes 297. 455
Humidum primigenium conſeruans medicamentum 335
Humores acres quomodo temperandi 318
pituitoſi & alij quomodo expurgandi ibid. 274
melancholici quomodo expurgandi 323. 412
putridi quomodo tollendi 141

praui

praui quomodo corrigendi 274. 374. 415
crassi, viscosi, tartarei, quomodo tractandi 141. 170. 339. 362
Hydrops 129. 147. 192. 208. 223. 232. 234. 274. 276. 281. 303. 314. 341. 370. 383. 411. 425. 452. 455.
Hypochondriaca affectio 249. 339. 366. 369

I.

Igterus 129. 147. 175. 223. 274. 319. 339. 410
Impetigo 168. 272. 285
Indicus morbus, vid. *Lues Venerea*.
Inflammationes 207. 383. 348
Insania
Ischiadicus dolor 118. 418.
Iuuenta quomodo extendenda

L.

Labia fissa 163
Lactis penuria 268. 270
Lepra 129. 274. 276. 318. 383. 391. 418
Lichenes 272. 422
Lienteria 417
Lipothymia. vid. *Animi deliquium*.

Loquela læsa 449
Lues venerea 119.226.243.248.276. 278.209.303.114.323. 326.382.387.390.399. 407
Luis venereæ vlcera 135.174
dolores 164.240
Lumbago 236
Lumbrici 147.173.175.375 167.179.382
Lupus 383
Luxatio 147

M

Mania 347.376
Manuum scabirities 271
Manuum & pedum scissuræ 163
Matricis fluxus 175.269.370
suffocatio 117.132.175.179.232. 296.324.333.370.
dolor 382
immundities 132.275.435
Melancholia morbus 175.192.221.223.348. 365.411.412.415.
Melancholici spiritus quomodo dissipandi, & crassi quomodo clarificandi 170
Membranæ cerebri malè affectæ 163
Memoriam confortantia 170.415.449

Menſium ſuppreſſio 129.165.175.208.
223.232.275.297.
339.348.410.
Mentagra 455
Morbi Muliebres 303
Morborum cura magnetica 445
Morbi calidi & frigidi 135
interni & externi 153.263
deplorati, quorumque cauſſa eſt occulta 260.375.378.
429.436.443
varij 153.168.201
infiniti quomodo præcauendi & curandi, 147.323.372
415.437
chronici quomodo præcauendi & curandi 151.427
neruorum 165.449
tartarei 328
ventriculi 165.170.370.
375.417.418.
Morbus Gallicus vel indicus. vid. *Lues Venerea*
Morphea 274

N

NEruorum morbi 165.449
Neruorum & neruoſarum partium dolores 118.163.

Neruoſarum partium conuulſiones 165.248. 418
Neruoſas partes roborantia, & malè affectus curantia 130.132. 150.449
Nephritis 168. 410. vid. *Calculus.*

O

OBſtructiones 129.249.319.365 370. 410.454
Obſtructiones hepatis & pulmonis 263
hepatis & lienis 223.274.339.348
meatuum. 362
Oculorum nubeculæ, & alij affectus 111. 112. 116
Odontalgia 173
Oris putredo. 383
Orthopnæa, vid. *Reſpirandi difficultas.*

P

PAlpitatio cordis. vid. *Cordis palpitatio.*
Papillarum fiſſuræ & dolores 166
Paralyſis 129. 147. 223. 243. 370
Parotides 167
Partus difficultas 114.175
Pectoris affectus 172. 182.368 379.449
Penis dolor & excoriatio 200
Peſtis & peſtilentes affectus 114.132.155.175 193.200.224. 232. 276. 300. 303.326.329.339 375. 383. 386.391.418.

Phlegma

Phlegmà consumens medicamentum 141
Phrenitis 376
Phthisis. 132.182.245 386
418.419.
Pleurisis 129.151.192.236
387.455.
Pilos generans medicamentum 163
Pituitam purgans 318
Podagra 207.303.314.409
418.452.
Podragrici dolores quomodo mitigandi 147
Præseruatiuum ab omnibus morbis 147
Prunella morbus 263
Pulmonum obstructiones 223.449
exulcerationes 132
Purulenta educens 134
Pustulæ & tubercula faciei 384.385.455
Putredo humorum quomodo corrigenda
141.315
Putredo oris quomodo tollenda 383
Putredini resistens 264

Q

Quartana 187.223.229.
230.455.

R

Raucedo 172

Renouans totum hominem medicamentum 147. 274
Renum obstructio 411
Respirationis difficultas 169. 172. 175. 208. 243. 263. 379. 385. 387. 418. 449.
Rubor faciei 384. 385
Rugæ faciei 158

S

Sanguinem coagulatum dissoluētia 132. 373
mundificantia 296. 418. 499. 452. 472
fluentem sistentia 140. 255. 341. 342
Scabies 174. 399
Scorbutus 274
Senecta quomodo remoranda 439
Serpigines 174. 422
Sitis febrilis 141. 455
Spasmus. vid. *Conuulsio.*
Spiritus melancholici, vid. *Melancholici spiritus* 245
vitales restaurantia 115. 245. 415
animales confortantia 348. 449
Splenis obstructio 213
durities 411
calor 413

Strangulatio uteri. vid. *Matricis ſuffocatio.*
Stranguria 133
Strumæ 266
Sudorem prouocantia 114.117.118.244.256. 274.296.300.304.319. 321.323.324.326.354. 356.360.387.390.396. 480.
Suffuſiones 112
Suppurationes 329
Syncope. vid. *Animi deliquium.*

T

Tabes 223
Tinea 174
Tubercula 385
Tumores 166.329.384
Tuſſis 132.172.173.200.233 263.379.387.418.

V

Valetudinem conſeruans medicamentum 439
Vberibus ſterilibus quomodo medendum 227
Venerem excitantia 133.415.423
exſtinguentia 155.383

Venerea lues, vid. *Lues, venerea*.
Venereæ luis vlcera. vid. *Luis Venereæ vlcera*.
dolores 164.240
Venerei cancri 422
Venena 117.132.319.409
437.449
Ventriculum immundum purgantia 132.307
368
Ventriculi flatus 418
compressiones 117
dolor 318
cruditates 375
morbi frigidi 155.165.170
Ventriculum roborans medicamentum. 165
223.252.370.417
Ventrem soluens 249.318
Ventris fluxus 340.252.269
338.370.
Vermes. vid. *Lumbrici*.
Verrucæ 135.174
Vertigo 159.175.376.415
Vesicæ impuritates expurgans 200.264
Vesicæ vlcera 132
Vigiliæ 236
Vires naturales confortans 418
Virginum pallidus color 339.344
Viscerum obstructiones. vid. *Obstructiones*.
confortatiuum 111

Vlce-

Vlcera omnis generis, etiam maligna & Venerea, curandi ratio 163.167.174.177 179.187.200.201 207.251.276.297 312.313.326.329 339.341.382.383 396.407.422
Vlcera vesicæ. vid. *Vesicæ vlcera.*
Vnguis oculorum
Vomitus in quartana an prosit? 230
Vomitus remedium 236
Vlcerum dolores 163
Vox læsa 263
sonora quomodo reddenda ibid.
Vomitoria quibus, quando, & quomodo exhibenda.
Vrinæ suppressio 132.141.166.169. 172.248.260.264.
Vteri immundities 132.415.
suffocatio. vid. *Matricis strangulatio.*
fluxus 175.269.370
dolor 275
Vulneraria medicamenta 166.167.370 171.201.339 341.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google